LIBERTATIS ECCLESIASTICAE DEFENSIO: SIVE, ADVERSUS POTESTATEM...

Guillaume Rivet

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
13
21 A
5

13-22, 6, 12

Digitized by Google

Digitized by Google


Digitized by Google

LIBERTATIS ECCLESIASTICAE DEFENSIO:

Sive,

ADVERSVS POTESTATEM ET AVTHORITATEM SVPREMAM, quam Romanus Pontifex ſibi in Eccleſiam univerſalem arrogat, tripertita, pro præſumptorum fundamentorum numero, diſſertatio

GVILIELMI RIVETI,
verbi Dei Adminiſtri.



S. Andrea della Valle.

GENEVAE,
Apud PETRVM AVBERTVM.

M. DC. XXV.

Digitized by Google

Digitized by Google

REVERENDO ET clariſsimo viro, D. ANDREÆ RIVETO, *S. S. Theologiæ Doctori, & in inclyta Lugdunenſi Batavorum Academia Profeſſori digniſsimo, fratri dilectiſsimo & multis nominibus obſervãdo,* GVILIELMVS RIVETVS *gratiam & pacem à Domino multiplicari, ex animo, petit.*

ANNVS agitur vigeſimus ex quo tu (chariſſime mi frater) de libertate Chriſtianorum omniũ, in dierũ obſervationibus & ciborum delectu, adverſùs Pontificium quendam, edito ſcripto, diſputans, me,

nō ante pridem in ſacro verbi Dei miniſterio collocatum, publicè compellâſti. Docebas fideles, in externis eiuſmodi, infirmis multa ex charitate concedere: malignis autē, conſcientiarum libertati inſidiantibus, ne ad momentum quidem cedere; & ius integrum ſtudiosè conſervare, cuius uſum prudentiâ & charitate diſpenſarent. Monebas etiam noſtrûm, quibus cæleſtium adminiſtratio credita ſit, vel maximè, eſſe officium à cervicibus membrorum Chriſti humana iuga, quibus conſcientiæ quas liberas voluit Dominus captivæ fierent, adhibitâ curâ avertere. Id verò alto corde impreſſum ſtudiosè, pro ratione admenſorum donorum & aſſignata gregis Dominici portione, obſervatum mihi eſſe ſanctè profiteri poſſum. Et nunc quidem, ut tandem aliquando publicæ compellationi publicè reſpondeam, hac pro libertate Eccleſiaſtica tuenda defenſione me, ut nunquam tui, ſic neque tam charo pectore ductarum adhortationum immemorem fuiſſe teſtatum facio. Particulares quidem leges vel potiùs onera, ſpeciatim hîc non

non attingo: Sed in legiſlatorem ipſum feror: & eam authoritatem Tyrannicam, atque per nefas uſurpatam, quâ omnigenis decretis, Eccleſiaſticæ poteſtatis titulo & prætextu, onerata & grauata eſt, diſcutio. Huic autem Tyrannidi Eccleſiam infeſtanti, duplex opponitur Eccleſiaſtica libertas. Vna quidem corporis univerſi, & in eius compage cuiuſque membri, ex qua fideles omnes ab uno Chriſto, fide & conſcientiâ ſuâ, immediatè pendent; cuius reſpectu eos obteſtatus eſt Apoſtolus ut, cùm, *pretio emti eſſent, hominum ſervi, ne fierent*; prout & alibi ſe, alióſque ædificationi eorum, ab ipſo capite præfectos, *non dominari fidei ipſorum*, ſed *eorumdem gaudii adminiſtros eſſe* profeſſus eſt. Altera libertas eſt corporis illius quod Eccleſia repræſentativa dicitur; id eſt Paſtorum omnium, quorum *quiſque habet*, ut ait Cyprianus, *in Eccleſiæ adminiſtratione voluntatis ſuæ arbitrium liberum, rationem actûs ſui Domino redditurus*; vel etiam, ut idem alibi, *habet omnis Epiſcopus pro licentia libertatis & poteſtatis ſuæ arbitrium proprium, tanquam*

1. Cor. VII. 23.

2. Cor. I. 24.

Cypr. lib. 1. Ep. 1 & in Ep. ad Quint.

judicari ab alio non poſſit, cùm nec ipſe poſſit alterum judicare, ſed expectent univerſi judicium Domini noſtri Ieſu Chriſti. Inde, ab aliorum hominum jugo, in adminiſtratione ſua, liberi Paſtores, nec à cuiuſquam arbitrio judicióve pendentes, neque in ullius verba jurare addicti, ſic Chriſto ſubditi ſunt, ut, quando definiendum illis aut pronuntiandum eſt, illum ſolum reſpiciant, & verbo eius adhæreant, à quo ſolo judicandi ſunt & cui propriè ſerviunt. Vnde & Paulus: *Si adhuc hominibus placerem, Chriſti ſervus non eſſem.* Admodùm igitur ſacro miniſterio eſſentialis eſt illa libertas quâ ſublata qui ſe paſtorem profitetur, Chriſti ſervus reverâ non eſt.

Gal. 1. 10.

De utraque acturus, poſtremam hanc, à Papatu omnino ſublatam, tuendi partes præcipuè aſſumpſi. Neque verò ſtudio privato, vel cuiuſquam odio impulſus, aut quòd κατηγορίᾳ ἢ ἐλέγχῳ delecter, Pontificem Romanum impetere eſt animus. Sed rei ipſius neceſſitate & Pontificiorum importunitate nos, doctrinæ capita conſcientiam per ſe firmantia, & fidem in Chriſtum corroborantia,

rantia, lubentiûs tractaturos, eò râpi vel inuitos uſuvenit.

Ab aduerſariorum parte perpetuum differendi & diſputandi thema proponitur ECCLESIA; cuius qui audito nomine palleſcere nos imaginantur, eo certè ſe tutos eſſe, ſi re ipſâ non ſentiunt, ſaltem videri volunt. Et fieri non potuiſſe ut periret, atque per univerſum orbem ſparſam eſſe, nec jam cœpiſſe primùm, ſed perſeverâſſe, multis adſtruere moliuntur. Huic verò labori parcere poſſent, ſi tempus inutiliter terendi propoſitum non haberent. Nec enim controverſia propriè de Eccleſia, ſed pro Eccleſia eſt.

Nunquàm certè vel in Britannia Wiclephus, vel in Bohemia Huſſus, & Pragenſis Hieronymus, vel, diu poſt, in Germania Lutherus, & eius notæ alij, qui veritatis facem ſub modio latentem, ad errorum tenebras diſpellendas, altè ſuper menſam collocare primi, his poſtremis ſæculis, in domo Dei aggreſſi ſunt; Nullus, inquã, eorum domum illam periiſſe, ſeu Eccleſiam eſſe deſiiſſe, vel non clavium jus, non fœdus,

non adoptionem, non Baptiſmum, non verbum Dei,non vocationem ſupereſſe dixerunt; aut aliunde de integro aliam conſtrui domum, cæteráque omnia, ut prorſus amiſſa, novo quodam fœdere inito, concedi oportere docuerunt. Quinimò Eccleſiæ vicem doluerunt; & ſtatum ejus prorſus corruptum, ſive ejus regendæ rationem & formam, hominum Chriſto non ſervientium facto, perverſam & everſam jure indignati ſunt. Cæterùm corpori ipſi ex adminiſtratione iniqua, ſive potiùs ex dominatione Tyrannica, illata damna reſarciri, numulariorum menſas ſubverti, errores ab hominibus invectos corrigi, doctrinamque ex verbi divini præſcripto repurgari flagitârunt; ipſique facto ſuo, ex muneris demandati jure, tantum opus non ſegniter inchoatum indefeſſo ſtudio perſecuti, omnes exemplo, & ex divinis oraculis deſumptis argumentis, perſuadere conati ſunt.

Quam ineptum verò fuiſſet, Luthero de remiſſione peccatorum ex verbo Dei tractanti, & ſatisfactiones humanas, profanamque indulgentiarum

nundi-

nundinationem potenter impugnare occipienti, aliſque in Romani epiſcopi, communione adhuc perſeverantibus, Sacramenta tamen ſecundùm Domini inſtitutionem adminiſtranda aſſerentibus, quæſtionem de Eccleſia objici, vel tractandam proponi? Exinde autem, ad tantæ buccinæ clangorem excitatis innumeris Paſtoribus, Eccleſiis, Principibuſque & populis, queis cordi eſſet tam neceſſarium divinumque reformationis & correctionis opus; ſi Pontifex Romanus, corrigi aut argui non ſuſtinens, univerſos proſcripſit, & ferro flammaque barbarè in quos potuit ſæviit; ſi hominum ipſi peculiari Sacramento, aut potiùs execramento, devotorum congeriē coire voluit, qui, ipſius authoritate & inductione, in pios Chriſti ſervos, irrita, quia injuſta, anathemata jacularentur: Num ideò mutata quæſtio, aut prior ſopita lis eſt?

Fingunt illi quidem penes ſe nunc univerſum Eccleſiæ jus eſſe; ſive Eccleſiam catholicam, illius cœtûs qui Romano Pontifici paret, limitibus concludi; & Chriſtianæ fidei articulum

ex quo Eccleſia catholica ſtatuitur, ad Romanam particularem ſic univerſalis Eccleſiæ reductione factâ, evertunt. Ideò, aliis prioribus controverſiis ad tempus omiſſis, nos vnà cum Orientalium & Meridionalium Chriſtianorum maxima multitudine, in eos ad eumdem modum quo Catholici olim adverſus Donatiſtas, paria ſuæ factioni tribuere auſos, jure agere poſſumus.

Eccleſiæ autem noſtræ, nihil ſibi hac in parte arrogant, unde actorum partes illis præripiant qui adulterati divini cultûs, & alteratæ doctrinæ veritatis, rei ab iis peraguntur. Ad Eccleſiam enim univerſalem nos pertinere jure affirmamus, quos corpus ejus univerſum eſſe nuſquam diximus. Et Occidentalis Eccleſiæ partem nos, eadē cōtage infectam & Tyrannide oppreſſam olim, quâ nunc cum dolore animi acerrimo pereuntem videmus humanis cōmentis hærentem & Tyranno colla ſubdentem alteram, fuiſſe agnoſcimus; converſioniſque noſtræ, ab errorum tenebris ad veritatis lucem, Deo vocanti gloriam referentes, & gratias agimus.

mus. Quod veritatis reliquum eſt alteri illi quæ Romana audire vult, in integritate doctrinæ Chriſti & religionis puritate, retinemus. Ex inventione humana adjectitia, tantùm, rejicimus. Quo autem membrorum ejus maxima pars, (ii præſertim qui Eccleſiæ repræsẽtandæ & authoritatis ejus ſibi jus vẽdicãt,) noſtri reſpectu, planè deſtituuntur, charitate ſcilicet, in eam ſtudióque omnes abundamus. Illi quidem ſchiſma fecerũt, quod ab iis paſſi ſumus. Et veritatis odio, ſe à nobis disjunxerunt, quos eâ de causâ, immerentes à Chriſto & Eccleſia catholica abſcindere, nullo actu ſuo potuerunt. Et hîc quidem ignes tantùm & gladios nobis intentant: hac verò vitâ functis gehennam & inferos, furentes, vovent atque etiam decernere præcipitant. Sic eum perturbaturi qui cum Apoſtolo regerere non didicerit: *Mihi verò pro minimo eſt quod à vobis dijudicer, aut ab humano judicio: imò nec ipſe me dijudico.* 1. *Cor. IV.* 3.

At nos ſic, pacis ſpiritu afflati, affecti ſumus, vt de Dei populo, ex communis fœderis ratione, cenſeamus eos qui

captivi abducuntur, & Deo primùm conſecrati in alteram partem, ſeductione, trahuntur. Et domûs Dei partem eſſe novimus, in qua nundinationes exercentur; vel ad templum ejus pertinere illam quam occupat Antichriſtus, qui univerſam Eccleſiam ſubjugare nunquam poterit. Fœderis verò infractione, verbique quod & ipſis concreditum erat, contemtu, idolorum cultu, & vocationis ad ædificationem conceſſæ abuſu, perire fratres noſtros &, quaſi Molecho oblatos, igne conſumi, miſeret nos tæderque. Atque *utinam* & pauxilluli quod reſiduum illis eſt, & à Satana necdum prorſùs extingui potuit, Chriſtianiſmi ratione, *re-*
1. Cor. IV. 8. *gnum adipiſcerentur, ut & nos*, qui ſolis hæreditatem non adfectamus, *ipſis conregnaremus*. Certè ut nullus in eos charitatis officiis deeſſe ſtat ſententia, ſic neque ex eodem adfectu conteſtationes quærulæ, gemituſque & ſuſpiria, nobis conceſſabunt.

Vtquid igitur de Eccleſiæ, ut ita dicam, catholicitate, & eâ comprehendi neceſſitate, fratrum ſeductores nobis impor-

importuni ſint? Effugium eſt certè cō-troverſias in Eccleſia ortas tractari, ſuoſque errores notari, nolentium: artificium eorum qui, cùm in jus vocati ſint, actores ſe conſtituere nituntur. Sive enim publico judicio, ſive arbitrio privato, cauſa agenda ſit, ab ipſo principio id quod primò & præcipuè controvertitur, ſeriò rem cognoſci volentibus, ducendum exordium eſt; non in poſtmodùm adnatis, ipſo contentionis progreſſu, conteſtationibus hærendum.

Ideò certè, quandocumque Pontificius quiſpiam, de Religionis controverſis capitibus nobiſcum conferendi avidum ſe conteſtatus, continuò de Eccleſia ejuſque notis tractari petit; tum fugere eum, &, infirmitatis ſuæ conſcientiâ, controverſorum dogmatum diſquiſitionem vitare jure interpretari ſoleo. Si quis verò in Eccleſiæ noſtræ ſinu educatus, hærere ſe & in dubio eſſe nobiſcum perſeverare, an ad Pontificios tranſire debeat, profeſſus, eandem illam ſerram reciprocet, & de dogmatum veritate nihil quærens, de Eccleſia

ejuſque notis agi poſtulet: illum etiam, ſi prorſus ignarus non ſit & rudis, crucis & opprobrii Chriſti pertæſum, veritatiſque amore deſtitutum, mundo quomodocumque conciliari velle, & privatis commodis ſtudere, nullus dubito. Aut enim de ſua coram Deo juſtificatione, vel de cultu & Religione vera, diviniſque Sacramentis, anxius eſt, vel eo reſpectu ſecurus. Si eâ parte dubius hæret, nec de dogmatum veritate ipſi ſatis liquet, cur diſcuti nolit, & ſciens prudénſque in alienam quæſtionem delabatur? Cur, adverſariorum artes ſecutus, ſic veritatem fugiat, ut illi eam effugere conantur? Si autem verâ doctrinâ imbutum ſe ſemper ſenſit,& matrem illam quæ ipſum Deo conſecravit, atque in ſyncero ſacri numinis cultu religioſè continuit, fornicationis vel perfidiæ arceſſere non poteſt, utquid ipſi illa ſuſpecta ſit? Cúrve etiam, quia è calice aureo ſuis bibendum venenum propinet, non probato ſucco, & veritatis quæſtione remotâ, ſequendam cogitet?

Monſtro ſimiles ſunt profectò, qui, nimiùm

nimiùm quàm multi hodiè, ſeculi amantes, eorum dogmatum quorum nomine nobis primùm cum Pontificiis lis interceſſit, quæ varia & maximi momenti ſunt, prorſus obliti, à veritate ſibi cognita fiunt apoſtatæ: Poſteà verò neſcio quæ vana, inepta & ludicra, de ſucceſſione & antiquitate Eccleſiæ, aut Paſtorum vocatione, blaterant, vel grunniunt potius, margaritis conculcatis, porci; idque ne omninò muti eſſe videantur, homines αὐτοκατάκριτοι, & cauterio refectam conſcientiam gerentes.

Non deſunt tamen ex aduerſariis qui, quæſtionis reſtrictione & expoſitione, non uſque adeò rectæ rationi repugnare, ſuâ illâ poſtulatione ſolenni videri queant. Nec enim de Eccleſiæ eſſentia & eſſentialibus, quà univerſalis eſt, & ædificandos omnes ad Chriſtum vocatos complectitur, ſed de Eccleſiæ ædificantis proprietatibus, & authoritate præſertim, primò agendum cenſere. Et ædificantem Eccleſiam illis dici, non eam cujus membrum eſſe ad ſalutem cuique neceſſarium ſit, ſed ex ea corpus reſtrictum,

& compendioſum, Paſtorum & Rectorum illam repræſentantium, indeque repræſentativæ Eccleſiæ nomen ſortitorum. Etſi verò, aiunt, in eorum numero eſſe omnem ſalutem conſecuturum non ſit conſequens, cunctos tamen illis ſubdi neceſſe eſt; quia, nempe, ex Eccleſiæ illius rectricis authoritate, de omnibus controverſiis ſtatuendum ſit; ut quæ damnavit dogmata, nullâ alia diſquiſitione factâ, rejiciantur; nec ad Eccleſiam catholicam pertinere queãt, quos illa, ſuo judicio, reſecuerit. Sic de Eccleſiaſtico regimine, & ex Paſtorum authoritate propriè, quæ ipſis Eccleſiæ authoritas eſt, nobis tum præſcribere nituntur; dictúmque Domini de *Ethnico habendo qui Eccleſiam audire noluerit*, ut ſuo propoſito valde accommodum, ingeminant.

Matt. XVIII. 18.

Atque equidem eum qui, cùm in fratrem peccaverit, nec ab eo monitus, nec coram teſtibus de offenſa privata convictus, neque tandem ab ipſo Eccleſiæ particularis, cujus membrum ſit, Præſbyterio, authoritate Domini, obteſtatus, reconciliari velit, pro Chriſtiano

ſtiano habendum non cenſemus. Nã ad Eccleſiæ univerſalis repræſentativũ corpus memoratã à Chriſto cauſam remitti, aut in ultimũ ejus judiciũ de quo inſtitutus à Domino ſermo fuit recõciliationem differre potuiſſe, nolint ipſi adverſarii. Nec igitur de eo tribunali quod nobis objiciunt, dicto Chriſti mentio facta eſt; nec de ejus generis controverſia cujus noſtræ ſunt, hoc eſt de fide & vero cultu Dei, propoſita eſt hypotheſis, ut à quacunque particulari Eccleſia, pro ratione privatarũ offenſarum dirimi neceſſariò debere illas, inde inferri poſſit. Et regula eſt omnium Chriſto verè credentium, in quæſtione *de lapide angulari pretioſo*, vel de illius lapidis pretio & merito, Scripturarum ſacrarum doctrinæ, aduerſùs *ædificantium* reprobum judicium, adhærendum eſſe. Deinde & inter ædificãtes ipſos, Eccleſiasq; integras, de fide nunc controvertitur. Quid igitur in Paſtorum & Eccleſiarum diſſidiis facerent oves? *Audiant*, ſanè & diſcernant *Paſtoris* ſummi *vocem*; & ſic *alienum*, vel Eccleſiæ pelle tectum, *non ſequentur*.

Matt. XXI. 42. & 1. Pet. II. 7.

Ioan. X. 3. 5. 14.

Itaque adverſariorum ad propriam ſuam authoritatem, detorto Domini dicto, provocatio, merum eſt ludibrium, & hominum in ſua cauſa alios à ſe judices ferre non valentium deſperata, duntaxat, malignitas. Sic ad ipſam dogmatum diſquiſitionem, vel inviti, ſemper retrahi poſſunt. Nos verò ad divinarum Scripturarum authoritatem provocantes, & Moſen, Prophetas Apoſtoloſque audire paratos, ut ſuis decretis ſtemus ullo jure cogere nequeunt. Ideò ferro & igni tentant quod ratione non poſſe ſe vident.

Verùm enimverò, quia authoritatis Eccleſiaſticæ nomine pleriſque veritatis guſtu captis, & ultra progredi cupientibus, remoram adhibent, terroremque incutiunt, atque infirmis quibuſdam, ſuâ gloriatione, nonnihil ſcrupuli injiciunt; quaſi Eccleſiæ rectricis judicio damnatâ doctrinâ noſtrâ, ipſi ejuſdem decretis, ab univerſalis Eccleſiæ corpore reſecti & amputati ſimus: Haud incongruum fuerit adverſariis gloriationis hujus materiam eripi, anſamque præcidi; ut ſic, de via recta amoto of-

to offendiculo, nihil infirmos ab auditu verbi Dei prohibeat, aut properantes remoretur.

Quouſq; autem poteſtas Eccleſiaſtica extēdatur, operosè diſquirere & definire nihil hîc opus eſt. Negamus ex verè Eccleſiaſtica poteſtate ullū in nos extare decretum, ſive judicium; aut poteſtatem Eccleſiaſticam in iis qui decreverunt reſidere. Eos etiam quibus adverſariis tribuitur, Eccleſiam eſſe, ſive univerſalem Eccleſiā repræſentare, inficias imus. Quinetiam Eccleſiæ Occidentalis partem, quam ex adhærente labe Papalem dicimus, de doctrina noſtra cum libertate, ſine qua poteſtas nulla eſt, vel de nobis pronuntiâſſe, vel judicium ejus ſincerum audiri potuiſſe falſum eſt. Occlamârunt tantum è domo illa latrones intruſi; Tyrannus graſſator & illi adhærentes conjurati, illius Eccleſiæ cujus fauces oppreſſerunt ementito nomine, vocem in nos emiſerunt.

Eccleſiaſticam poteſtatem & judicandi decernendíque ſummam authoritatem penes Pontificem Romanum eſſe, in eóque reſidere, ſtatuunt

οἱ ϰ̀ ὑπατίαι. Eccleſiæ etiam regimen monarchicum eſſe, & ab univerſali uno Epiſcopo ſic pendere volunt, ut Concilia Epiſcoporum, niſi juſſerit, legitimè coire nequeant, nihilque ſtatuiſſe præſumantur niſi quatenùs approbaverit. Et ſic, ut ſacri Conſiſtorii ſenatores Regis ſubditos, quorum ille operâ & induſtriâ utatur, omnia authoritate ſuâ geſturus, Epiſcopos convocatos univerſali, & ſummo, Romano ſubjiciunt.

Greg de Val Analyſ. fid. lib. 8. c. 7.

Non putandum eſt, ait Gregorius de Valentia, *authoritatem unam infaillibilem habere Pontificem, alteram Eccleſiam, alteram Concilium. Quinimò illa ipſa authoritas quæ in uno Pontifice reſidet, autoritas etiam dicitur Eccleſiæ. Quippe cùm Eccleſia, nimirum, quoddam quaſi corpus ſit, cujus caput eſt Pontifex, proinde in ea quoque eſſe meritò cenſetur illa autoritas quæ in ipſius eſt capite. Atque eadem etiam Pontificis autoritas Conciliorum eſſe dicitur, quatenùs eorum acta & determinationes ille confirmavit. Et non alia diſtincta autoritas, ſed eadem uno quodam modo uſurpata ex multis, quibus poteſt Pontifex ſuam*

ſuam infallibiliter definiendi authoritatem exercere.

Sic Pontifex per Concilium poteſtatem quæ in ipſo reſidet exercet pro voluntate & arbitrio ſuo, cùm aliis multis modis idipſum poſſit. Quod ſi nõ omnibus Pontificiis id probatur, eo tamen pede res metiri ſolet, & ſic cuncta gerit ipſe cui ſubjiciuntur Pontifex. Et in Concilio Tridentino, omni adempta Epiſcopis libertate, ſic diſpoſuiſſe eumdem res ipſa clamat, & clarè etiam demonſtrat mira illius Concilii Suavis Polani nomine edita hiſtoria. Deinde & qui univerſalem fuiſſe Synodum volunt non ab univerſitate provinciarum per delegatos repræſentatarum, ſed ab univerſalis illius monarchæ autoritate talem prȩſuppoſuerunt; ſicque univerſalis Eccleſiæ judicium in nos factum, ex Pontificis ſuprema & generali poteſtate, pro fundamento præſuppoſita, adſtruunt.

Iam verò ſi ille caput Eccleſiæ non eſt, ſed in eam ſæviens Tyrannus; ſi falsò univerſalis & ſuprema authoritas illi tribuitur; ſi monarchicæ ejus authori-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

tati ſubditi, licentiâ & poteſtate arbitrii ſui, ut ab uno Chriſto judicandi & ei ſoli actûs ſui rationem redditurі, definire non potuerunt, ſed domini illius rejectanei definitionibus formandis induſtriam ſuam, ut ſervi, contulerunt: ſequitur nec in illo Eccleſiam locutam, quæ ſuâ authoritate ab eodem, ut uſurpatore, fraudetur; & cum eo non Eccleſiaſticos homines, ſed conſpiratos Eccleſiæ hoſtes pronuntiâſſe.

Iſthæc igitur omnis de Eccleſia, & ejus ſumma authoritate, controverſia, ad ſolius Pōtificis Romani univerſalem & ſupremam redigitur; quam ſi nec inſtitutione Chriſti conſtitutam, nec ſucceſſione Petri devolutam, nec priſcæ Eccleſiæ cognitam fuiſſe clarum evadat, nihil erit quod Eccleſiæ nomine glorientur poteſtatis & libertatis Eccleſiaſticæ oppreſſores, neque etiam Papatûs, & monarchiæ invectæ, hoc eſt tyrannidis & ab ea ſtantium, placita pro Eccleſiæ judiciis obtrudi poterunt.

Sanè ſi Pontificis Romani authoritas è cælo originem traheret, illicò parendum nobis eſſet. Quinetiam ſi vel injuſtè,

juſtè, ex ſuperbia, quandam tantùm ambiret honoris prærogativam, ex qua, primus ubique nominatus, ante alios ſederet: Romanæ ambitioni fortè cedere ſatius eſſet, quàm ut, unde nullum fidei detrimentum contingeret, motibus Eccleſia concuteretur. *Si tunicam* tantùm *capere vellet, dimitteretur & illi pallium;* & *angarianti ad miliare unum, iretur cum eo duo.* Matt. V. 40, 41. Eſt enim adeò *ſuave jugum* Chriſti, & *onus* ejus *leve*, ut modò ſub eo conſtitutis, *animorum* ex veritatis promiſſione neceſſariò conſecutura *quies* & pax inhæreat, cætera extrinſecùs advenientia haud magni fiant; & eorum quæ pretioſa dicũtur facilè jacturam faciant quibus maximum *lucrum* eſt *Chriſtus*. Matt. XI. 30 & 29. Nihil de lucro illo dematur, integerq; theſaurus ſervetur; & quæcumque conditio Chriſtiano vereque fideli tolerari poterit. Phil. I. 21.

Novit ille, ex ſpiritualis militiæ diſciplina, *deprimi & abundare: omnia valet per eum qui ipſum corroborat Chriſtum.* Phil XIV. 12. 13. Et *ordinationis Dei* cauſâ, *poteſtatibus ſubijcitur*, non ſolùm ob iram, ſed etiam propter conſcientiam; eò uſque ut ab hominib. Rom XIII. 1. 5.

iniquè impoſita onera, quæ hominem externum tantùm ſpectent, æquo animo ferat. Nam ſpiritualibus affixus, & in iis ſenſus acerrimi, in reliquis, ex mortificatione carnis hebeſcit. *Servus vocatus es? ne ſit tibi curæ*, ait Apoſtolus: *ſed ſi potes etiam liber fieri, potiùs eo utere.*

1.Cor.VII. 21.

Verùm ſecus eſt, quando oculi pupilla, fides, tangitur, & humanæ ſervitutis jugum animas premit, libertatemque Chriſti ſanguine partam eripere molitur. Tum ex ſenſu doloris acerrimo patientia rumpitur, & juſta indignatio in Chriſtiano pectore commovetur. Siquidem eâ occaſione non moveri, haud patientiæ & tolerantiæ virtus eſt, ſed negligentiæ & ſtupiditatis ignavæ vitium. Nam quæ *omnia fert*, ſeu *ſuſtinet*, *charitas per fidem efficax eſt*; ut adversùs fidē nihil agere vel ferre queat. Quamobrem, ut Diabolo inimicum eſſe & ejus conatibus obſiſtere nolle, non eſt pacifici & mitis Chriſtiani officium: ſic hominum impiis adversùs Domini mandata auſibus cedere, Deo rebellare eſt; & non reſiſtere, impia ignavia.

1.Cor.XIII. 7. Gal.V.6.

Ac Romani Pontificis Tyrannis, Eccleſiæ

cleſiæ & membrorum Chriſti libertatem directè oppugnat & opprimit; conſcientiis autem ſervitutem, ſibi in fidem dominium parat. Nam cùm ex verbo Dei ſit fides, illud ipſum authoritate illâ ſupremâ, quam per nefas ſibi arrogat, ut fundamento niti vult; ut Scripturæ credamus tantùm quatenùs illam pro authentica habendam eſſe decreverit. Nec ejus ullum ſenſum amplecti permittit, niſi quem ipſe commentus ſit; neque eam legere cuiquam fas eſſe ſtatuit, niſi cui juſſerit aut conceſſerit. Sic in Deum cultus univerſus, & imperata Religio, hominis erit mandatum: præſtita verò & exhibita pietas, erga eum hominem qui ſupra omne numen extollitur, futura eſt obedientia & obſequium. Atque adeò tantum Deo credetur & Chriſto, quantum homini illi præſcribere placuerit. Et, quemadmodùm idololatris olim exprobravit Tertullianus, *niſi homini Deus placuerit, Deus non erit: homo iam Deo propitius eſſe debebit.* Tertull. in Apolog. contr. gent.

Mirum eſt autem quàm aſtutè & callidè, quàm diligenter apud nos Ie-

ſuitæ Monachíque univerſi, & quotquot curiæ Romanæ favorem ambiunt, laborent ut id effectum in ſuis reddant, eos alioqui pro Eccleſiæ filiis non habituri. Adverſùs fundamenta Scripturarum ingentia edunt volumina. In edita etiam vernaculo ſermone Biblia debacchantur; & textum ipſum originarium certum eſſe negant, Hebræorúmque fontes, & Græcam veritatem, corruptionis arguunt. Quinetiam Latinam vulgatam verſionem imperfectam & in multis mancam eſſe docent; ut nihil niſi quod ex ſcrinio pectoris Pontificii ductum eſt, certum & indubitatum, ad fidem firmandam, eſſe perſuadeant. Ideò & multis adſtruere conantur, nullum ex Scripturæ verbis conſequens ab iis quibus non ſit annexum infallibilitatis in doctrina certiſſimum privilegium, certò & ad fidem ingenerandam elici poſſe.

Atque etiam quantis (Deus bone!) technis, cavillis, captionib. & ſophiſmatis, ludũt, deluduntque, ut quocumque modo in via Scripturarum pergenti offendicula undiquaque objiciant, quæ,

Digitized by Google

ex pietate & veritatis amore, vel ſi ab aliis poſita inveniſſent, amoviſſe debuerant! Et hæc omnia ut tandem fidei, & Religioni, ex Scripturarum authoritate, earumque meditatione & applicatione ſtudioſiſſima, locum ullum eſſe negent; atque adeò homines, per varios amfractus circumactos, eò adducant ut, vel omiſſis Scripturis, quas habere plebeis peccatum mortale ſit, in ἀλόγιστῳ fæce volutentur; vel certè, quod & atheis facile ſit, unico & indubitato, ſi diſplacet, authoritatis Eccleſiæ fundamento (non autem diſquiſitionibus rerum aut cognitione ex verbi divini luce) nitantur, & fidem nihil aliud quàm Eccleſiæ decretis aſſenſum putent; Eccleſiæ autem cujus infallibilis illa autoritas in Pontifice reſideat, quo reſpectu ipſe fundamentum illis eſt.

Non eſt igitur exigui momenti illa de Pōtificis Romani autoritate quæſtio, de fundamēto fidei & religionis Pōtificiorum inſtituta. Et eam ad unici Eccleſiæ univerſalis fundamenti (Chriſti nēpe) fidem conſervandam, ex veritate definiri & ſolvi admodùm utile eſt. Quia etiam

ab iis qui regimen Eccleſiaſticum, quod plurium æqualium eſt, unius invecta Tyrannide, abrogarunt, pedibusque autoritatem ejus conculcârunt, falsò Eccleſiæ nomen obtenditur: de Eccleſiæ rectricis jure tractatur, quando adverſùs uſurpatam ejus detrimento autoritatem diſputatur. Atque etiam quæ in veritatem ipſam, & ejus ſequaces nos, præjudicia ſolĕt objici, ipſa vanitate vaniora eſſe arguuntur, & à tam iniquis & indignis iudicibus manare demonſtrantur, ut etiam *de talibus dedicatoribus damnationis noſtræ gloriari* meritò queamus.

Tertull in Apol de Nerone, *qui primus Romæ in Chriſtianos Cæſariano gladio ferociiſſe reperitur.*

Cùm autem ante annos quatuor, noſtratium nobilium quibuſdam, controverſiarum definiendarum compendia quærentibus, animadverſum eſſet eò ferè, adverſariorum non tam judicio, quàm præjudicio & cauſificationibus, omnes de fide quæſtiones devolvi & recidere: Ideò colloquium inter utriuſque partis ad id ſelectos, de hoc argumento inſtitui expetiverunt. Atque, ab ipſa origine rebus petitis, quale regimen Chriſtus dominus in domo & Eccleſia ſua perpetuò ſervandum

ſta-

Digitized by Google

ſtabiliverit; ex ſacris literis diſquiri primò voluerunt, deinde & veterũ ſcriptorum teſtimoniis, priſcæ Eccleſię praxim obſervari. Ego verò ab una parte, cum alio collega meo tum advocatus, ſeriò cuncta ad eam quæſtionem facientia obſervare & expendere ſtudueram; ex ejuſmodi colloquio, tanquam ſilicum colliſione, ignem veritatis emicare, & adſtantium cordibus ejuſdem favillas concipi poſſe ſperans. Sed conatus noſter fruſtrà fuit; quia cùm vela dare adverſarii occepiſſent, τῆς μεθοδείας τῆς πλάνης vado, ſive conſequentiarum non admittendarum communi ipſorum effugio, argumentatione ſuâ alliſiſſe convicti, nullâ noſtrâ effugii utrimque pariter rejiciendi oblatâ conditione, ut in altum pergerent induci potuerunt; & ſcopulum pro portu occupârunt fortiter. In patrum verò ſcriptis evolvendis, nos tantùm ut Grammaticos, Græcorum & Latinorum vocabulorum, aut etiam ſententiarum, interpretes, vel potiùs ſuæ ipſorum interpretationis teſtes, admiſerunt; diſputare & ratiocinari nos haud paſſi. Sic nihil actum eſt; & nonnihil egiſſe ſe, quibus id ipſum

propoſitum erat ut nihil ageretur, non immeritò illi duxerunt.

Ne verò quæ ut aliis profutura meditatus erã, effluerẽt; ea maxima ex parte, ordine diſpoſita, chartæ mandavi poſtea; in eo quorundam meorum in ſacro Miniſterio collegarum conſilium ſecutus. Cenſebant illi ex ædificatione Eccleſiæ futurum, ſi quæ prolixiùs & ſeparatim, de hoc argumento, ab excellentiſſimis noſtræ ætatis ſcriptoribus tractata eſſent, ſimul collecta, breviùs exponerentur. Quia enim eorum nonnullis adverſarium aliquem κατὰ πόδας ſequendi conſilium erat, ideò & ejuſdem ordini adhærendum illis fuit. Alii autem ex ſcripturis tantùm, ordinem à Chriſto inſtitutum tuendum aſſumpſerunt. Quidam verò, patrum duntaxat teſtimonia ex profeſſo perſequenda aggreſſi ſunt; vel etiam prophetiis (de apoſtaſia à fide, & regiminis Eccleſiaſtici everſione, Antichriſti operâ, futura) exponendis immorati, credentes corroborârunt, & in ipſa quæſtione ſimplici non inſtructorum, nullâ quidem ſuâ culpâ, animos exacerbârunt.

runt. Non igitur ſuperfluum fore exiſtimabant illi, quos dixi, ſi ordine proprio & ad quæſtionis ſimplicis omnia capita complectenda accommodatiſſimo, de origine prima & iure divino, ex Scriptura, ut fundamento, nec non ex Patribus ut ſecundariis teſtibus, Scripturarumque pro demenſo interpretibus, tractaretur; deinde & Eccleſiæ priſcæ praxis ex priorum puriorumque ſeculorum ſcriptoribus obſervaretur.

Poſtremam etiam hanc de facto inquiſitionem, non variarum ex patribus deſumptarum ſententiarum farragine inſtituendã, ſed per quatuor aut quinque ſecula ſic ordine decurrendo, ut & lectori facile eſſet cuiuſvis ævi ſigillatim animadvertere doctrinam, & adverſario cuivis, ſi quid valde notandum omitteretur, ſuo loco annotare promptum. Id verò, & in rudiorum gratiam, cum ſimplicitate & integritate præſtare conatus eram; nec quicquam, ſciens prudénſque, quod ab adverſariorum parte aliquid valere videretur, inexaminatum, addo & non ſolutum, vel fractum, transfixumque præterire

conſtitueram. Non eloquenter quidem, & cum orationis ornatu, ſed nec etiam ſine argumentorum pondere & nervis; ut, ſaltem velut caprarum pelles, ad tabernaculi Dominici tegumentum, id qualecumque operis offerre non dubitarem.

Scripſeram enim patrio ſermone, popularibus noſtris & pro tempore prodeſſe cupiens. Neque ultra litoris noſtri oram, quaſi exteris & doctis legenda mihi ſcriberentur, volare auſus fuiſſem. Idcirco & amicorum monitis, qui ut diſſertationem illam, Gallicè editam, Latinam facerem hortabantur, aures occluſeram. Verùm cùm viri qui, ob inſignes dotes & eximios pro ædificanda Eccleſia labores, apud bonos omnes authoritate pollent, idem poſtularent: eò, averſum me anteà, inclinarunt. Impulit verò, & quaſi neceſſitatem impoſuit, vir reverendus, ut de Eccleſia ſic de republica literaria optimè meritus, quem honoris cauſa nomino, SIMON GOVLARTIVS, Genevenſis Eccleſiæ Paſtor, qui ut ſi mihi non vacaret, id alteri à ſe deligendo permitterem literis flagi-

flagitavit. Tantis igitur authoribus auſus ſum quod alioqui non eſſem aggreſſus; & libertate uſus, pauca detraxi, plura adjeci, multáque, ut mihi commodum viſum eſt, mutavi.

Tibi verò primò multùm colende mihi & dilectiſſime frater, legenda hæc exhibeo, cui & eorum plurima accepta refero. Tu enim ſtudia mea foviſti, & exemplo, ſcriptíſque doctiſſimis, uſque facem prætuliſti; ut te alterum parentem verè nuncupare poſſim. Et te talem etiam nunc filio meo natu maximo, ſacræ theologiæ fontibus nunc primùm labra admoventi, & apud te hoſpitio excepto, præſtas. Non igitur tibi ingratum erit quòd gratitudinem meam hic profitear, commodiùs aliàs non potuiſſe ratus. Quia item te Dominus in almam Batavorum Academiam, ad puram theologiam profitendam, & unà cum doctiſſimis collegis communicato labore, novatorum averruncandos errores, vocavit, inde tantis locorum intervallis disjuncti, ab amplexu mutuo & colloquio prohibemur. Tu tamen quàm multis diſputationibus, lectioni-

bus, & commentariis elaboratiſſimis doctiſſimíſque, ad me frequenter tranſmiſſis; damnum quod ex abſentia tua ſentio, reſarcire, vel cum emolumento, ſatagis. Ego veiò par pari referre non aſſuetus, hoc tibi pauxilluli laboris rependo; in eóque noſtræ non communis φιλαδελφίας, & meæ in te ſingularis obſervantiæ, teſtamen publicum extare volui. Tu æqui boníque conſules. Cæterùm vive & vale, eius cui viuis ope & gratia; at ex fratris unici, ut tibi addictiſſimi ſic & coniunctiſſimi voto. Talliaburgo Santonum, prid. Kal. Octobr. ann. M. D C. X X I V.

LIBER-

LIBERTATIS
ECCLESIASTICÆ
Defenſio:

SIVE,

Aduersùs poteſtatem & authoritatem ſupremam, quam Romanus Pontifex ſibi in Eccleſiam univerſalem arrogat, tripertita, pro præſumptorum fundamentorum numero, diſſertatio

GVILIELMI RIVETI,
verbi Dei Adminiſtri.

PRimâ parte, *quæ pro origine Pontificiæ elationis in Petro Apoſtolo, inſtitutione Chriſti, ex Scripturis, Romanenſes proferunt, diluuntur.*

Secundâ parte, *Succeſſionem in jus Apoſtolicum, præſertim ipſius Petri, quam ut Romano Epiſcopo propriam vindicant nec ulli inſolidum, nec peculiari ratione Pontifici competere probatur.*

Tertiâ parte, *priſcæ Eccleſiæ, uſque ad ſextam poſt Chriſtum natum ætatem, vſu & ſuffragiis, poſtmodum exorta, aut certè firmata, tyrannis clarè ſubruitur.*

Digitized by Google

PARS I.

De origine ſupremat ûs Pontificji in Petro, inſtitutione Chriſti ex Scripturis falsò aſſignata.

CAPUT I.

Quæ ſit Eccleſiæ Romanæ de dignitate & authoritate Pontificis ſui vel ſententia, vel præſumptio; unde controverſiæ ſtatus, tum etiam quid de Petro quærendum ſit, aperiatur.

FILIUS ille perditionis, qui in ſacrum Apoſtolorum chorum, Domini dignatione, adſcitus, poſtea *à miniſterio & Apoſtolatu aberravit ut abiret in locum ſuum*, quum primùm in Dominum inſurgere auſus eſt, honeſtæ cauſæ patrocinio, per hypocriſim, contectus procedit, pauperum Advocatus, cui reſiſtere nullus niſi egenis adverſus poſſe videretur. Verùm Spiritus ſanctus, prætextûs ſpeciem à cauſa genuina diſcernens, perdito homini pauperes curæ minimè fuiſſe teſtatur; quinetiam *ideò quod fur eſſet*, & pecuniæ per ſummum ſcelus corradendæ tum inhiaret maximè, quum charitatem in egenos obtenderet, laudatiſſimæ mulieri moleſtum fuiſſe pandit.

Act.I.25.

Ioh.XII.5.6.

Nobis ſanè cum iis hominibus lis eſt, quibus S.Petri memoriā exaltare, laudéſque prædicare, vel maximè cordi eſſe quis exiſtimare queat; quibus ex amore in Chriſti ſervum vehementiſſimo, ex ſublimium donorum ab ipſo Domino libe-

liberaliſſimè collatorum, & ex laborum ingentium quos fortiſſimus athleta exantlavit, agnitione ſyncera, verba educi videri poſſint. Suam illi adverſum nos defenſionem præcipuè contexunt ex ejus exaltatione quem contemnere planè impium ſit; certè quavis ratione quicquam de laudibus ejus demerè, odioſum.

At enim, ſi de juſtis in tantum virum perſolvendis agatur, memoria ab obliuione vindicanda, dotibus celebrandis, laboribus agnoſcendis, nullius curæ, aut ſedulitati, cedere velimus. Abſit, ſanè, ab oculis noſtris in eum livor malus, quod Dominum in ſe optimum ſit expertus; aut ut illi ſimus ullo modo infenſi, cui Chriſtus impensè favit!

Quinimò ſancti Apoſtoli honori egregiè conſulimus quicunque Petri nomine, per nefas abutentibus ut ejus obtentu, Romanum Pontificem ad faſtigium ſingularitatis evehant, & in Dei locum conſtituant, ſtrenuè reſiſtimus; ne ſub obſervantiæ in Petrum prætextu, foveatur ambitio hominis ἀνόμου, dum pro Petro verba faciunt, ἐν προφάσει, quibus, hâc quidem in parte, minimè curæ eſt Petrus, ſed ille, duntaxat, cujus erigendo throno homines mercenarij, in Eccleſiæ perniciem, ſuam operam locârunt. Id quidem res ipſa, per ſe, ſatis clarè eloquitur; tractatus verò noſter, Deo juvante, in probationum & demonſtrationum progreſſu, digito commonſtrabit.

Stupet aliquis ad eum cultum qui Romano Pontifici à ſuis exhibetur, ad poteſtatem & authoritatem quam ille in ipſos ex imperio ſummo exercet? Non tollerandum videtur univerſam

Eccleſiam,fidem,Religionis Chriſtianæ ſtatum, unius hominis arbitrio ſubjici, & ab ipſius libidine pẽdere? Cõtinuò Petri tibi pretẽditur nomen: Audis Petri authoritatem, ſedem, patrimonium, &, quos ille ſe minimè habuiſſe teſtatus eſt nummos. Quorſum verò de Pontifice quærenti de Petro reſponſum refers? Nempe, TALIS INSTITVTIONE, ſive conſtitutione, CHRISTI FACTVS EST PETRVS, qualem hodie Romana Eccleſia credit eſſe Pontificem.

Hæc propoſitio eſt ſolennis,quam è cathedra, ut vocant, Mediolano Santonica Canonicus BERNARDVS PRVESTVS, & è Collegio Ieſuitico Socius PETRVS TEXTOR, uterque doctoris titulo apud ſuos gaudens, ſibi ex Scripturis probandam aſſumpſerunt. Hinc & nobis de hac controuerſia ſcribendi nata eſt occaſio, ad veritatis defenſionem, ejúſque ſtudioſorum, quibus nondum clarè patet, inſtructionem, & confirmationem eorum qui cùm, ex patris luminum gratia & dono ejus cognitionem aſſecuti ſint, tamen nondum valentiores facti, audacibus dictis & promiſſis hominum, quibus tantùm verba dare ad oſtentationem animus eſt, nutare poſſent, & ex confidentiſſima aſſeveratione mendacij,in dubio hærere.

Ad rem ipſam quod attinet, ut uno verbo ijs qui tali adſertione ſuo Pontifici ſupremam in Eccleſiam uniuerſam authoritatem adſtruere tentant, etiam præcludamus, ſuffecerit à Petro ad Papam negare ſequelam; ſive ex privilegijs Petri, ſi fortè eò uſque provehantur, ſartam tectam manere rem Romanam; aut rectè credere Ponti-

Pontificiorum gentem quæ de authoritate Epiſcopi Romani palam profiteat. Id ipſum eſt enim quo de quæritur; cum Petro verò nulla nobis lis eſt. Nam ſi Pontifex non eſt quod fuit Petrus ex inſtitutione & vocatione Chriſti, quorſum in exponendis Petri muneribus negotium faceſſas; ut quæ alteri competere pernegamus, ejus eſſe confirmes? Nullus certè, me judex, in Titij gratiam de patrimonio litem intentantem, ad Sempronij jura diſcutienda adigat, quæ ſua ille vel ceſſione, vel ſucceſſione, nō clarè priùs probaverit. Nullus Philoſophus, poſitâ quæſtione, ferat in ijs quæ cum extremis non cohærent; nec propriè media ſunt, aberrantem; quia ſc. in ejuſmodi tempus terere, à quæſtione regredi eſt: Quemadmodum ſi quis propoſito problemate de actione virtutis, velit de coloribus diſputari; aut de natura lapidis, in quæſtione an anima hominis ſit immortalis.

Iure igitur ageremus, ſi de Petro cum aduerſariis diſputationem, in quæſtione de ſuprematu Pontificis Romani, nullam inſtitueremus, priuſquam, ut par eſt, clarè eum eſſe jure, idque omni ex parte, qui fuit Petrus, ex Chriſti inſtitutione, quod ipſi in caſſum tentabunt, probâſſent. Verumenimverò adeò illis in uſu eſt Petri nomine, cùm primùm res Papæ agitur, aures adverſarijs obtundere; ſibique blandiri, ut apud homines rem ipſam non ſatis æquâ lance penſantes, illa juſtiſſima agendi ratio pro diverticulo, & effugio ejus qui ſe in ipſa cauſa parum firmum ſentiat, traduci poſſit. Quapropter cùm ad propoſitionem publicè vētilatam reſponderemus, primùm negavimus poſſe probari de Petro quæ ab adverſa

riis adfirmantur, nóſque contrarium ex ſacroſancto Dei verbo demonſtraturos recepimus: Deinde, ſecundò, Papam Petro, in peculiaribus prærogativis, ſuccedere inficiati ſumus. Eum ordinem, ædificationis gratiâ, nunc etiam obſervaturi ſumus; quamvis poſtremum hoc, jure ipſo & ratione, priùs diſcutiendum foret. Sed parum oberit inverſus ordo, cùm horum neutrum omittere ſtet ſententia.

Quia verò ea, quam dixi, theſis noſtræ diſſertationis argumentum eſt, neque etiam inexplicata nobis prætereunda eſt. Subjectum ipſum uno verbo ſatis clarè exprimitur, ut Petri nomine Apoſtolum illum eximium qui etiam Simon, vel Simeon filius Ionæ dictus eſt, intelligamus. Attributum verò ita exprimitur, ut aliunde planè ejus petenda ſit expoſitio; nempe ex Eccleſiæ Romanæ ſententiæ, quam præciſè & clarè de Pontifice ſuo expreſſit, declaratione. Poſtea demum videbimus an cothurni Herculis, ſive gigantis, Romulidæ Petro aptari poſſint; an etiam utrúmque eodem pede metiri liceat.

Porrò ad eam quam intendimus diſquiſitionem, nullius momenti fuerit obſcurorum hominum, & qui ſibi famam apud ſuos nullam editis ſcriptis, communi ſuffragio comprobatis pepetere, teſtimonium. Audiantur ſanè authores Eccleſiæ Romanæ qui de hiſce rebus ſuorum cum laude ſcripſerunt; Canones item & decreta Pontificum, quæ rejicere hâc in parte non poſſunt adverſarij; ut nec etiam nobis injuriam fecerit qui, ad dogmatum noſtrorum declarationem, confeſſiones publicas Eccleſiarum Reforma-

formatarum, aut celeberrimorum in iis Doctorum ſententias, produxerit. Quandiu certè utrimque ad hunc modũ agetur, neque fucis, neque calũniis reliquus erit locus. Atque adeò nobis tũ nullo jure, declamatoriè (quod fecit, antequam progreſſi eſſemus in hac probatione, non nemo) putidas & rancidas in priſcos Christianos calumnias, de quibus *Tertullianus & Minutius Fœlix conqueſti ſunt olim*, quis objiciat. Neque enim ſic cum veteribus illis actum; nec illi ægrè tuliſſent quod æquiſſimum eſt. Non eſſe etiam authorum obſcurorum aut minimè probatorum habendam in hâc parte rationem ultrò damus; inſupérque eorum qui in authoribus non recenſentur dicta, ne pili quidem ducenda dicimus. Quod autem *adulterinos canones & gloſſas ſuppoſititias* commemorare prævertunt adverſarii, jubeo eos eſſe ſecuros, neque inde à nobis quicquam ſibi metuere.

Diſcurſ Al. pag. 16.

Non eſt certè fictitius ille canon qui extat apud Gratianum in decretis: *Satis evidenter oſtenditur à ſeculari poteſtate nec ſolvi prorſus nec ligari Pontificẽ, quem conſtat à pio principe Cõſtantino Deum appellatũ: cùm nec poſſe Deũ ab hominibus judicari manifeſtum ſit.* Eũ canonẽ decreti reformatores, à Gregorio 13. ad id muneris demandati nõ expunxerunt: & Coeffetæus, qui Epiſcopi Dardaniæ inani titulo non diu ſibi plauſit, in examine myſterii iniquitatis, eumdem ut oraculum divinum tuetur. Non eſt etiam gloſſa illa conficta, quæ dicit: *Credere Dominum Deum noſtrum Papam non potuiſſe ſtatuere prout ſtatuit, hæreticum cenſeretur.* Si quos verò adverſariorum tantæ blaſphemiæ pudet tæderque, no-

Diſtinct. 96. can. ſatis evidenter.

Extra vag. Ioann. 22. cùm inter, in gloſſa, Edit. Lugdun. ann. 1555. & Pariſ. ann. 1513.

Digitized by Google

rint ſe non inde purgatos quòd in noſtros qui annotarunt ingrati,invehantur.

Ejuſmodi multa colligere,citra cujuſquam injuriam, promptum foret. Poſſint etiam Romanenſes ex ſuorum ſcriptorum ſententiis quibus Regum authoritas pedibus conculcatur, non injuſtè gravari. Sed non ea nobis eſt mens, neque adeò fuit, ut crimina illa craſſiora,quorum pleroſque pudet,in medium,quaſi cunctis inſultandi & exprobrandi animo,proferremus.Sufficiat recepta, duntaxat, communiter dogmata proponere, ut eorum abſurditate patefactâ, oppoſitam veritatem ex affectu charitatis demonſtremus.

I. Pontifex Romanus à ſuis omnibus *Romæ Epiſcopus* habetur, & creditur prout ipſi Pontifices olim in Epiſtolarum inſcriptionibus & Synodorum ſubſcriptionibus profitebãtur;& patet in Epiſtolis Leonis I. & ſubſcriptionibus Sardicenſis Concilii.Nec nunc etiam qui amplioribus titulis ſuperbiunt, anguſtum illum rejicere tutum putant. Authores ipſi theſeôs *Romæ Epiſcopum miniſteriale caput univerſalis Eccleſiæ habitum fuiſſe* ſcripſerunt.

Bellarm. de Pontif. lib. 1. cap. 12. art. 16.

II. Quod *in Apoſtolatu cõtinetur primò,ut qui Apoſtolus eſt, ſit immediatus verbi miniſter, ita ut ab ipſo Deo doctus ſit & ſacros libros ſcribere poſſit*, agnoſcunt adverſarii non eſſe muneris Papalis: *Hoc*, inquit Bellarminus, *fatemur non convenire in Romanum Pontificem*.

Id eod. lib. 1. cap. 3. art. 1. & 15. 16.

III. *Caput* verò *corporis Eccleſiæ*, uno ore,ipſum ſalutant, qui pedibus ejus oſcula figere non detrectant; quod etiam rectè factum Bellarminus authori-

authoritate Chalcedonenſis Concilii probare nititur. Idem hoc capitis attributum ſic interpretatur: *Ut Chriſtus eſt ſummum caput quoad influxum interiorem: ipſe enim influit in ſua membra ſenſum & motum, id eſt fidem & charitatem: Sic Papa in Eccleſia militante eſt ſummum caput quoad influxum exteriorem doctrinæ fidei & ſacramentorum.* *Id de Eccl. milit lib. 3. cap. 5.*

IV. Papa ab iiſdem dicitur *Monarcha ſpiritualis in toto orbe, quòd præſit omnibus Chriſtianis toto orbe diffuſis*, eodem teſte controverſiarum celebri ſcriptore, qui propterea multùm laborat ut probet *Monarchiam eſſe optimum ac præſtantiſſimum regimen*, & inde eliciat *Eccleſiæ regimen debere eſſe Monarchicum.* Eodem fine Sanderus operi ſuo quo Pontificiam authoritatem propugnare & tueri contendit, de *Monarchia viſibili* titulum indidit. Etſi autem non omnibus probetur Alvari Pelagii & Auguſtini Triumphi aſſertio, dominationem directam tẽporalem in univerſum orbem habere Põtificem, *eſt tamen*, inquit Bellarminus, *Catholicorum Theologorum communis ſententia Pontificem ut Pontificem, ratione ſpirituali, habere ſaltem indirectè poteſtatẽ quandã, eamque ſummam in temporalibus.* Baillius etiã Ieſuita, in Catechiſmo quem ex mãdato Cardinalis Archiepiſcopi Burdigalenſis edidit, ad quæſtionem *an à capite viſibili in terra regatur Eccleſia*, reſpondet *eſſe ſummum paſtorem & legatum generalem in terra, qui gregi fidelium præſidet*, functionémque ejus *Monarchicam & principem* eſſe, cujus reſpectu Apoſtoli & cæteri Epiſcopi fuerint Petro ſubalternati. Gregorius de Valentia ait, *Solum Pontificem Romanum præditum eſſe supremâ poſt Chriſtum poteſtate in omnes fideles*; uno verò in *Eccleſiam*

Bellar. de Pontif. l. 5. c. 2. art. 5.

lib. 1 cap 9. art. 1.

Alv. Pel. de planct Eccleſ. cap. 1; Aug. Tr. de ſum. poteſt. Eccl. quæſt. 1 a. 1.

Bell. de Pont. l. 5. c. 1. a. 4.

Baill. tract. 2. quæſt. 4. Gal. *Monarchique & princeſſe.*

Greg. de Val. Analyſ. fid. lib. 8. c. 7. *§. iam conſirmo.*

Ibid. §. ad octav. pag. 116. Edit. Par.

totam collectivè conſideratam. Ac diſcrimen, inquit, *diligenter perpendi debet quod eſt inter poteſtatem Eccleſiaſticam Chriſti Vicarii, & poteſtatem cujuſpiam alterius monarchæ ſeu principis ſecularis. Princeps enim ſecularis poteſtatem ab ipſa communitate cui præeſt obtinuit. Unde fit ut quibuſlibet partibus cõmunitatis ſuperior ſit, nõ perinde autem totâ ipsâ cõmunitate conjunctim ſpectatâ, ſaltem in omnibus caſibus. At verò Chriſti Vicarius ſupremam poteſtatem accepit propriè ab ipſo Chriſto, non ab Eccleſiæ communitate, quâ proinde non ſolùm diviſim, ſed etiam conjunctim ſpectatâ in omni caſu ſuperior eſt.*

Bell. de Pont. l. 1. c. 31. a. 21.

V. Eccleſia Romana Pontificem ſuum pro *ſponſo Eccleſiæ* habet, ſicque appellatum in Concilio generali Lugdunenſi ſcribit Bellarminus.

VI. Poſtremò, omnium Pontificiorum calculis, Papa *Summus* eſt *Pontifex* vel *Sacerdos.* Eum nempe ſic communiter indigitant; nec in re adeò manifeſta teſtimoniis opus eſt. Hoc tamẽ notatu dignum eſt, Bellarminum, cùm controverſias ſuas diſtribueret; ſecundam *de Chriſto* inſcripſiſſe; tertiam verò, quam de Papa duntaxat inſtituit, de SUMMO PONTIFICE ſimpliciter cognominâſſe. Quaſi ſcilicèt, Chriſtus non ſit ſummus Pontifex, aut is titulus κατ' ἐξοχὴν Papæ conveniat.

Fateor tamen, quod verum eſt, non conſentire in omnibus eos qui adhærent Pontifici Romano, in quæſtione de poteſtate ejuſdem cum œcumenici & generalis Concilii authoritate comparata, qui tamen omnes Papæ ſoli Concilii indicendi jus tribuunt, & penes eundem ordinariam Eccleſiæ poteſtatem reſidere volunt.

Sic univerſis & ſingulis colla ſubdere libet jugo

Digitized by Google

go extravagantis de Majoritate & obedientia, Canone *unam ſanctam*, ubi Papa, in propria cauſa judex ſedens hæc eructat: *Subeſſe Romano Pontifici omnem humanam creaturam, declaramus, dicimus, definimus & pronuntiamus omnino eſſe de neceſſitate ſalutis.* Hanc verò ſubiectionem præcipuè locum habere volunt reſpectu definitionum & judiciorum in controverſiis fidei & morum. Sic Bellarminus: *In hac ipſa diſputatione de Pontifice, cùm oſtendimus ſummum Pontificem caput & Paſtorem eſſe totius Eccleſiæ, quid aliud oſtendimus quàm eſſe eum ſummum judicem in Eccleſia? Aut enim nullus eſſe debet inter homines judex, aut is debet eſſe qui cæteris præeſt.* De Pont. lib. 4. c. 1.

Neque id puto in controverſiam unquam eſſe revocatum. Gregorius etiam de Valentia, cùm dixiſſet *Pontificem ipſum Romanum eſſe in quo reſidet auctoritas quæ in Eccleſia extat ad judicandum de omnibus omnino fidei controverſiis*, id ipſum confirmat quia, *ita* inquit, *perſuaſus eſt ille hominum cætus qui Romano Pontifici paret. Quem certum veram eſſe Eccleſiam, neque falli poſſe, hactenus à nobis demonſtratum eſt.* Analyſ. fid. lib. 7. c. 1. pag. 59.

Si qui tamen ex eo cœtu reverà non ita perſuaſi ſunt, eoſdē rogatos velim ut ubi ſe minimè peti ſentient, certaminis duntaxat ſpectatores ſedeant. Cæterùm, ſic omnes gradus abuſivi exceſsûs ordine annotare inſtituimus, ut qui hac diſputatione noſtris argumentis nullâ in parte redargui ſe profitebitur, à nobis in hac quæſtione omnino ſtare judicandus ſit.

CAP. II.

Exponitur quid contra ſentiant Orthodoxi,

& apertâ quorundam Pontificiorum in quæſtione proponenda affectatâ ambiguitate & inconſtantiâ, genuinus controverſiæ ſtatus demonſtratur.

IAM ſi ad propoſitionem illam, quæ talem inſtitutum eſſe Petrum à Chriſto ſupponit, qualem Romana Eccleſia ſuum credit Pontificem, adjiciamus ea quæ ex probatiſſimis ejuſdem doctoribus de Pontifice dicta præcedenti capite inſeruimus, remanebit explicatior hæc theſis nobis oppugnanda: *Petrum talem à Chriſto conſtitutum qualem ſex articuli quos expreſſimus prædicant Romanum Pontificem.*

Nos verò, primùm adſerimus ea quæ duobus primis attributis comprehenſa ſunt, multùm derogare Petri dignitati, quæ longè excellentior eſt quàm ut iis cancellis includi aut contineri poſſit. Certè tantùm abfuit ut ipſe eximius Dei vir, vocatione Chriſti in munere ſuo confirmatus, ſe Epiſcopum Romanum profiteretur, ut ſpeciali revelatione vocationem Gentium diſcere opus habuerit; alioqui hominem Romanum Cornelium minimè inviſurus; ut conſtat ex Actorum cap. 10. Fuerat is Apoſtolus reatus ad prædicandum omni creaturæ, quod Epiſcopatum ſingularem unius urbis longè tranſcendit. Deinde in eundem injurius fuerit, & in veritatem Dei peccaverit palàm, qui ipſum immediatum verbi Miniſtrum fuiſſe, aut Canonicos libros ſcripſiſſe, aut reſurrectionis teſtem oculatum extitiſſe, negaverit; quemadmodùm Romano

mano Pontifici hæc non convenire ipſi docent adverſarii.

Negabunt adſertores ſibi unquam in mentem veniſſe ita ſtatuendum eſſe de Petro, ad illa attributa quod attinet, ut de Pontifice ſuo fatentur ipſi. Nec ego, ſanè, putem quemquam eorum quæ ſcripſêre aliter intellexiſſe, quàm ut quacumque eminentiſſimæ dignitatis & authoritatis ſibi arrogat Pontifex, Petri primùm fuiſſe credantur, ut jure hæreditatis univerſa vendicentur Papæ; ita ut ex iis in quibus inferiorem illum fatentur Apoſtolis, nulla ex parte fiat deterior Petri ſors, in his quæ cum aliis collegis communia habuit. At quia nullam adhibuerunt diſtinctionem, neceſſum nobis fuit, ſi non eorum damnare errorem, certè negligentiæ ipſorum ſubvenire hac veritatis manifeſtæ obſervatione; quæ, etſi non ut argumentorum vi, in diſſertationis progreſſu ab invitis extorta, tamen, ut ultro conceſſa, non parum lucis, ad ea ipſa quæ controvertuntur diſcutienda, allatura eſt. Inde enim patet quæcumque de Petro dicũtur ratione Apoſtolatûs, ex quo immediatus verbi Miniſter & reſurrectionis dominicæ oculatus teſtis fuit, libróſque Canonicos edendo fidem fundavit credentium, nihilo magis cauſam Pontificiam juvare quàm jura & prærogativæ illuſtriſſimi regni Cancellarij, quibus propter gradum illum peculiarem gaudet, faciant ad judicis cujuſdam reſtrictioris juriſdictionis, inferioriſq; poteſtatis, comprobãdam quam ipſe velit authoritatẽ ſummam; etiãſi uterque togatus juri dicundo præfectus ſit. Nã nõ rectiùs quę ut Apoſtolo orbis univerſi aliqui conveniunt, de Epiſcopo urbis ſingu-

laris inferuntur.

Ad quatuor igitur articulos ſequentes noſtram redigi diſquiſitionem neceſſe eſt; & quæ ab adverſariis indefinitè enuntiata ſunt, certis terminis definiri par eſt. Nam ut indefinitam eorum propoſitionem generalem faciamus, prohibet obſervata exceptio, ex qua patet futuram rũ manifeſtè falſam reſpectu articuli primi & ſecundi. Si verò ita particularem eam facias, ut tantùm ſtatuas Petrum Chriſti vocatione, ſive inſtitutione, in quibuſdam talem conſtitutum qualis creditur à ſuis Papa, nihil ponis cuiquam controverſum; quia tantumdem reſpectu Paſtoris cujuſque, quà Paſtor eſt, necnon cujuſvis Chriſtiani, quatenùs *ad lapidem vivum* Chriſtum, 1. 1. Pet. 12. 4. 5. *accedẽs & ipſe ædificatur*, collatione cum Petro inſtitutâ, dici poteſt. Verè, inquam, in quibuſdam Petrus à Domino cõſtitutus eſt quod & ille; Paſtor, ſcilicet, vel lapis vivus Chriſto inædificatus. Ideò ſiquis, profeſſus probationem earum rerum de quibus, in cauſa *Pontificia*, quàm dicunt, *omnipotentia*, nobis lis eſt, nihil aliud tamen demonſtrare aggrediatur, ludos duntaxat fecerit. Supereſt igitur ad quatuor articulos ſequẽtes redacta propoſitio, ut dũ quæ iis cõtinentur Romana Eccleſia aſſerere intelligitur, nobis tum clarè negantibus, adverſariis quidem ἀιτιάσεως & probationis, orthodoxis verò κατηγορίας & refutationis, incumbat labor & negotium. Negamus enim talem à Chriſto conſtitutum Petrum qualem ibi profitentur Pontificem Romanum: Negamus, inquam, 1. ut dogma ab hominibus confictum, nulliúque Scripturarum teſtimoniis firmatum.

Digitized by Google

tum. II. Ut honori Chriſti (cujus tituli,& prærogativæ ipſi ſoli convenientes, homini peccatori tribuuntur)detrahens. III. ut Apoſtolos de gradu proprio & munere dejiciens.IV.ut quod miniſterium vertat in dominatum. V. Quod denique Eccleſiam univerſam ſubiectam ſervámque miſeri hominis efficiendo,libertatem in quam aſſeruit eam Chriſtus ipſi eripiat.

In his verò, ad hunc modum ſigillatim expoſitis,ſtatus controverſiæ verè conſiſtit; cùm quia de iiſdem adfirmant adverſarii ſimpliciter, nos verò negamus, tum quia nihil eſt in quo invicem, ad hanc materiam quod attinet, repugnemus,quod non perſpicuè & clarè his quatuor articulis comprehẽdatur;ad quos habito reſpectu, negamus de Petro quod adfirmant illi.

Nobiles quidam viri noſtrates,cùm de his inter ſe ſermones ſererent, *capitis totius Eccleſiæ* titulo quæſtionem univerſam complecti exiſtimantes, an in Pontificem Romanum jure divino conveniret, colloquio & diſputatione virorum doctorum diſquiri optabant.Neque ſanè immeritò; quia uno verbo plæraque comprehenduntur quæ à nobis expoſita ſunt clariùs quàm vocabuli unius brevitas ferre poſſit.

Quos autem ex adverſariis advocârunt illi,nihil non ambiguum aut confuſum aſſerturi, *Miniſterialis* adjectum illi capiti, de ſuo capite, addiderunt: & perperam, quia de diſtinctione *capitis miniſterialis*, quam implicare contradictionem dicimus, inter nos & ipſos non convenit. Notum eſt autem controverſiæ ſtatum iis terminis qui contendentibus utriuſque partis ita pro-

bentur ut de eodem adfirmatio unius partis, alterius oppoſita negatione impetatur, comprehendi debere. Quamobrem, ut convenienter procedamus, ſuo loco diſtinctionem illam examinandam ſervabimus; quæ, quia nobis abſurda eſt, in principali quęſtione collocari rectè nequit.

Non minùs ab iiſdem actum eſt captioſè, quum in eo controverſiam conſtitui ſcripſerunt, *an Petrus fuerit fundamentum*; *an*, item, *primus*. Sic enim inexplicatis terminis, nec ad certam definitámque ſignificationem redactis, nõ occurrit ex parte noſtri ſimplex negatio quæ ipſorum adfirmationi opponatur, ut ex contradictione cõtroverſia formetur. Apud authores, ſanè, Eccleſiaſticos, atque adeò in ipſis adverſariorũ ſcriptis, fundamẽti attributum, ad Eccleſiã relatum, eâ acceptione non infrequenter reperias quâ omnibus Apoſtolis in communi, imò & aliis nonnullis aptatur & applicatur. At nunc de prærogativis Petro peculiaribus, & quas unus & ſolus ſuprà alios ſit conſecutus, quæritur: de communibus ejuſmodi, minimè.

Quod ſi noſtrorum quibuſdam Petrum, aliósque Chriſti ſervos, quocumque modo, fundamenta Eccleſia dici non probetur, tantùm iis de vocabuli illius ſignificatione & applicatione, ex uſu Scripturæ, lis eſt, ſi tamen lis, cũ iis qui hoc quẽ diximus reſpectu Petro & collegis tribui non iniquo animo ferũt: de doctrina verò nullũ inde certamẽ. Si verò quiſpiã dicat Petrũ fuiſſe à Chriſto ſingulariter inſtitutũ fundamẽtum, ita ut ratio ſit quędã formalis & eſſẽtialis hujus appellationis quæ Petri, aliis excluſis, eam propriam & pecu-

peculiarem faciat: tum quidem negare promptum nobis fuerit; deinde & probationes propoſitas minimè ad dictum ejuſmodi conditionibus auctum pertingere, demonſtrare haud difficile. Sed quia ſecus factum eſt, de eo attributo fundamenti in examine & confutatione argumentorum, quæ ad probationem ejus quod præcipuè & primò controvertitur, ab adverſariis proferuntur, commodè tractaturi ſumus.

Eadem ratio alterius tituli, nempe *primi*, qui pluribus modis poſſit concedi, pluribus item negari, nec ideò quod controverſum eſt ſatis explicat: Niſi fortè ad eum modum quo à Gregorio de Valentia definitus eſt, reſtringatur. *Hoc ejuſmodi primatûs nomine*, inquit, *nihil aliud intelligimus quàm talem authoritatem cui* omnes *fideles parêre debeant in utroque foro interno & externo, in iis quæ,* ad *mores vel* ad *cultum ſpectãt, vel* ad *fidẽ id eſt in negotio ſalutis.* Verùm primatus, vel, ut ita loquar, primitas quâ quis primus dici poteſt, hoc per ſe non ſignificat, ſed potiùs annexę conditiones, quarũ probatio aliunde quàm ab unico vocabulo neceſſariò petenda ſit; quia primi nomine dũtaxat poſito, nõ ideo cõſequatur illa. Certè nõ ita facili negotio ingẽs opus perfici poteſt, ut viſum eſt iis Pontificiis qui cùm Matthæum in catalogo duodecim Apoſtolorum, quorum nomina recenſet, Petrum ordine primum ponere & dicere annotâſſent, egregiam ſe operam navaſſe arbitrati ſunt. Cæterùm qualecumque inde argumentum nectant, non inſolutum in pertractanda ſuprematûs quæſtione prætteribimus.

Greg. de Val. Anal fid l. 2. c. 1.

Pari itidem fraude iidem illi, fucum facientes,

Digitized by Google

quartò, comprobaturos ſe receperunt, *Petrum Paſtorem univerſalē à Chriſto inſtitutum fuiſſe*; quaſi hoc poſito, omni ex parte ab aliis poſtulata ſedulò, & ab ipſis confidenter promiſſa, circa quæſtionem de capite Eccleſiæ, plenè illis præſtita confectaque forent. Facilè verò prudens lector animadverſurus eſt ſic minimè facta dictis reſpondiſſe. Paſtoris munus, quod & omnium eſt Evangelii miniſtrorum, quis Petro deneget? Univerſalis etiam dici potuit quilibet ex Apoſtolis, ratione inter ipſos communi; quatenus, nempe, non fuit certis locorum aut perſonarum cancellis circumſcriptum eorum officium. Nam mandatum illis fuit à Chriſto ut *docerent* OMNES GENTES & *Evangelium* OMNI *creaturæ prædicarent*. Quod ſi *univerſalis* titulus Apoſtolorum uni peculiariter, aliis excluſis tribuatur, ſitque, (ut Gregorii verbis utar) *ſingularitatis vocabulum*, cum eodem Gregorio reſpondebimus *Petrum univerſalem Apoſtolum non vocari*; hoc eſt culmen ſingularitatis, cui omnes ſubalternati & ſubjecti fuerint, clarè reiecturi ſumus, explicatione autem deficiente, non occurrit ſimplex negatio affirmationi eorum oppoſita; neque ex indefinitis & illimitatis, quantùm ad ſignificationem, vocabulis formatur controverſia.

Matt.28.19. *Marc.16.15.* *Greg Epiſt. ex regiſt.l 4. indict :3 cap. 76. Ep.32.*

Ex hac autem adverſariorum inconſtantia, clarum eſt neſcire eos quo primùm pede incedant, in ambiguitatum ſpinis deliteſcere, & ſub generalibus indiſtinctiſque vocabulis ideo ſe abdere quòd cauſæ ſuæ, ſi nullo fuco obducta producatur, parùm fidant. Hinc eſt quod liberè & aperto ore eloqui detrectant, quantumvis ingentes

Digitized by Google

gentes pro ea tuenda animos piæ ſe ferant. Dicatur, ſanè, Petrus *primus* & *fundamentum*, & *Paſtor univerſalis*. Sunt & apud adverſarios horum vocabulorum acceptiones, ad quas habito reſpectu, poſſimus non refragari, omni ex parte firmâ & immotâ ſtante doctrinâ noſtrâ, quam diximus ex diametro oppoſitam quatuor illis articulis poſtremis quos ex authoribus Pontificiis deſcripſimus. Nolle quæſtionem veram attingere, planè certamen detrectare eſt: &, proculdubio, turpiter terga dant, qui coloribus duntaxat fucum facere conantur iis quos non attente rem ipſam conſideraturos cenſent.

Cæterùm integra adhuc remanet controverſia, circa ea quæ à nobis ex Eccleſiæ Romanæ penu deprompta ſunt, quæ latere voluiſſent iſti. In iis re vera affirmant ſimpliciter, nos negamus. Atque utinam ſuæ eos puderet adfirmationis, noſtræque negationis, ſubſcriberent! Nihil ampliùs foret controverſiæ. Verùm quia ſecus res habet, rationes quibus affirmationem ſuam ſuſtentant, examinaturi ſumus; demonſtraturi, itidem, noſtræ negationis oppoſita fundamenta, ut inde veritas eluceſcat.

CAP. III.

De capitis totius Eccleſiæ titulo, eidémque annexis Pontificiorum obſervationibus: talem à Chriſto non fuiſſe conſtitutum ullum oſtenditur: diſtinctionibus capitis Miniſterialis & viſibilis explaſis, ſenſus loci

Paulini 1. Cor. 12. 21. aperitur; Patrum dicta quadam & eorumdem ſensûs exponuntur.

NUNC igitur remotis homonymiarum ambagibus, & clarè poſitâ controverſiâ, cominùs concertandum eſt, & ex inſigni titulo *totius Eccleſiæ capitis*, & explicationum Romanarum, articulo tertio inſertarum, additamentis, ducendum exordium eſt.

Quibus tantæ dignitatis honorem & prærogativam Chriſtum Dominum Petro Apoſtolo tribuiſſe, & inſtitutione ſuâ firmâſſe, perſuaſum eſt, iiſdem, dubio procul, ſuæ ſententiæ ex ſacris ſcripturis comprobandæ onus incumbit, ſi quibus Divini Teſtamenti teſtimoniis eam inſtitutionem demonſtrare poſſint. Aſt, in primo limine lapſi, quia ſolidi quo figant veſtigia nihil illis occurrit, nullumque ſacræ paginæ dictum, quo directè & formaliter hæc Petri in caput Eccleſiæ conſtitutio enarretur, reperire poſſunt, in titulis *fundamenti*, *primi* & *paſtoris univerſalis* ſubſiſtunt, & ad locos ex quibus eos eruere poſſe ſibi videntur, confugiunt. Sed de his ſuo ordine & loco tractaturis nobis, inpræſentiarum annotare ſuffecerit, nullam demonſtrationem tituli quo de agitur, ex quacumque probatione horumce quos ſubſtituunt, fieri poſſe: Quia, nempe, ratio formalis capitis ſive quâ quiſpiam vel quidpiam caput eſt corporis, planè differt ab ea quâ aliquid fundamentum eſt, aut etiam aliquis Paſtor generalis ſeu particularis. Rationes verò *primi*, & *capi-*

Digitized by Google

capitis, ſaltem formaliter differunt; nec inter ſe convertuntur hæc attributa.

Sanè, in corpore humano, caput & fundamentum immane quantum diſtant, ut ſitu ſic officiis! Ædificiorum item in imis fundaméta ſunt: caput, in eóque frontiſpicium, in anteriore parte conſpicuum eſt. At Chriſtus fundamentum eſt, & caput ædificii, & corporis Eccleſiæ; non quod unum idemque ſint, ſed quia uni illi accidit earum denominationum rationes formales, quantumvis inter ſe differant, convenire.

Haud magis Paſtor, reſpectu gregis, caput eſt, cùm de grege non ſit quà paſtor, ſed ſuper gregem conſtitutus; Quamvis etiam Chriſtus ſit caput & Paſtor. Eſt enim utrumque diverſis de cauſis, quarum una ad ſingulos in Eccleſia fideles, ut membra ſunt, reſpectum habet; altera eoſdem ut oves ſpectat. Et illa quidem vnionem internam, hæc verò externam aſſiſtentiam, præſupponit. Cæterùm univerſalitas & particularitas ad formam rei non pertinent, ſed ad extenſionem objecti circa quod Paſtoritium munus verſatur.

Sunt & plures rationes quibus aliquis *primus* dicatur, per quas corporis caput non ſit; ex quo patet nunquam eo nomine ſimpliciter demonſtrari poſſe quod, eo poſito, non ſequitur officium. Quamobrem aliunde conquirendæ ſunt probationes quibus ratio formalis capitis demonſtretur; quæque adeò fidem faciant, non primatûs ſimpliciter, ſed ejus primatûs qui eſt capitis in corpus ſuum & membra corporis. Alioqui, ſanè, etiam probaturus es aliquid ho-

minem eſſe, quia ſit animal; rationem formalem, ex qua homo eſt, ne attingens quidem. Certè hominem non eſſe oportet, ſed planè ἄλογον, ſaltem ratione non utentem ſed abutentem, eum qui ſic inferre velit.

Eſt igitur evidentiſſimum adverſariis, eò confugientibus, nihil ſuppetere quo hanc, præcisè conſideratam, capitis appellationem Petro vendicent. Etſi verò ſimpliciter negantibus non ſit neceſſe affirmativæ ſententiæ probare oppoſitum, id tamen, ad clariorem veritatis demonſtrationem præſtabimus; idque prolatis ſcripturæ teſtimoniis, quæ, nullo diſcurſûs adhibito labore, cum propoſitione adverſariorum, de Petro capite corporis Eccleſiæ, conciliari poſſint; ita ex diametro pugnant.

Eph. 2. v. 22. 23.

Eumque (Chriſtum) *conſtituit caput ſuper omnia (ipſi) Eccleſiæ, quæ eſt corpus ipſius, & complementum ejus qui omnia implet in omnibus.*

Eph. 4. v 15. & 16.

U*t prorſus adoleſcamus in eum qui eſt caput (nempe) Chriſtus: ex quo totum corpus congruenter coagmentatum, & compactum per omnes ſuppeditatas commiſſuras ex vi intus agente, pro menſura cujuſque membri, incrementum capit corpori conveniens ad ſui ipſius extructionem per charitatem.*

Rom. 12. 5.

Multi unum corpus ſumus in Chriſto, ſingulatim autem alij aliorum membra.

En tibi *caput totius corporis*, quod *corpus unum eſt*: caput etiam cui corpus aptatum eſt, in id *datum Eccleſiæ ſuper omnia*; proinde non vna cum alio quo-

quopiam, ſive, ex aliis omnibus nullo in ſocietatem muneris admiſſo, nullo ſocio adſcito. Vides item aliumquemq; à Chriſto, qualis & quantus eſſe poſſit, in corpore illo ut membrũ in ipſo exiſtere, in eoque *vim agere pro menſura ſua*, non ex poteſtatis plenitudine: ut neceſſe fuerit Petrum ipſum unum è *multis* illis fuiſſe qui *corpus unum ſunt in Chriſto, ſingulatim*, autem, *alij aliorum membra*.

Certè quandocumque aliquid naturâ ſua, vel ordine ſuæ rationis quâ alicujus eſt, unius eſt non plurium, tum conſtat in eum non convenire de quo quæritur, quum alterius eſſe patet. Sic enim Philippum Galliarum Regem non eſſe demonſtratur, quum LUDOVICUS XIII. (cui longęvam vitam Rex Regum largiatur) nunc avitum regnum obtinere indicatur. Atqui nihil eſt naturâ magis unum, & rationis ſingularis, capite in corpore; quo demonſtrato, quodcumque aliud ab ejus ratione excluditur, niſi monſtra fingere lubeat.

Itaque indignum facinus eſt, eò audaciæ prorupiſſe homunculos, ut pro arbitrio Petrum, ſuumque adeò Pontificem, in caput Eccleſiæ quæ corpus eſt Chriſti aſſignarent; & quantum in ipſis eſt, ordinem corporis congruenter coagmentati ſolverent; membrúmque quod aliorum, duntaxat, commembrum eſt in corpore, capitis loco ipſi corpori præficerent.

Hîc verò, adverſariis idem quod primis parentibus, ſibi malè conſciis, conſilium; ficulnea folia, quibus turpitudinem ſuam contegant, ſedulò conſuunt; hoc eſt diſtinctiunculas inanes, quæ ſuâ levitate ventis ludibria debeant,

Petrum, aiunt, *Miniſteriale caput* duntaxat dicimus, item *viſibile*, cujus generis non eſt unicum illud quod Scripturarum authoritate commendatur. Sic effugere poſſe ſibi videntur. Verùm diſcuſſis & examini ſubjectis diſtinctionibus, planum fiet non ſatis aptas eſſe quibus ſibi inuſtam labem abſtergant, purgentque facinus quo hominem parum eâ, quę, Scriptura teſte, uni filio Dei convenit, qualitate induerunt.

In diſtinctionibus hæ leges obſervandæ ſunt: I. membra ſint duo oppoſita, ſecundùm rationes formales & oppoſitas. Sic in diſtinctione prima *capitis miniſterialis*, oppoſitum membrum erit *caput*, ut ita dicam, *dominativum*, ſive *dominans*; Rationes autem formales & oppoſitæ, erunt *miniſterium & dominium*. II. Rationum formalium inter ſe oppoſitarum nulla opponatur aut repugnet diſtincto. Exempli gratia, qui liberalitatem bonam à mala diſtinguere velit, in juſtam hanc legem peccaturus eſt; quia malum eſſe liberalitati, quæ virtus eſt, clarè repugnat. Id vitium in diſtinctione *capitis Miniſterialis* obſervandum venit: Siquidem miniſterium pugnat cum natura capitis & ratione formali qua aliquid caput eſt. Nam capitis prærogativa dignitatis & ſuperioritatis eſt in id quod ſubjicitur: Miniſterium autem, ſuo reſpectu, inferiorem facit Miniſtrum eo cujus miniſter eſt. Itaque caput Miniſteriale eſt caput non caput, ſuperius inferius, ſive chimæra.

Si regerant diſtinctionis architecti, caput Miniſteriale à ſe nuncupari, non reſpectu eorum quorum ſit caput, ſed reſpectu alterius ſuperioris

cujus

cujus ſit ſervus & miniſter in illa functione & munere capitis, ſive ſuperioris, in alios inferiores: Reſpondeo tum ab illis nullas diſtingui capitis differentes ſpecies, neque varios modos, quibus caput eſſe quiſpiam poſſit, obſervari, ſed diverſos duntaxat reſpectus ex quibus idem poſſit eſſe caput & membrum, ſuperior & inferior; quod ad rem nihil facit. Reverâ unus & ſolus Deus, quâ Deus, caput eſt ſubditorum, nullius verò miniſter; ſive omnium ſuperior, inferior nulli, quocumque reſpectu. Chriſtus verò, quà Mediator Dei & hominum, ita caput noſtrum eſt, ut eo ipſo ſit Patris, qui ipſum miſit, & ſuper omnia dedit ipſi Eccleſiæ, miniſter. Rex item, & quicumque hominum aliorum dominus vel caput dici poteſt, miniſter Dei eſt.

Nihilominùs, ſemper verum eſt nullum eſſe caput ejus cujus eſt miniſter, ratione eiuſdem miniſterii. Nec, ſi ſupponatur ut non abſurdum, eos juverit qui functionem illam capitis commentitii monarchicam & principem dicunt, id eſt illi dominium, quod miniſterio opponitur, tribuunt. Itaque adverſarii hac in parte, aut producunt quod ad rem non facit, aut pugnantia dicunt & quæ ſunt nihili, illudentéſque fumos venditant.

Poſterior diſtinctio, quâ *caput viſibile* ab *inviſibili* ſecernitur, viſibile eſt, & tantùm non palpabile, effugium. Viſibilitas quippe & inviſibilitas haud magis in rationem ipſam dignitatis capitis veniunt, quàm color aut quantitas; quia ejus qui caput eſt accidentia ſunt, quæ ad eſſe capitis nihil conferunt, neque mutant ſpeciem. Inviſi-

bile etiam dicitur propriè quod naturâ ſuâ videri non poteſt, nec viſui objici; ut ſpiritûs. Verum homo qui ab his aut illis videri non poteſt, propter abſentiam, & quia alio migraverit, inviſibilis non eſt. Itaque Chriſtus Ieſus, quatenus homo, cùm corpus verum retineat quod videtur nunc in cœlis, & videbunt aliquando qui foderunt; non poteſt niſi Marcioniticè dici inviſibilis. Nempe adverſariis ſol inviſibilis erit, quia noctu propter interpoſitionem terræ à nobis non videtur: vel etiam quum, ipſá meridie, nubibus denſis, noſtro viſui eripitur; quantâ mentis ipſorum calligine? Pontifex etiam Romæ habitans in palatio, vix urbis incolis ſemel in anno viſus, Pontificiis caput viſibile eſt totius Eccleſiæ, etiam ejus quæ ſit apud antipodas: Chriſtus verò, quia in cœlum aſcendit, iiſdem judicibus, eo in nos munere fungi nequit. Ideo miſerum homuncionem qui ejus defectum ſuppleat ſibi de-
Eph. 4. 10. poſcunt. Paulus, contra, aſſerit Dominum *aſcendiſſe ſupra omnes cælos ut impleret omnia*; docetque, poſt aſcenſum illum, ejúſque factam mentionem, *datum eſſe ſuper omnia caput Eccleſiæ.*

Exod. 32. *v.* 1. Sed patriſſant filij eorum qui dicebant Aaroni, *age, fac nobis Deos qui anteant nobis, jam enim Moſe viro illo, qui eduxit nos è terra Ægypti, quid factum ſit ignoramus*; nempe *quum viderent admodùm differre Moſen ex ipſo monte deſcendere.* Haud ſecus qui Deos palpabiles exoptant, & oculis ſuis objectas imagines adoraturi conſtituunt, idolum *capitis viſibilis* quod ipſis anteeat, præſítque comminiſcuntur; quia vident Chriſtum admodum differre quem promiſit è cœlis deſcenſum, quantumvis inde

capitis

capitis excellenter impleat officium, ut alio in locum ejus ſuffecto minimè ſit opus; non magis quàm quum Pontifice in ſancta ſanctorum ingreſſo, populus in atrio, ejus reditum expectabat, alium illi tanquam ab officio ceſſanti, ſubſtitui conveniens erat.

Viris tamen acutis ſine rationis obtentu non lubet inſanire. Itaque cùm ſui facti rationem ex Scripturis reddere nequeant, quædam proferunt quibus utcumque excuſari poſſe videantur; ne abſurdè, aut impiè, in Chriſtum caput Eccleſiæ, quam redemit ſuo ſanguine, injurii, Petro aut Pontifici Romano hunc honorem deferre dicantur. Proferunt igitur locos Scripturæ quibus *capita Iſraëlis* & *Iudæ* commemorantur, *Regéſque* & *mariti* capitis titulo inſigniuntur. Verùm illud, quod dicitur, nihil ad rhombum: Neque enim de capitis attributo ſimpliciter quæſtio eſt, ſed de capite Eccleſiæ ad ipſam ut ad corpus, & mēbra quibus conſtat, relato. Nihil ſanè prohibet quin, diverſis planè reſpectibus, hominum quidam aliorum capita ſint; nempe ſub alia ratione quam Eccleſiæ & membrorum ejus. Sic Rex caput eſt ſuorum ſubditorum, non quatenus corpus quoddam Eccleſiæ ſunt & Catholicæ pars notanda, ſed in quantum in corpus Reipublicæ coaleſcunt, & eorum quiſque corporis Politici membrum eſt. At eo reſpectu quo Eccleſia ſunt, Rex ipſe, unà cum aliis, membrum eſt ſub capite Chriſto. Sic etiam ita fuerit aliquis ratione ordinis œconomici, familiæ caput, ut Chriſtus unus & ſolus, nihilominùs, omnium eſſe caput perſeveret; patris, inquam, & liberorum, viri & uxoris,

Digitized by Google

quatenus membra ſunt corporis Eccleſiæ. Itaque ſimplicioribus imponere nituntur, duntaxat, qui vitrea ejuſmodi argumenta firmiſſimis è Scriptura probationibus opponunt.

At enim, aiunt, Paulus alicubi meminit capitis Eccleſiæ, quod aliud à Chriſto loci circumſtantiæ evincunt. *Non poteſt*, inquit, *oculus dicere manui, non eſt mihi opus te; neque CAPVT poteſt dicere pedibus, non eſt mihi opus vobis*; Atqui Chriſtus id poteſt, non tantùm pedibus, ſed etiam corpori univerſo dicere; Non eſt igitur Chriſtus illud caput.

1 Cor. 12. v. 21.

Quod pro comperto aſſumunt, poſſe Domino corpore & membris non eſſe opus, ut detur verum eſſe ad perſonam ejus ſimpliciter habito reſpectu, de eodem rectè negatur ratione officii Mediatoris, ſive quà caput datum eſt Eccleſiæ, quæ *complementum eſt ejus qui omnia implet in omnibus*: Nemo enim, complemento ſuo, quà tale eſt, non habere ſe opus profitetur; nec *ullus unquam carnem ſuam ipſius odio habuit; imo enutrit ac fovet eam, ſicut Dominus Eccleſiam.* Itaque ſi conſtaret Pauli dictum illud de capite ipſius Eccleſiæ intelligendum eſſe, nihil eſt quod cogat de alio à Chriſto capite cogitare.

Eph. 1. 23.

Eph. 5. 29.

Sed re verâ nihil hîc Apoſtolus de capite Eccleſiæ, qui de corpore humano ejúſque membris ſermonem inſtituit, ut ordine naturæ propoſito, poſtea demum, ſuâ applicatione quam ipſe clarè perſequitur, indicet quæ in Eccleſiæ compage, ſimili ratione, ordine gratiæ & vocationis divinæ obſervanda veniunt. Neque ulli Apoſtolicæ applicationis limites prætergredi, vel pro ſui cerebri vertigine, ſimilitudinem longiùs trahere

here, fas eſt. Certè in ipſo contextu comparationis, ſive ſimilitudinis partem utramque, πρότασιν & ejuſdem ἀπόδοσιν, cernere licet; ut in expoſitione primæ, cujus ſunt verba ab adverſariis prolata, minimè opus ſit ἀλληγορεῖν. Eſt enim comparationis integræ pars prima, ſimplex rei per ſe notæ deſcriptio.

Quod legitur ℣. 25. & 26. *indecora noſtri* (ſive, ut vertit vulgata, *quæ inhoneſta ſunt noſtri*) *copioſiorem decorem habent*, clarè indicat Apoſtolum non reſpicere ad quemque fidelium prout eſt membrum Eccleſiæ totius, ſed ad membra cujuſque noſtrûm prout *noſtri* ſunt partes, & noſtrûm quiſque, per ſe, integrum eſt. Quantas verò nugas egerit, qui in Eccleſiæ corpore *inhoneſta & indecora*, quibus plus ornamenti conferatur, definire velit? Prælatis certè & clericis, quibus ſolis, in Eccleſia Romana, *ornamenta*, quæ vocant, *Eccleſiaſtica*, ſumptibus communibus, comparantur, maximè conveniat pudendorum nomenclatura. Sed nihil horum ad mentem Pauli, quam ipſe diſertè à ℣. VI. ad finem capitis ſequentis expreſſit, ut inde quæ, & quomodo, ordini corporis humani in Eccleſia reſpondeant, petamus. *Vos autem*, inquit, *eſtis corpus Chriſti & membra ex parte Et alios quidem poſuit Deus in Eccleſia primùm Apoſtolos, deinde Prophetas, tertiò Doctores, deinde poteſtates, deinde dona ſanationum, ſubſidia, gubernationes, genera linguarum. Num omnes Apoſtoli?* &c. Ac ſi diceret Paulus, quemadmodùm in corpore humano vides oculos, caput, pedes, qui ſibi mutuam operam præſtant, ita diſtincta ſunt munia in Eccleſia; primùm quidem Apoſtolorum, &

Digitized by Google

cæterorum ſuo ordine, ut unoquoque ſuâ ſorte contento, quæ accepit in commune commodum ex charitate conferat.

Ex ea luce quàm profligatâ vanitate adverſariorum, illuſtretur doctrinæ noſtræ veritas, cuivis oculos habenti manifeſtum eſt; ſic illi nobis adjumento ſunt, utilia ſuppeditantes. Paulus, exactiſſimè ordinem Eccleſiæ deſcripturus, *Apoſtolos primo* loco, *Prophetas deinde*, *Doctores tertiò*, recenſet. Primi ergo ordinis munus eſt, non illud commentitium capitis viſibilis, vel functio monarchica & princeps unius, ſed Apoſtolatûs officium commune iis qui in eum ordinem, vocatione Domini, allecti ſunt. Alioqui ſanè, *caput* illud *viſibile* à Deo *primùm*, *deinde Apoſtolos*, *tertiò Prophetas* &c. *poſitos* dicendum fuiſſet. Nec peregrinata eſt Apoſtoli mens, ut vel minutias functionum Eccleſiaſticarum, ut ita dicam, unà cum præcipuis enumeranti, maximè principalem, quaſi ejus immemor, omiſerit.

Interim fateor ex priſcis Eccleſiæ Doctoribus nonnullos, eorumque exemplo poſteriorum expoſitorum multos, ad ea ipſa verba quæ propriè de corpore naturali dicta eſſe probavimus, allegoricè alluſiſſe, eaque quum de Eccleſiæ ordine ſcriberent uſurpâſſe. Verùm prærerquam quod ejuſmodi applicationes in tantùm duntaxat vim habent, quantùm aliunde res ipſæ probantur; ſic ab iiſdem aptatas eſſe conſtat, ut adverſarios nulla ex parte juvent.

Serm. 1. de natal. Petr. & Paul. Leo de Petro & Paulo diſſerens, *in horum excellentia gloriandum eſſe* dicit, *quos gratia Dei in tantum apicem inter omnia Dei membra provexit, ut eos in*

corpore

corpore cui caput eſt Chriſtus, quaſi geminum conſtitueret lumen oculorum. Sic Chriſto proprium capitis honorem tribuens, Petrum & Paulum pro geminis oculis habere ſatis eſſe ducit, eóſque æquales facit, à noſtris Pontificiis diſſidens.

Baſilius etiam magnus Occidentis Epiſcopos ſic affatur: *Sive caput res ipſos univerſalis Eccleſiæ reputatis, non poteſt dicere pedibus caput. Non eſt mihi opus vobis: Sive in reliquũ vos Eccleſiaſticorum membrorũ ordinem locatis, non poteſtis nobis dicere qui in eodem vobiſcum corpore conſtituti ſumus, Non eſtis nobis neceſſarij. Nam & manus mutuam inter ſe operam neceſſariam habent, & pedes mutuò ſeſe firmant, & oculi per concordiam habent quod objecta clarè ac dilucidè apprehendunt.* Hæc ille, ad Apoſtoli verba, proculdubio alludens: At nulli ſingulariter & peculiari ratione, aliis excluſis, quicquam expreſsè aptavit; ſed tranſmarinis Epiſcopis conjunctim & in commune conſideratis; nihilque ipſe categoricè adfirmans, ex hypotheſi exiſtimationis, ſive præſumptionis ipſorum, qua ſe, ſi fortè, caput ſive digniorem nobiliorémque partem univerſalis Eccleſiæ reputarent, infert non poſſe eos Eccleſias Orientis contemnere. Quinetiam, cùm non ſimpliciter & abſolutè ita de ſua præ aliis dignitate perſuaſos eſſe dixiſſet, aliam hypotheſin modeſtioris ſensûs ipſorum ſubjungit, in eaque ſola demùm (quod notandum eſt) ſubſiſtit; atque à capitis officio poſteà nullum ducens argumentum, ex reliquorum duntaxat membrorum (manuum, pedum, & oculorum) officiis, cõcluſionem ſuam de Occidentalium debitis auxiliis firmat. *Ep. 77.*

E

grum membris variis diſtinctum, prout eſt corpus humanum; ſed ut initium totius ex partibus ſimiliaribus compoſiti, quod ab ejuſdem progreſſu ſucceſſuq; diſtinguitur: Quemadmodum caput & fons ſalientis aquæ, ab eadem aqua in decurſu ſuo per canales & alveos deducta, diſcerni ſolet. Atque hoc ſenſu, caput non eſt membrum vel pars ab eo realiter differens cujus eſt caput, ſed res ipſamet in ſuo principio & prima origine.

Agnoſco ex coniũctione horum nominũ nondũ ſatis confirmatam hanc obſervationem; Sed Cypriani ipſius quę annotabim⁹ verba clarè probabunt eſſe ex mẽte ejus. Is poſt prolatas ſimilitudines *fontis*, *radicis*, *luminis*, hæc addit: *Sic etiam Eccleſia Domini luce perfuſa, per totum orbem radios ſuos porrigit, unum tamen lumen eſt, quod ubique diffunditur, nec unitas corporis ſeparatur*. Eccleſia igitur eſt, non ſingularis aliquis, ut Petrus, quæ radios porrigit; lux illa etiam quâ primo perfuſa eſt, & radii poſtmodum diffuſi, unum lumen ſunt, & reſpectu originis proceſsũque tantùm diſtinguntur. Sequitur immediatè: *Ramos ſuos in univerſam terram copiâ ubertatis extendit: profluentes largiter rivos latiùs expandit*. UNUM TAMEN CAPUT EST *& una* ORIGO, *& una mater fœcunditatis succeſſibus copioſa*. Vides caput & originem eadem ratione & ſignificatione diſcerni à rivis decurrentibus, atque etiam tum caput, tum rivos decurrentes, unam matrem dici fœcundis ſucceſſibus copioſam; quam qui Eccleſiam eſſe ignorat, & Petrum aut Papam eam eſſe dixerit, is vel ipſis infantibus, qui *mammam* ſuam, hoc eſt matrem

trem à *Pappa* ſuo, id eſt Patre, diſcernere nôrunt, infantior, vel deſperatæ improbitatis futurus eſt. Et hæc ſatis probant Bellarmino non defuiſſe rationes quibus ductus Cypriani fauces, ne clarè eloqueretur, compreſſerit. In ſumma ibi Pater ille ſimilitudinibus expoſuit quod ante ipſum Tertullianus ſic rotundè expreſſerat; *Itaque tot ac* *Tertull. de* *tanta Eccleſiæ una eſt illa ab Apoſtolis prima, ex quâ om-* *præſcript. c. 5.* *nes*: Illa nempe ab Apoſtolis prima, non Apo- *circa finem.* ſtolorum unus.

Chryſoſtomus verò, cujus teſtimonium profert adverſarius ex homil. in Matth. 55. magis è re ſua eſſe videri poſſit. Nam poſt Eccleſiæ mentionem, ſubjungit ille: *Cuius paſtor & caput homo piſcator atque ignobilis*; ſic caput Eccleſiæ Petrum dicens. Verùm quod nuſquam alibi apud eundem vel alium priſcæ Eccleſiæ Doctorem reperitur, poſſit quis non immeritò aliunde aſſutum ſuſpicari. Petrum *paſtorem futuræ Eccleſiæ conſtitutum*, paulò antè, verborum Chriſti ad Petrum ſenſum aperiens, ſimpliciter dixerat Chryſoſtomus: Hîc nihil cauſæ fuit cur illud *& caput* inſereret, ſententiâ alioqui integ â, & priori omni ex parte conformi, remanente ſi tantùm legatur, *cujus paſtor homo piſcator*. Sed ut detur, in ſermonis progreſſu, viro hyperbolis aſſueto illam capitis ad Petrum in Eccleſiam relati nomenclaturam ſemel in tot voluminibus excidiſſe, quis inde dogma ratum firmumque ſtatuat? Neque e- *Chryſ. ad po-* nim ſi idem de Antiochena Eccleſia verba fa- *pul. Ant.* ciens, orationis calore, eò fertur ut dicat *con-* *hom. 3.* *ſiderationem eſſe* περὶ τοῦ κεφαλαίου τῆς οἰκουμένης ἁπάσης, *de totius orbis capite*, ideò quaſi dog-

mate definito vel ex ſenſu ipſius Chryſoſtomi à fervore remiſſi, eam illi Eccleſiæ prærogativam remanere velint adverſarii ipſi.

Tertiò, ratione præeminentiæ communis eorum qui *primi*, ſive ut Paulus loquitur, primùm poſiti ſunt, & Petrus & collegæ capita à nonnullis Patribus vocantur. Quia verò Eccleſiæ dati, ejus ſunt etiam, prout ipſa eſt Chriſti; Ita eorum quiſque paſſivè, ſive poſſeſſivè Eccleſiæ dicitur caput: Non quia in Eccleſiæ corpus capitis authoritatem, quæ ſolius Chriſti eſt, exerceat, ſed quòd ipſi omnes ad Eccleſiam pertinentes, & in ea exiſtentes, diverſa ratione aliorum caput dicantur. Sic dicimus Regem, vel etiam regnum, habere ſua capita ſive duces, quos capitaneos vulgò vocant, qui non Regi ipſi aut Regno, ſed à Rege aliis, pro regni conſervatione, præficiuntur.

Cap. 8. Supereſt etiam poſtremò, diſtinctio *capitis figuratæ repræſentationis* ex Auguſtino, pleniùs alibi nobis obſervanda, ex qua Chryſoſtomi dictum modificari reſtringique queat. Nam cùm ejuſmodi ſenſum qui cum veritate & communi Patrum, ipſiusque adeò Chryſoſtomi doctrina congruit, ferre poſſit, rectiùs & meliùs in eum à nobis inclinatur, quàm ab adverſariis ad dogma non aliunde firmatum trahitur.

Eaſdem interpretationes, poſtremamque convenientiùs, Auguſtini teſtimonio quod idem Bellarminus ex ſerm. 124. de tempore profert, aptare liceat, Nec alioqui indubitatæ authoritatis ſunt ſermones illi, quorum plerique apud alios authores reperiuntur, nec Auguſtini ingenium referunt.

Itaque

Itaque omni ex parte vera & firmata, ex ſacris ſcripturis, ipſoque priſcorum Doctorum ſuffragio, domonſtrata eſt ſententia noſtra de titulo *capitis corporis Eccleſiæ*, quem proprium Chriſti, nullique hominum communicabilem diximus, Atque eadem operâ Eccleſiæ Romanæ falſum & erroneum dogma, de Petro à Chriſto in caput corporis Eccleſiæ conſtituto, funditus dirutũ eſt.

Nunc de influxu illo doctrinæ externæ & Sacramentorum, quem fictitio capiti ſuo proprium ſomniant adverſarii, pauca dicẽda ſunt. Eſt reverà nihil aliud, quàm malè ſani cerebri morbidus defluxus, & catarrhus, commentum illud. Quis Chriſti Domini vero zelo tactus adeò iniquam inter ipſum & Petrum, quaſi jure æquali, ab hominibus partitionem factam æquo animo ferat? Nẽpe ſi adverſariis credatur, penes filium Dei influxûs dũtaxat interni, & inviſibilis fidei & charitatis quã ſpiritus ſanctus in corda fidelium infundit, origo erit: At penes Petrum influxus doctrinæ, ſive verbi & Sacramentorum viſibilium, ſtabit. Hæc quidem enarrare, etiam refellere eſt.

Cui verò ignotum eſt à Chriſto primùm verbum doctrinamque, ortum ducere; Apoſtoloſque, priùs quàm docerent, ſummi Doctoris diſcipulos & auditores fuiſſe? Ab eodem pariter Sacramenta inſtituta, cujus vel mandato, vel etiam manu, participes facti ſint eorundem, antequàm adminiſtrarẽt ipſi? Horum igitur primus influxus viſibilis à Chriſto eſt. Deinde (ne forte Petrum inter Dominum alioſque medium faciant) nullum Apoſtolorum Petri diſcipulũ, ſed unà omnes ſub communi magiſtro condiſcipu-

Digitized by Google

los fuiſſe conſtat. Quinetiam omnium poſtremus vocatus Paulus, *Evangelium quod annuntiabat ſe non ab homine accepiſſe, neque edoctum eſſe, ſed per re-*
Gal.1.11.12. *velationem Ieſu Chriſti*, palam profitetur. Ex quo videre eſt eum (ut nec cæteros) à Petro minimè hauſiſſe doctrinam, vel ejus influxum excepiſſe, qui toto triennio Doctoris publici partes gnaviter egit, antequàm Petrum ſalutâſſet.

Eſto, inquies, Non omnes docuerit Petrus. Sed quid ſi cuncti poteſtatem docendi & ſacramenta adminiſtrandi, quia primùm à Chriſto plenitudinẽ poteſtatis ille acceperit, ex qua cæteri participatione, omnes ad unum hauſerint;
Annal. tom. 1. ad ann. 57. num. 28. 29 30. ipſi acceptam retulerint? Eo ſenſu Baronius *Chriſtum regnum & ſacerdotium ſuum in perſonam Petri tranſtuliſſe* affirmat. Huic commento refellendo ſufficiat in mittendis Apoſtolis verba Chriſti
Matth. 28. 18. 19. exprimere: *Omnis*, inquit, *poteſtas mihi data eſt in cælo & in terra: Ite, prædicate Evangelium &c.* Igitur ex plenitudine poteſtatis ipſius Chriſti, immediatè, omnibus & ſingulis Apoſtolis poteſtas data docendi eſt, ut influxui Petri in eoſdem, ejus reſpectu, nullus relictus ſit locus. Ioannes Chriſtum ſic Apoſtolos affatum eſſe commemorat: *Sicut*
Ioan. 20. 21. *miſit me Pater, ita & ego mitto vos*, & *quum hæc dixiſſet, afflaviſſe eos, & dixiſſe, Accipite ſpiritum ſanctum, Si quorum remiſeritis peccata &c.* Sic omnes ſpiritûs ſancti influxum à Chriſto immediatè acceperunt, unà cum poteſtate remittendi peccata; & omnes à Domino miſſi ſunt quemadmodùm Pater ipſũ miſerat; miſerat autem immediatè, nullo influxûs intermedio capite exiſtente.

Hinc

Hinc Apoſtolorum quiſque, ſine interventu Petri, ubi Deus viam aperuit; Evangelium annuntiavit; Pauluſque *contendebat evangelizare, non ubi nominatus eſſet Chriſtus, ne ſuper alienum fundamentum ædificaret.* Ipſe etiam ante viſum ſibi Petrum, ut ſuprà notavimus, docuit; qui ſe *Apoſtolum non ab hominibus neque per hominem, ſed per Ieſum Chriſtum* expreſſè dicit. Sic, nempe, influxum illum à ſe removet, cujus ratione Pontificii prælati ſe *Dei & ſedis Apoſtolicæ gratiâ Epiſcopos* profitentur. *Rom.* 15.20. *Gal.* 1.1.

Adverſarus deprehenſis unica ſupereſt rima, per quam elabi poſſe ſibi videantur. Excipiunt quicquid poteſtatis habuerint à Chriſto Apoſtoli, eam ſolam quæ Petro data eſt ordinariã fuiſſe, quæ ad omnes paſtores promanet. Exceptionis fundamẽta ſi quæras, erit pro ratione voluntas. Scriptura autem docet alios Apoſtolos fundâſſe Eccleſias, Paſtores ordinâſſe, miſiſſeque qui per Eccleſias ordinarios conſtituerent. Ad eoſdem etiam tot Eccleſiæ nobiliſſimæ & ampliſſimæ originem ſuam, Epiſcoporumq; ſuorum referunt, ut ſole clarius ſit eorundem poteſtatem non fuiſſe ſterilem, nec ipſis ita extra ordinem alligatam, ut in alios jus & facultatem docendi tranſmittere prohiberentur.

Chriſtum igitur Dominum influxûs utriuſque, interni & externi, in corpus ſuum, quod eſt Eccleſia, ſolum caput eſſe conſtat; ſolum item caput eſſe ordinis ad Eccleſiam univerſalem, omnium noſtrûm matrem, relati. Nam abſurdè prorſus matri filius ejuſdem quiſpiam, cui jus nullum & prærogativa nulla competit quàm

dum ejus in ſinu quieſcit, eædem in caput præficeretur.

Cap. IV.

Cardinalis Richelii plurium in unum Eccleſiæ caput ſubordinatio, examini ſubjecta, exploditur.

AD alia doctrinæ Pontificiæ capita, articulo quarto comprehenſa, diſcutienda properantem, revocat me Armani Ioannis Pleſſæi, Cardinalis Richelij, mira ſubtilitas. Is in libello quem adverſus Eccleſiæ Reformatæ Pariſienſis Paſtores edidit, noſtram de Chriſto capite Eccleſiæ unico concluſionem, quam ſacro Dei verbo niti animadvertit, cum doctrina Pontificia componere novo, vel ſanè renovato, artificio tentat.

Cap.3.§.3. Nos, inquit, *aſſerimus non eſſe aliud caput Eccleſiæ univerſalis præter Ieſum Chriſtum, neque aliud ab ejuſdem ſanguine Purgatorium, aliud à paſſione ipſius propitiatorium ſacrificium aliúdque præter obedientiæ ejus meritum. Ideóque falſum eſt vos* (Proteſtantes) *his de cauſis quas producitis exoſos eſſe.* Atque etiam ſi ſic res habet, nihil obſtare videtur quin, amotis odii cauſis, jungamus dexteras. Sed quod admodum liberaliter una manu largitur vir illuſtris, alterâ repoſcit; poſtque oſtentatum panem, lapidem mittit. Ibid. *Verum eſt*, ſubjungit ille, *aſſerere nos alias eſſe perſonas à perſona Ieſu Chriſti diſcretas, quæ virtute & vi ipſiûs ſub eodem, nomen & rationem capitis ſortiantur. Sed nihil obſtat quominus Ieſus Chriſtus unicum Eccleſiæ univer-*

univerſalis caput ſit. Quomodò verò alius à Chriſto, puta Petrus, caput ſit Eccleſiæ univerſalis, & ejuſdē tamē Chriſtus caput unicum? alius & alius à Chriſto caput fiat, & nō ſit aliud & aliud caput, ſed unicū quod eſt ipſe Dominus: Nā in ejuſmodi dialectica adjectivum ad genus ſubſtātivi reduci præcipit: & demonſtranti præter unum aliquod animal, alium eſſe in campo vel in ſtabulo qui ſit animal, nulla eſt ratio cur negetur aliud ibi eſſe animal. Imò verò, ait idem, *horum dictorum lata eſt differentia, Non eſſe aliud caput præter Ieſum Chriſtum; & nullum alium præter Ieſum Chriſtum eſſe caput Eccleſiæ univerſalis cum ipſo Siquidem hoc poſtremum omnem hominem alium à Chriſto Ieſu excludit à participatione rationis capitis. Ex primo autem tantum conſequitur, ſi plures participant nomini & rationi capitis, id fieri ſubordinatione eorum inter ſe.*

Gall. *des uns aux autres.*

His ſanè Sphyngis ænigmatibus ſolvendis Oedipo fuerit opus: Nam ſi detur, (quod tamen rectæ rationi conſentaneum non eſt,) propoſitionem quâ Chriſtus unicum caput Eccleſiæ dicitur, plures ab ea capitis Eccleſiæ ratione non excludere: quî tamen plures includat, aut eorum intèr ſe ſubordinationes, ulláſve conditiones referat? Eſt igitur, ni fallor, hæc Cardinalis mens: Inde ſequi tantùm, nullum alium poſſe rationi & nomini capitis Eccleſiæ univerſalis participare, niſi ſubordinatione ad Chriſtum Ieſum; ſed ex ea, alium quempiam à Chriſto, ita caput Eccleſiæ univerſalis eſſe poſſe, ut non ſit aliud caput præter illud unicum, quod eſt Chriſtus.

Itaque viro illi pro ſuo altero capite, ne unici capitis doctrinâ confundatur, in ſubordinatio-

Certè qui ad hunc modum alternat ſententias,ſuumque de applicatione Paulinorum verborum ſermonem ſic claudit,quantumvis in dubio hæſiſſe videatur, dubio procul, novum illum fidei adverſariorum articulum, de Petro, & ſucceſſore Romano tranſmarino Epiſcopo, capite univerſalis Eccleſiæ definito & determinato, ignoravit plane, & ne per ſomnium quidem, ad ſalutem neceſſarium cogitavit.

Neque veterum quiſquam Petrum, aliúmve hominem, corporis Eccleſiæ, vel totius ſive univerſæ Eccleſiæ caput habendum docuit. Quinimò, ad ſextam uſque ætatem, adeò peculiaris Chriſti prærogativa viſa eſt in Eccleſia eximii illius tituli dignitas, ut Gregorius magnus monſtro ſimile duceret, quod Ioannes Conſtantinopolitanus *univerſa & omnia ſibi tentaret ſubjugare Chriſti membra quæ* SOLI VNI CAPITI *cohærent, videlicet* CHRISTO; quâ ratione quemcumque alium eadem adfectantem ferit. Ideò, in Epiſtola ad eundem Ioannem, poſtquàm dixiſſet *Paulum membra Dominici corporis certis extra Chriſtum quaſi capitibus, & ipſis quidem Apoſtolis,ſubjici particulariter evitaſſe*,continuò ſubjungit:*Tu quid Chriſto, univerſalis,ſcilicet, Eccleſiæ capiti, in extremi judicij dicturus es examine, qui cuncta ejus membra tibi conaris univerſalis appellatione ſupponere?* Audis membra Chriſti certis quibuſdam extra Chriſtum, non capitibus ſolùm,ſed etiam *quaſi capitibus*, & iis quidem Apoſtolis, eóque vel Petro cujus nominatim Paulus meminerat,ſubjici non debere?

Ep. ex Reg l a ind. 3. Ep. 36. Greg.

Id ibid. Ep 38.

Ipſe tamen Gregorius,aliique Patres,Apoſtolos, nec non alios quoſdam Paſtores, quarumdam

dam prærogativarum eminentiumque donorum ergò, capita vocârunt; ſed alio ſemper reſpectu quàm corporis Eccleſiæ univerſalis. *Factus eſt*, ait, *Paulus converſus caput nationum*. Item, *Certè Petrus Apoſtolus primum membrum ſanctæ univerſalis Eccleſiæ eſt. Paulus, Andreas, Ioannes quid aliud ſunt quàm ſingularium plebium capita.* Ipſi igitur impropriè, quodam reſpectu, & ex accidente, capita populorum, ſed omnes, ſimul cum populis, membra ſub uno capite Chriſto. *Id. ibid.*

Bellarminus igitur, ne quidquam in eo ſudat ut, collectis Patrum teſtimoniis, Petrum *caput Apoſtolorum* cognominatum demonſtret. Sic Cyrillum Alexandr. lib. 12. in Ioann. cap. 64. & Hieronymum lib. 1. in Iovin. in eum finem citat; nihil in quæſtione propoſita promoturus. Nam de capite corporis Eccleſiæ diſputamus; poſteà etiam de prærogativis quorumdam paſtorum præ aliis miniſtris, & quo ſenſu Patrum nonnulli quoſdam aliorum capita dixerunt, tractaturi. *Vid. Cap. 8. part 1 ſub finem.*

At *Cyprianus*, inquit, *in libro de unitate Eccleſiæ facit Petrum caput, fontem & radicem totius Eccleſiæ*. Sic quidem pro ipſo faceret: Sed, ne verbis ipſis prolatis, reverâ non facere comperiatur; vir non ineptus, lectores credulos futuros cōfiſus, dicere ſatis habuit quod, certè, falſiſſimum eſt. Cyprianus ibi *capitis, fontis & radicis Eccleſiæ* meminit: ſed id eſſe Petrum, (in quo rei cardo vertitur,) minimè adfirmat. Quinetiam argumentis à ſermonis ejuſdem ſerie petitis, aliò cogitâſſe evincitur. Nam cùm radicis, fontis, & capitis, vocabula eodem ſenſu uſurpet, obſervandum eſt primum illud, capitis, non referri ad corpus quod ſit inte- *Bell ubi ſupr. art. 22.*

Digitized by Google

grum membris variis diſtinctum, prout eſt corpus humanum; ſed ut initium totius ex partibus ſimiliaribus compoſiti, quod ab ejuſdem progreſſu ſucceſſuq; diſtinguitur: Quemadmodum caput & fons ſalientis aquæ, ab eadem aqua in decurſu ſuo per canales & alveos deducta, diſcerni ſolet. Atque hoc ſenſu, caput non eſt membrum vel pars ab eo realiter differens cujus eſt caput, ſed res ipſamet in ſuo principio & prima origine.

Agnoſco ex coniūctione horum nominū nondū ſatis confirmatam hanc obſervationem; Sed Cypriani ipſius quę annotabim⁹ verba clarè probabunt eſſe ex mēte ejus. Is poſt prolatas ſimilitudines *fontis*, *radicis*, *luminis*, hæc addit: *Sic etiam Eccleſia Domini luce perfuſa, per totum orbem radios ſuos porrigit, unum tamen lumen eſt, quod ubique diffunditur, nec unitas corporis ſeparatur.* Eccleſia igitur eſt, non ſingularis aliquis, ut Petrus, quæ radios porrigit; lux illa etiam quâ primo perfuſa eſt, & radii poſtmodum diffuſi, unum lumen ſunt, & reſpectu originis proceſsûque tantùm diſtinguntur. Sequitur immediatè: *Ramos ſuos in univerſam terram copiâ ubertatis extendit: profluentes largiter rivos latiùs expandit.* Unum tamen caput eſt *& una* origo, *& una mater fœcunditatis ſucceſſibus copioſa.* Vides caput & originem eadem ratione & ſignificatione diſcerni à rivis decurrentibus, atque etiam tum caput, tum rivos decurrentes, unam matrem dici fœcundis ſucceſſibus copioſam; quam qui Eccleſiam eſſe ignorat, & Petrum aut Papam eam eſſe dixerit, is vel ipſis infantibus, qui *mammam* ſuam, hoc eſt ma-

trem

trem à *Pappa* ſuo, id eſt Patre, diſcernere nôrunt, infantior, vel deſperatæ improbitatis futurus eſt. Et hæc ſatis probant Bellarmino non defuiſſe rationes quibus ductus Cypriani fauces, ne clarè eloqueretur, compreſſerit. In ſumma ibi Pater ille ſimilitudinibus expoſuit quod ante ipſum Tertullianus ſic rotundè expreſſerat; *Itaque tot ac tanta Eccleſiæ una eſt illa ab Apoſtolis prima, ex quâ omnes*: Illa nempe ab Apoſtolis prima, non Apoſtolorum unus. *Tertull. de præſcript. c. 5. circa finem.*

Chryſoſtomus verò, cujus teſtimonium profert adverſarius ex homil. in Matth. 55. magis è re ſua eſſe videri poſſit. Nam poſt Eccleſiæ mentionem, ſubjungit ille: *Cuius paſtor & caput homo piſcator atque ignobilis*; ſic caput Eccleſiæ Petrum dicens. Verùm quod nuſquam alibi apud eundem vel alium priſcæ Eccleſiæ Doctorem reperitur, poſſit quis non immeritò aliunde aſſutum ſuſpicari. Petrum *paſtorem futuræ Eccleſiæ conſtitutum*, paulò antè, verborum Chriſti ad Petrum ſenſum aperiens, ſimpliciter dixerat Chryſoſtomus: Hîc nihil cauſæ fuit cur illud *& caput* inſereret, ſententiâ alioqui integrâ, & priori omni ex parte conformi, remanente ſi tantùm legatur, *cujus paſtor homo piſcator*. Sed ut detur, in ſermonis progreſſu, viro hyperbolis aſſueto illam capitis ad Petrum in Eccleſiam relati nomenclaturam ſemel in tot voluminibus excidiſſe, quis inde dogma ratum firmumque eruat? Neque enim ſi idem de Antiochena Eccleſia verba faciens, orationis calore, eò fertur ut dicat *conſiderationem eſſe* περὶ τοῦ κεφαλαίου τῆς οἰκουμένης ἁπάσης, *de totius orbis capite*, ideò quaſi dog- *Chryſ. ad popul. Ant. hom. 3.*

mate definito vel ex ſenſu ipſius Chryſoſtomi à fervore remiſſi, eam illi Eccleſiæ prærogativam remanere velint adverſarii ipſi.

Tertiò, ratione præeminentiæ communis eorum qui *primi*, ſive ut Paulus loquitur, primùm poſiti ſunt, & Petrus & collegæ capita à nonnullis Patribus vocantur. Quia verò Eccleſiæ dati, ejus ſunt etiam, prout ipſa eſt Chriſti; Ita eorum quiſque paſſivè, ſive poſſeſſivè Eccleſiæ dicitur caput: Non quia in Eccleſiæ corpus capitis authoritatem, quæ ſolius Chriſti eſt, exerceat, ſed quòd ipſi omnes ad Eccleſiam pertinentes, & in ea exiſtentes, diverſa ratione aliorum caput dicantur. Sic dicimus Regem, vel etiam regnum, habere ſua capita ſive duces, quos capitaneos vulgò vocant, qui non Regi ipſi aut Regno, ſed à Rege aliis, pro regni conſervatione, præficiuntur.

Cap. 8. Supereſt etiam poſtremò, diſtinctio *capitis figuratæ repræſentationis* ex Auguſtino, pleniùs alibi nobis obſervanda, ex qua Chryſoſtomi dictum modificari reſtringique queat. Nam cùm ejuſmodi ſenſum qui cum veritate & communi Patrum, ipſiusque adeò Chryſoſtomi doctrina congruit, ferre poſſit, rectiùs & meliùs in eum à nobis inclinatur, quàm ab adverſariis ad dogma non aliunde firmatum trahitur.

Eaſdem interpretationes, poſtremamque convenientiùs, Auguſtini teſtimonio quod idem Bellarminus ex ſerm. 124. de tempore profert, aptare liceat, Nec alioqui indubitatæ authoritatis ſunt ſermones illi, quorum plerique apud alios authores reperiuntur, nec Auguſtini ingenium referunt.

Itaque

Itaque omni ex parte vera & firmata, ex ſacris ſcripturis, ipſoque priſcorum Doctorum ſuffragio, domonſtrata eſt ſententia noſtra de titulo *capitis corporis Eccleſiæ*, quem proprium Chriſti, nulli que hominum communicabilem diximus, Atque eadem operâ Eccleſiæ Romanæ falſum & erroneum dogma, de Petro à Chriſto in caput corporis Eccleſiæ conſtituto, funditus dirutũ eſt.

Nunc de influxu illo doctrinæ externæ & Sacramentorum, quem fictitio capiti ſuo proprium ſomniant adverſarii, pauca dicẽda ſunt. Eſt reverà nihil aliud, quàm malè ſani cerebri morbidus defluxus, & catarrhus, commentum illud. Quis Chriſti Domini vero zelo tactus adeò iniquam inter ipſum & Petrum, quaſi jure æquali, ab hominibus partitionem factam æquo animo ferat? Nẽpe ſi adverſariis credatur, penes filium Dei influxûs dũtaxat interni, & inviſibilis fidei & charitatis quã ſpiritus ſanctus in corda fidelium infundit, origo erit: At penes Petrum influxus doctrinæ, ſive verbi & Sacramentorum viſibilium, ſtabit. Hæc quidem enarrare, etiam refellere eſt.

Cui verò ignotum eſt à Chriſto primùm verbum doctrinamque, ortum ducere; Apoſtoloſque, priùs quàm docerent, ſummi Doctoris diſcipulos & auditores fuiſſe? Ab eodem pariter Sacramenta inſtituta, cujus vel mandato, vel etiam manu, participes facti ſint eorundem, antequàm adminiſtrarẽt ipſi? Horum igitur primus influxus viſibilis à Chriſto eſt. Deinde (ne forte Petrum inter Dominum alioſque medium faciant) nullum Apoſtolorum Petri diſcipulũ, ſed unà omnes ſub communi magiſtro condiſcipu-

Digitized by Google

los fuiſſe conſtat. Quinetiam omnium poſtremus vocatus Paulus, *Evangelium quod annuntiabat ſe non ab homine accepiſſe, neque edoctum eſſe, ſed per revelationem Ieſu Chriſti*, palam profitetur. Ex quo videre eſt eum (ut nec cæteros) à Petro minimè hauſiſſe doctrinam, vel ejus influxum excepiſſe, qui toto triennio Doctoris publici partes gnaviter egit, antequàm Petrum ſalutâſſet.

Gal.1.11.12.

Eſto, inquies, Non omnes docuerit Petrus. Sed quid ſi cuncti poteſtatem docendi & ſacramenta adminiſtrandi, quia primùm à Chriſto plenitudinē poteſtatis ille acceperit, ex qua cæteri participatione, omnes ad unum hauſerint; ipſi acceptam retulerint? Eo ſenſu Baronius *Chriſtum regnum & ſacerdotium ſuum in perſonam Petri tranſtuliſſe* affirmat. Huic commento refellendo ſufficiat in mittendis Apoſtolis verba Chriſti exprimere: *Omnis*, inquit, *poteſtas mihi data eſt in cælo & in terra: Ite, prædicate Evangelium &c.* Igitur ex plenitudine poteſtatis ipſius Chriſti, immediatè, omnibus & ſingulis Apoſtolis poteſtas data docendi eſt, ut influxui Petri in eoſdem, ejus reſpectu, nullus relictus ſit locus. Ioannes Chriſtum ſic Apoſtolos affatum eſſe commemorat: *Sicut miſit me Pater, ita & ego mitto vos*, & *quum hæc dixiſſet, afflaviſſe eos, & dixiſſe, Accipite ſpiritum ſanctum, Si quorum remiſeritis peccata &c.* Sic omnes ſpiritûs ſancti influxum à Chriſto immediatè acceperunt, unà cum poteſtate remittendi peccata; & omnes à Domino miſſi ſunt quemadmodùm Pater ipsū miſerat; miſerat autem immediatè, nullo influxûs intermedio capite exiſtente.

Annal. tom. 1. ad ann. 57. num. 28. 29 30.

Matth. 28. 18. 19.

Ioan. 20. 21.

Hinc

Hinc Apoſtolorum quiſque, ſine interventu Petri, ubi Deus viam aperuit; Evangelium annuntiavit; Pauluſque *contendebat evangelizare, non ubi nominatus eſſet Chriſtus, ne ſuper alienum fundamentum ædificaret.* Ipſe etiam ante viſum ſibi Petrum, ut ſuprà notavimus, docuit; qui ſe *Apoſtolum non àb hominibus neque per hominem, ſed per Ieſum Chriſtum* expreſſè dicit. Sic, nempe, influxum illum à ſe removet, cujus ratione Pontificii prælati ſe *Dei & ſedis Apoſtolicæ gratiâ Epiſcopos* profitentur. Rom.15.20. Gal.1.1.

Adverſarius deprehenſis unica ſupereſt rima, per quam elabi poſſe ſibi videantur. Excipiunt quicquid poteſtatis habuerint à Chriſto Apoſtoli, eam ſolam quæ Petro data eſt ordinariã fuiſſe, quæ ad omnes paſtores promanet. Exceptionis fundaměta ſi quæras, erit pro ratione voluntas. Scriptura autem docet alios Apoſtolos fundâſſe Eccleſias, Paſtores ordinâſſe, miſiſſeque qui per Eccleſias ordinarios conſtituerent. Ad eoſdem etiam tot Eccleſiæ nobiliſſimæ & ampliſſimæ originem ſuam, Epiſcoporumq; ſuorum referunt, ut ſole clarius ſit eorundem poteſtatem non fuiſſe ſterilem, nec ipſis ita extra ordinem alligatam, ut in alios jus & facultatem docendi tranſmittere prohiberentur.

Chriſtum igitur Dominum influxûs utriuſque, interni & externi, in corpus ſuum, quod eſt Eccleſia, ſolum caput eſſe conſtat; ſolum item caput eſſe ordinis ad Eccleſiam univerſalem, omnium noſtrûm matrem, relati. Nam abſurdè prorſus matri filius ejuſdem quiſpiam, cui jus nullum & prærogativa nulla competit quàm

dum ejus in ſinu quieſcit, eædem in caput præficeretur.

CAP. IV.

Cardinalis Richelii plurium in unum Eccleſiæ caput ſubordinatio, examini ſubjecta, exploditur.

AD alia doctrinæ Pontificiæ capita, articulo quarto comprehenſa, diſcutienda properantem, revocat me Armani Ioannis Pleſſæi, Cardinalis Richelij, mira ſubtilitas. Is in libello quem adverſus Eccleſiæ Reformatæ Pariſienſis Paſtores edidit, noſtram de Chriſto capite Eccleſiæ unico concluſionem, quam ſacro Dei verbo niti animadvertit, cum doctrina Pontificia componere novo, vel ſanè renovato, artificio tentat.

Cap. 3. §. 3. Nos, inquit, *aſſerimus non eſſe aliud caput Eccleſiæ univerſalis præter Ieſum Chriſtum, neque aliud ab ejuſdem ſanguine Purgatorium, aliud à paſſione ipſius propitiatorium ſacrificium aliúdque præter obedientiæ ejus meritum. Ideóque falſum eſt vos* (Proteſtantes) *his de cauſis quas producitis exoſos eſſe.* Atque etiam ſi ſic res habet, nihil obſtare videtur quin, amotis odii cauſis, jungamus dexteras. Sed quod admodum liberaliter una manu largitur vir illuſtris, alterâ repoſcit; poſtque oſtentatum panem, lapidem

Ibid. mittit. *Verum eſt,* ſubjungit ille, *aſſerere nos alias eſſe perſonas à perſona Ieſu Chriſti diſcretas, quæ virtute & vi ipſius ſub eodem, nomen & rationem capitis ſortiantur. Sed nihil obſtat quominus Ieſus Chriſtus unicum Eccleſiæ univer-*

univerſalis caput ſit. Quomodò verò alius à Chriſto, puta Petrus, caput ſit Eccleſiæ univerſalis, & ejuſdẽ tamẽ Chriſtus caput unicum? alius & alius à Chriſto caput fiat, & nõ ſit aliud & aliud caput, ſed unicũ quod eſt ipſe Dominus: Nã in ejuſmodi dialectica adjectivum ad genus ſubſtãtivi reduci præcipit: & demonſtranti præter unum aliquod animal, alium eſſe in campo vel in ſtabulo qui ſit animal, nulla eſt ratio cur negetur aliud ibi eſſe animal. Imò verò, ait idem, *horum dictorum lata eſt differentia, Non eſſe aliud caput præter Ieſum Chriſtum; & nullum alium præter Ieſum Chriſtum eſſe caput Eccleſiæ univerſalis cum ipſo Siquidem hoc poſtremum omnem hominem alium à Chriſto Ieſu excludit à participatione rationis capitis. Ex primo autem tantum conſequitur, ſi plures participant nomini & rationi capitis, id fieri ſubordinatione eorum inter ſe.* Gall. ***des uns aux autres.***

His ſanè Sphyngis ænigmatibus ſolvendis Oedipo fuerit opus: Nam ſi detur, (quod tamen rectæ rationi conſentaneum non eſt,) propoſitionem quâ Chriſtus unicum caput Eccleſiæ dicitur, plures ab ea capitis Eccleſiæ ratione non excludere: quî tamen plures includat, aut eorum intèr ſe ſubordinationes, ulláſve conditiones referat? Eſt igitur, ni fallor, hæc Cardinalis mens: Inde ſequi tantùm, nullum alium poſſe rationi & nomini capitis Eccleſiæ univerſalis participare, niſi ſubordinatione ad Chriſtum Ieſum; ſed ex ea, alium quempiam à Chriſto, ita caput Eccleſiæ univerſalis eſſe poſſe, ut non ſit aliud caput præter illud unicum, quod eſt Chriſtus.

Itaque viro illi pro ſuo altero capite, ne unici capitis doctrinâ confundatur, in ſubordinatio-

nis à ſe poſitis legibus, duntaxat, præſidium eſt. Purgatorium etiam Pontificium, Miſſæ Sacrificium, & humana merita, eâ quam fingit, primi quidem cum ſanguine Chriſti, ſequentis cum paſſione ejuſdem & illorum cum obedientiæ ipſius unico merito, ſubordinatione, à noſtrorum argumentorum telis tecta, in tuto ſe collocâſſe confidit, eâque obtenta Ægide, cujus in medio Gorgonis caput ſerpentibus vice crinium terribile, intuentes in lapides vertere ſe poſſe putat; aut certè, tanquam philoſophico lapide, mirum illi, & pluſquàm Alchymiſticum, inde opus perficiatur; neque tantùm, hocce ingenioſo invento, ſtannum, ferrum, æs, lutumve ipſum, in aurum convertantur, ſed etiam homo peccator, ſit ipſemet Chriſtus hominum ſervator, terraque in cœli naturam tranſeat, ipſaque adeò contradicentia, admirando, ſi Deo placet, Richelianæ ſubordinationis opere, inter ſe compoſita & conciliata ſimul conſiſtant. Videamus porrò quas ejus recenſet leges, & quæ inde pro ſua ſententia deducit protiſmata; quatenus maximè noſtram de capite Eccleſiæ quæſtionem ſpectant.

I. *Reverâ inquit, nos ratio docet res diverſas ſibi invicem ſubordinatione ſubjectas unitatem non deſtruere.* II. *Res ſubordinatæ unum ſunt, & tantùm ordine differunt.* III. *Inſtrumentum non dicitur alia cauſa à principali, per quam* (quæ per ipſum potiùs) *agit. Sic latomus & malleus non ſunt duæ ædificii cauſæ, ſed unica duntaxat cauſa. Homo itidem, & enſis quo necat, mortis una cauſa ſunt.* IV. *Quandoque tamen inſtrumentum alia cauſa à principali agente dicitur, ſed ordinis reſpectu.* V. *Subalternata & ſuppoſita inter ſe non pugnant;* Ne-

Vid. Cap. 1. & 3. §. 3. & 4.

que

que quod ſubordinatur ei cui ſubordinatur obeſt. VI. *Facilè agnoſcet quicumque novit quid ſibi velint hæc verba, alia regula, aliud caput, aliud Purgatorium, ea, propriè loquendo, diverſi generis regulam, caput Purgatorium deſignare.* VII. *Regulam alterius à Scriptura generis non admittimus. Quod ſi quis fortè author aliud à Chriſto caput univerſalis Eccleſiæ Pontificem dicit, id intelligit ratione ordinis, non generis. Purgativa verò omnia* (quæ illi ſcilicet enumerant) *ejuſdem ſunt generis, quamvis diverſi ordinis; unde ſequitur unum, duntaxat, eſſe Purgatorium.*

Sic, nempe, bellè cohærent omnia quæ ſophiſtices crypti patefacta, etiam diſſoluta, ſponte diffluent. In hunc finem Logices elementa repetere cogimur. Subordinatio eſt vel rerum in ſerie prædicamentali ordine recto, ſive directo, comprehenſarum: vel cauſarum, quæ certo ordine ad effectum producendum concurrunt. Subordinata primo modo, unum ſunt reipsâ, quia nonnulla differentiâ reali diſcrepant, ſed tantùm ratione & ordine. Sic ſubordinata ſunt homo, animal, corpus, quæ inter ſe non pugnant; quia nihil eſt in natura corporis & animalis quod in homine non ſit. Hujuſcemodi ſubordinatorum reſpectu, verum eſt ſubordinata non re aut genere differre, ſed tantùm ordine: Verùm etiam, non pugnare inter ſe, neque ſe invicem deſtruere. Sed horum ratio nihil ad præſentem quæſtionem facit. Nam Petrum aut quemvis alium ſubordinatum eſſe Chriſto ut individuum eſt ſpeciei & ſpecies generi, vel cogitatu abſurdum eſt. Quæ igitur de his ſubordinatis dicuntur nullius hîc ſunt usûs.

Digitized by Google

Ad ſubordinationem cauſarum, igitur, Cardinalis dicta omnia referenda ſunt. Illas verò, utcumque ſubordinatas; cauſam univerſalem, ſcilicet, à particulari proximamque à remota, ordine tantùm, non etiam ſpecie & cauſandi ratione, ſive modo producendi effectum, differre falſum eſt. Subordinatione etiam unam eandemq; cauſam fieri, itidem falſum eſt; etiamſi illæ, propter conjunctas operationes in unum confluant effectum, quod unum quidem eſt, ob cauſarum ex ſubordinationis ſerie unionem, non unitatem. Nam quis ſanus dixerit ſoli & homini unam eſſe operationem, quia unum hominem unà generent; vel unam eſſe cauſam, quia unà & ſimul operantur? Certè, ut neque ſocia cauſa una eſt cum illi adjuncta, ſed ad effectum producendum unita, ſic nec ſubordinans cum ſubordinata.

De latomo & malleo, homine & enſe, quod refert vir alioqui prudens & diſertus, ipſis latomis, lippiſq; adeò & tonſoribus, ridiculum fuerit, & meritò. Nam differt cauſa principalis ab inſtrumentali, etiamſi ut áque ſuo modo ſit efficiens. Ergo, inquies, qui in quæſtione de cauſa necis cujuſdam reſpondebit hunc vel illum hominem ſolam eſſe cauſam ejuſdem, num negabit inſtrumentalem? Minimè gentium; ſed tantùm eâ reſponſione denotabit non fuiſſe aliam cauſam ſociam, id eſt ejuſdem generis efficientem. Eſt enim, quod eadem operâ notandum, Cardinalis Pſeudographema, quo ſtatuit in quæſtione an alia ſit cauſa, purgativa, puta, vel exemplaris, ut regula, &c. tum aliam eſſe vel non

eſſe

eſſe intelligi de diverſis generibus.

Contrarium ipſum verum eſt; ſcilicet, Non negandum ſolam & unicam eſſe cauſam, quia poſſit alterius generis alia aſſignari; ſiquidem quæſtio de alio vel alia, generis limitibus contenta, reſponſionem εἰς ἄλλο γένος μεταβαίνουσαν minimè poſtulat, ſed potiùs vitii arguit. Pari & eadem ratione, non unica dicenda eſt, ut voluit Cardinalis, cui ejuſdē generis alia conjuncta eſt.

Harum propoſitionum primæ hoc exemplum eſto: Chriſtus lumen eſt ſpirituale unicum, propriè, & formaliter ex ſe, cauſa principalis efficiens luminis in hominibus accenſi; ut quamvis homines quidam etiam dicantur lumen, quia aliâ ratione (nempe quod inſtrumenta ſint lumini præferendo) ſic vocantur, ideò verè aſſeratur non eſſe aliud lumen quàm Chriſti. Sic etiam aliud purgativum à ſanguine Chriſti nullum eſt: Non quod *quæ purgativa vocantur ſint ejuſdem generis* (ut falsò, ad rem quod attinet, & abſurdè quoad rationem, dixit adverſarius,) ſed quia cùm Chriſti ſanguis ut pretium ſatisfactionis, & id cujus eſt meritum, purget à peccato, fides, verbum, Sacramenta, & alia omnia quæ purgare dicuntur, id ipſum tantùm efficiunt applicatione ſanguinis & meriti Chriſti, ſive ſatisfactionis quæ in ſuo genere ſola eſt. Nam ſi (ut alterius propoſitionis proferamus exemplum) dentur aliunde quæ ad pretium redemptionis & ſatisfactionis ſummam conferant, etiamſi ut nummus ad aureorum millia adjiciantur, tum non erit unica purgationis noſtræ cauſa in ſatisfactionis genere, Chriſti ſanguis; quæ à Chriſtiano ore & pe-

ctore faceſſat blaſphemia.

Quod verò dicit idem *res invicem ſubordinatas unitatem non deſtruere*, verum eſt de unitate effectûs, ut antea dictum eſt: Sed falſum eſt rerum & cauſarum diverſitatem ſubordinatione tolli; quod intellexit, aut nihil ad rem dixit.

Non pugnare item ſubordinatas cauſas, operationibus contrariis, ſcilicet, verum eſt; quia ſimul junctæ, ad unum effectum producendum conſpirant & conſentiunt: At non habere rationem cauſalitatis differentem falſum eſt. Sic ſanè non dimidia ex parte, ſic ferente judicio divino, hallucinatus eſt vir in ſecularibus animadvertendis oculatiſſimus, quum ad ordinis divini & ſalutaris everſionem, inordinatam ſuam ſubordinationem cuderet.

Ut autem quorſum prædicta omnia tendant clarè perſpiciamus, applicandæ erunt, ex mente Cardinalis, ad capitis rationem ſubordinatarum vel ſubordinantium cauſarum efficientium germanæ leges; Nam utcumque adulteratas & confictas dederit, pro germanis obtrudit. Sed caput propriè non eſt in genere cauſæ reſpectu corporis; nec ſibi in ordine cauſarum ſubordinata habet membra quà membra ſunt, ſed conjuncta ut partes integri, & ſubjecta ut præcipuæ parti.

Verumenimverò, ultra rationem illam quæ totius corporis conſtitutionem ipſumque eſſe illius, & partium in ipſo, ſpectat, occurrit etiam alia capitis & membrorum, in officii exercitio, conſideranda ratio, ut cauſarum rectionis, ſive regiminis, corporis conſtituti efficientium. Sic in cohorte caput & membra dicuntur ii qui, certâ

ſubor-

ſubordinationis ſerie, milites ducere & regere ſolent, ita etiam in exercitu integro: ſic denique, in Republica & regno. Et regiminis quidem interni in Eccleſiam nullam partem hominibus competere liquet. Ad externum quod attinet, veriſſimum eſt à prima & principali cauſa regiminis, Chriſto rege & capite, ſubordinatas eſſe inferiores, quæ, pro menſura donorum & vocatione ſua, operam conferant in effectum unum idemque regiminis Eccleſiaſtici.

Hinc, ſcilicet, colligat Cardinalis à cauſis ſecundis participari rationem capitis & poſſe alium quempiam, ſub unico capite Chriſto, eſſe etiam caput univerſalis Eccleſiæ, uno ejuſdem Eccleſiæ capite manente, quia ſit una eademque cauſa. Nos verò primùm negamus in eo conſiſtere propriè rationem ex qua Chriſtus Ieſus dicitur caput. Deinde ex prædictis obſervamus cauſas ſubordinatas nec cum ſubordinante, neque etiam inter ſe, unam eãdemque cauſam eſſe, ſed ad unum duntaxat effectum omnes concurrere; ideoque etiãſi cum capite Chriſto cauſæ ſubordinatę & inſtrumenta aſſumpta, unum regimen ſuo cõcurſu efficiãt, non tamen unam, duntaxat, eſſe cauſam. Hoc eſt, negamus ob unum ex ſubordinatione effectum, ſubordinatas omnes cauſas primæ, quà prima eſt, rationem participare; & implicare contradictionem dicimus. Alioqui ſanè, malleus ſubordinatione erit ipſe latomus, aut quia Regi, ut principi & capiti regiminis Politici, ſubordinãtur cauſæ inferiores quibus ad effectum regiminis perficiendum utitur, illæ etiam in rationem principis & capitis ve-

Digitized by Google

niant, ſive eam participent; eoque vel carnufex, cujus operâ Rex gladio divinitùs ſibi cõceſſo in ſontes animadvertit, quod vel maximè, eſt regiæ authoritatis; carnufex, inquam, ut ſubordinata cauſa influens in effectum, Rex & regni caput futurus eſt, unà cum Rege & capite unico; quo quidem delirio haud putem quidquam abſurdius fingi poſſe.

Ut igitur paucis expediam, participat quæque inferior cauſa rationem communem cauſæ efficientis: rationem verò gradûs, vel etiam modi efficiendi, ſeu ſpecialis efficientiæ, quâ principalis à ſubordinatis diſcernitur, nequaquam; Si quidem participatio ipſarum differentiarum, ſive rerum diſtinctivarum, eſſe nequit. Ideò ſanè capitis regni, ſive Regis & Monarchæ, quà caput & Rex eſt, inferiorum nullus rationem participat. Eſt enim propriè Rex & caput regni qui in regno ſubordinatur nemini & cui omnes ſubjiciuntur: Contrà, Rex & caput regni non eſt qui ſubjicitur & ſubordinatur. Ita, certè, in regimine Eccleſiaſtico, ex ſubordinatione ipſa, ratio univerſalis capitis, quà tale eſt, removetur à ſubordinato; quia ſubordinatorum lege, cujuſcumque ſubordinatio eſt à primo gradu diſtinctio. Ex quo patet capitis Eccleſiæ univerſalis dignitatem, Chriſti propriam, nulli eſſe communicabilem.

Quod ſi ſimilitudine res indicanda ſit, ea quæ a Regum & regnorum ratione, ad Eccleſiæ, ſive regni cœlorum, ordinem exponendum petit, Scriptura, omnium eſt accommodatiſſima. Quam verò à *Præſidibus Provinciarum*, urget adverſarius, remota eſt nimiùm & minùs proportionata

tionata. Quanquã neq; apud nos (quod vir harũ rerum conſultiſſimus non ignoravit) uni provinciæ plures in unius capitis titulum conſtituuntur præſides: Nec in ullo ſenatu ſupremo principi ſenatûs alter ſenatûs princeps ſubordinatur. Id quum olim aulici Largabaſtono, Senatûs Burdegalenſis principi, infenſi, monſtrum parturirent, alterumque primarium prǽſidem illi ſubordinare tentarent, vir prudentiſſimus hac unicâ ſententiâ interceſſiſſe dicitur: *Nihil eſt primo prius*; Sic ſe de gradu dejectum ſummotúmque iri, vel alterum nullum primum futurum innuens. Eleganter Cyprianus: *Quiſquis poſt unum qui ſolus eſſe debeat factus eſt, non jam ſecundus ille, ſed nullus eſt.*

Il n'y a deux Gouverneurs chef d'une meſme province.

Cypr. lib. Ep. 2.

Porrò quæ ex Scripturis deſumpta exempla, abſurdæ ſubordinationi confirmandæ, profert Cardinalis, vel conficta vel diſſimilia ſunt; & inde deducta nullius ponderis argumenta.

I. Quod *alij præter Chriſtum fundamentum Eccleſiæ dicantur*, & nullo niti fundamento, & à veterum nullo de eodem genere fundamenti intellectum unquam fuiſſe, capite VII. probaturi ſumus. II. *Lumen dici Miniſtros* Eccleſiæ non eadem ratione quâ Chriſtus, diximus ſuprà. III. *Paſtor unus Chriſtus dicitur*; ſed in futuro. *Erit paſtor unus, & grex unus.* Nam poſt collectos omnes electos, noſtri ordinis paſtores nulli erunt. Etiam nunc, ad paſtum internum animarum quod attinet, Chriſtus ſolus eſt paſtor, qui alioqui externæ inſtructionis reſpectu, ἀρχιποίμην eſt Petro. Adde & quocumque modo gregis unius univerſalis, quà *unus eſt grex*, unum eſſe paſtorem Chriſtum, & petere principium eum qui alium

Ioh. 10. 16.

1. Pet. 5. 4.

Digitized by Google

eſſe omnium electorum paſtorem univerſalem aſſumit. IV. Quod etiam *Chriſto Rege fidelium exiſtente, alij eorumdem reges dicuntur*, ratione generis diverſi accidit: & propriè Chriſtus eſt Rex fidelium, quà fideles ſunt; alii autem per accidens, cùm ſint propriè eorum Reges quà cives & regnicolæ, vel corporis politici membra ſunt. V. *Solus Deus bonus eſt & juſtus, alij tamen dicuntur boni & juſti.* Reſpondeo hanc qualitatum communicationem non pertinere ad cauſarum ſubordinationem & unitatem, neque univocè & eadem ratione quâ Deus dici homines bonos & juſtos; ſive nullâ ſubordinatione ejuſdem eſſentiæ bonitatem illis convenire; aut certè, pius quiſque Deus fuerit. Hem igitur argutias! Sequens verò manifeſtè blaſphema eſt: VI. *Non magis contumelioſum eſſe Chriſto ſi poſt ipſum alius ſit Eccleſiæ univerſalis caput, quàm quòd Chriſtus homo ſub Deo caput eſt* Ain verò? At ille quem memoras homo Deus eſt; & perſonæ divinæ, cujus eſt infinita dignitas. capitis munus à patre conceſſum eſt. Númnam miſero peccatori ad Chriſtum quæ Chriſti ad patrem æqua proportio eſt? Nec etiam Deus ſimpliciter, qui Chriſti caput eſt, corporis Eccleſiæ caput dicitur, ſed Chriſtus ad quem proximè & immediatè illa refertur, per eum & in eo, patri unita. Tacco quod Apoſtolus ſe, *Cephámque ipſum, & Apollo, Eccleſiæ, Eccleſiam Chriſti, Chriſtum Dei eſſe* dicit: Adverſarius verò Cepham inter Chriſtum & Eccleſiam medium collocat.

1.Cor 3.22. ὑμῶν ἐστι, ὑμεῖς δὲ χριστοῦ. &c.

Hinc igitur vir ut natalium ſplendore clarus ſic exculti ingenii, qui Chriſtum Ieſum unicum eſſe

eſſe Eccleſiæ caput, præter quod aliud nullum ſit, coram majeſtate Regia inficiari integrum non duxit: hoc ſuo, non jam ſubordinato, ſed ſubornato capite dempto, Eccleſiam non capite minutam, ſed tubere & apoſtemate liberatam purgatamque agnoſcat neceſſe eſt.

CAP. V.

De Monarchia & dominio in ſubditos: non collatam eſſe Petro in Eccleſiam.

REGUM & Monarcharum jura, quatenùs principatûs, ut vocant, Eccleſiaſtici tyrannide conturbantur, atque etiam evertuntur planè, tueri hîc juſta defenſione non eſt inſtituti noſtri! Animadvertit ſanè cordatus quiſque minimè tollerandum eſſe hominem in miniſterio Eccleſiæ conſtitutum, eo ipſo, ſibi imperium ſummum in unctos Domini, quos Scriptura Deos dixit, arrogare, de throno violenter proturbare, diſpenſationeque cum ſubditis factâ, quâ jurejurando fidelitatis abſolvantur, alios in eorumdem locum ſufficere; quandocumque authoritate Apoſtolica, ſcilicet, *arborem exſcindi* juſſerit, quemadmodùm Baronio *ſancti è cœlis deſcendentis* verba à Daniele relata ad Gregorii II. in Leonem Iconomachum cognominatum, decretum aptare viſum eſt. Ex quo etiam decreto, ſi Bellarmino creditur, *poſtmodùm Imperator apud Græcos facto, non jure, permanſerit, apud Latinos neque facto, neque jure.* *Bell. contra Barcl cap. 41.*

Neque verò diſtinctiunculæ *poteſtatis directa,*

rationis temporalis, & indirectæ rationis ſpiritualis, medicamine, authoritati Regum. in prædam extraneo homini expoſitorum, inflictū vulnus ſanari poteſt. Seu enim directè, ſeu obliquè, ſive cæſim, ſive punctim feriendo jugulum petas, par injuria eſt. Nec animo infenſo deerit ars quâ *ſecurim* ſuā ſpiritualitatis ratione & obliquitate modificet, quum ex ambitione & odio, ad radicem exſcindere penituſque delere meditabitur.

Certè è Regum ordine unus, hoc noſtro ſeculo, jugum Romani Pontificis excuſſiſſe non ſatis habens, diſertè & ſolidè uſurpatam illam poteſtatē Regibus & Rebuſpublicis exitiabilem eſſe, ad eoſdem quorum maximè intererat directo ſermone, editis ſcriptis demonſtravit. Nec defuêre Romanenſes Iurecoſſ. qui, unà cùm quibuſdam Sorbonicæ ſcholæ Doctoribus gladii Papalis aciem retunderent. Quinetiam hujus regni Senatus auguſtiſſimus, Bellarmini galleruin & Suaris pileum nihil reveritus, dogma illud in ipſorum ſcriptis palam damnavit.

Quandoquidē igitur hæc Romæ cum applauſu recepta, indéque ſparſa doctrina, apud nos quidem non adeò apertè propugnatur, ab eaque vel Pontifici addictiſſimi, ut ſcopulo & malea deflectere ſolēt, & ſi maximè urgeātur, perplexè in hoc argumento, ut qui ſe torqueri ſentiant, loquuntur: illis hac in parte moleſti non erimus. De monarchia ſpirituali in univerſalem Eccleſiam, cunctóſq; Chriſtianos, quā articulo quarto ipſo jū verbis expreſſimus, & cujus ratione Pium IV. *ſanctiſſimum Dominum ſuum* Tridentini patres Eccleſiæ univerſalis, ſi Dîs placet, nomine, indigitant,

Concil Trid ſeſſ. 25 & in acclam. Card. Lotar. nomine Concilii.

tant, acturi ſumus. Negemus quicquam monarchicæ functionis & principatûs Petro à Chriſto fuiſſe conceſſum, ſive Eccleſiæ Dominum factum. Aſſerentibus adverſariis conquirendæ ſunt probationes.

Et hîc quidem de more ſuo nihil mutant, perinde ut in capitis Eccleſiæ quæſtione aberrantes à ſcopo, quidquid ejaculentur. Bellarminus probaturus *monarchiam Petri*, (ut præ ſe fert titulus capitis 1.lib.1. contr.3.) primùm producit locum Matthæi de Petro & petra, deinde claves Petro promiſſas, & mandatum Domini de *paſcendis ovibus*. Hæc verò dum congerit ad oſtentationem, ſuam duntaxat, prodit probationum inopiam. Siquidem rationes fundamenti formales, & eæ quibus conſtat dominatus, quàm differunt! Neque rei cujuſquam fundamentum monarchiam & dominatum in ipſam ſignificat, ut neque ſoliditas molem ſuſtentans eſt authoritas ex qua ſubditi regantur. Prima rei ſubſiſtentiam, altera ſubſiſtentis directionem & in eam jus ſpectat. Quod ſi cuipiam utriuſque attributi ſignificationem convenire contingit, id diverſis de cauſis & rationibus accidit, quarum una alteram ex ſe non infert. Nec etiam *claves* penès ſe habere, vel *paſcere oves* dominatum vel monarchiam præſupponit; niſi fortè janitores cunctos, & ovium cuſtodes, Reges & Monarchas eſſe contendere velint adverſarii.

Eò igitur res Monarchiæ Papalis propugnatorum rediit, ut novo quodam artificio cuncta in novas formas tranſmutare, cœlum terræ miſcere, paſtores ovium in Reges, janitores in monarchas

vertere illis, ſi quid promovere velint, neceſſe ſit. Nobis verò S. Scriptura quam multa infirmo Monarchiæ & dominatûs ſpiritualis in Eccleſiam, alterius quam Christi, ædificio diruendo ſuppeditat!

Cap. 8. v. 6. Paulus Apoſtolus, in prima ad Corinthios, habet axioma Theologicum quod in hac cauſa pro ariete ſit *Nobis*, inquit, *unus eſt Deus, pater ille à quo omnia, & nos in ipſo*: UNUS DOMINUS *Ieſus Chriſtus, per quem omnia, & nos per ipſum*. Epiſtolæ etiam ad Epheſ. 4. 5. UNUS DOMINUS, *una fides, unum Baptiſma*. Eant ergo Tridentini cum ſuo *ſanctiſſimo Domino*. Nam clarè his oraculis contradicitur quandocumque alius à Chriſto Eccleſiæ Monarcha & dominus agnoſcitur. Eccleſiæ autem dico, quatenùs ſpirituali adunatione in unum corpus coaleſcit: dominationis temporalis, politicam vel œconomicam ſpectantis, diſpar eſt ratio.

Eph. 4. 11. Cæterùm unus Eccleſiæ dominus & monarcha Chriſtus, de ea ſollicitus, *ad compactionem ſanctorum, paſtores* mittit & *Doctores, Apoſtolóſque & prophetas dedit*; *non* qui *dominentur fidei* ipſorum, *ſed administri ſint gaudii eorumdem*; qui etiam *paſcant Dei gregem, non ut dominantes cleris, ſed ut exemplaria gregis*. Nempe ita de ſe ipſo profeſſus eſt Paulus, & ſic alios docuit Petrus.

2. Cor. 1. 24.

1. Pet. 5. 2. 3.

Verùm quid, adverſus hanc in Eccleſiam uſurpatam dominationem, clarius & efficacius Domini ſententiâ, quam omnibus Apoſtolis ipſe, ut ambitionis diſſidia componeret, ſeu præcideret potiùs, pronuntiavit? Eorum decem, in queis Petrus, in alios duos, nempe filios Zebedæi, eo

nomine

nomine indignabantur quod primum à Chriſto locum, matris interventu, ambiviſſent, unúmque ad dexteram, alterum ad ſiniſtram Domini, in regno ejus ſedere petiiſſent. *Ieſus autem quum eos advocâſſet, ait: ſcitis principes gentium in eas dominari, & magnates poteſtatem exercere in eas.* Verùm *non ita erit inter vos: ſed quicúnque voluerit inter vos magnus fieri, eſto veſter miniſter.* Sic refert Matthæus, & eadem habet Lucas cap. 22. Quis non videat Apoſtolorum cuique ſpem omnem monarchici principatus hacce domini ſententiâ abciſam fuiſſe? *Planum eſt*, ait Bernardus, *Apoſtolis interdicitur dominatus. I ergo tu, & tibi uſurpare aude aut dominans Apoſtolatum, aut Apoſtolicus dominatum. Planè ab alterutro prohiberis. Si utrumque ſimiliter habere voles, perdes utrumque. Alioquin non te exceptum illorum numero putes, de quibus queritur Deus ſic: ipſi regnaverunt, & non ex me: principes extiterunt, & non cognovi eos.* Hæc illo ad Eugenium Papam.

Matth. 20. 21. 24. 25.

Bernard. de conſider. ad Eugen lib. 2.

Reſpondent tamen adverſarii Dominum non ſimpliciter & abſolutè Apoſtolis interdixiſſe dominatu, ſed violentâ, duntaxat, & tyrannicâ dominatione; quæ communiter verbo κατακυριεύειν ſignificatur. Quaſi verò, duo illi fratres tyrannicam dominationem affectâſſent, alii verò decem ejuſmodi duntaxat monarchiam iiſdem concedi noluerint! Certè, ne Pontificiis ex verbo integra remaneret exceptio, Lucas dicit κυριεύουσι; & eorum factâ mentione qui εὐεργέται dicuntur, quæ benigniſſimorum principum fuit appellatio, eorumdem etiam dominationem ab Eccleſia removet & excludit. Sequuntur enim im-

mediatè hæc verba, *vos autem non ſic*, ex quibus infert Bellarminus Chriſtum monarchiam *potius inſtituiſſe quàm removiſſe ab Eccleſia*; quia, nēpe, *qui dicit tu non ſic praeris ut ille, id ſignificat: praeris quidem, ſed aliter quàm ille.* Huic jam cavillo nullus locus eſt; quia quum laudabilem ipſam & benignam dominationem expreſſiſſet Dominus, ſubjungendo vos autem non ſic, non rei modum, duntaxat, ſed etiam rem ipſam tollit. Ideò non ait, *non ſic dominabimini*, quod adverſarii præſupponit exemplum, ſed tantùm *vos autem non ſic.* Tum etiam oppoſitam conditionem ſervi, ſive miniſtri, dominationis affectatæ loco, commendat; id eſt contrarium ſubſtituit.

Bell cont. 3. L. 1. c 9. §. reſpondeo.

Cæterum fatemur non omnem gubernationem, vel omne regimen, quo quidem aliis præſint, tolli, ut conſtat ex ſequentibus verbis, *qui inter vos eſt dux*, ἡγούμενος, &c. Ex Pauli etiam exhortatione, *Obedite conductoribus veſtris.* Sed hæc quorūcumque Paſtorum communia, non alicujus propria, monarchiam & dominatum non inferunt; & de ſervis qui filiis familiarum inſtituendis & dirigendis præficiuntur, dici poſſint.

Heb. 13. 17.

At patribus, aiunt, *principis* & *principatûs* vocabula, quum de Apoſtolis & Eccleſiæ regimine agitur, promiſcuè in uſu ſunt, frequenterque Petrus *Apoſtolorum princeps*; eiuſque munus *principatus Apoſtolatûs* illis dicitur. Quia verò uſus linguarum vernacularum obtinuit, ut hęc vocabula monarcharum & monarchiarum ſint propria, mirum quantas inde turbas apud imperitos cieant adverſarii, vocibus eorumdem auribus nihil niſi ſummum ſonantibus freti. Verùm, ut craſſæ fuerit

rit ignorantiæ his verborum ambiguitatibus deludi: ſic deludere, improbitatis ſummæ. Utcúmque enim vernacularum linguarum ferat uſus, apud Latinos *princeps* propriâ & primâ ſignificatione dicitur qui *primus* vel *præcipuus* eſt; & *principatus* eſt *primatus*, ſive *principalitas*. Si quidem Romæ, unde exulabat monarchiâ, *princeps ſenatûs* erat ſenatorum primus qui, poſt conſulem ſedens, ſententiam primus dicebat: & *ſententiæ princeps* qui primus author vel præcipuus defenſor ejuſdem apparebat. *Homerum* etiam *principem poëtarum*, & *Platonem principem philoſophorum*, nullo juriſdictionis, nedum monarchiæ reſpectu nuncupavêre.

Eo ſenſu, & pari ratione, ſi *Petrus Apoſtolorum princeps* veterum nonnullis dictus eſt, nihil inde adverſariorum cauſæ emergit emolumenti.

Ad *principatum Apoſtolatûs* quod attinet, notandum eſt *Apoſtolos* Eccleſiæ *primùm datos* à Chriſto fuiſſe, prout ab iis diſtinguit Paulus qui *deinde* & *tertiò* conſtituti fuêre; quatenus, ut ait Gregorius Romanus, *primos dominus in ſancta Eccleſia poſuit, & pro prima oſtenſione ornamenti*; ut & Hilarius vult *Chriſtum ducem, Prophetas nuntios, & Apoſtolos prævios ſequamur.*

Greg. Moral. lib.28.cap. 6.

Hil. de Trinit. lib.6. init.

Hac conſideratione moti priſci Eccleſiæ Doctores, primum illud Eccleſiaſticum munus Apoſtolatûs principatum dixêre, ex quo prærogativâ, & primatu quodam, cæteros miniſtros antcibant Apoſtoli. Id ipſum voluit Auguſtinus quum demonſtraturus Cyprianum Epiſcopum Carthaginenſem Petro ratione muneris inferiorem fuiſſe, ſic ait: *Quis neſcit hunc Apoſtolatûs principatum cuilibet Epiſcopatui præferendum eſſe?* Tum etiam

Aug. de Bapt contr. Don. lib. 2. c. 1.

Id. de pecc. mer. & remi. lib. 2. c. 13.

alibi, de Paulo; *Tanti Apoſtolatûs meruit principatum*. Non certè monarchiam, quam illi nolunt collatam adverſarii, quamque adeò nullis S. Scripturæ fundamentis nixam, patrúmve teſtimoniis commendatam, nullam eſſe clarum eſt.

CAP. VI.

De ſuprematu ad ſubalternatos relato: An Petro collatus à Domino in univerſam Eccleſiam: Diſcutiuntur probationes Pontificiorum: primatûs & præſtantiæ diſtinctiones proponuntur ad exponendam quam ex Matthæo proferunt attributionem primi.

AD hunc modum everſa eſt quam Petro collatam in univerſam Eccleſiam comminiſcuntur monarchiam; quia uni & ſoli Chriſto quem pater unxit in Regem ſuper Sionem, ut ſibi cunctos ejus incolas ſubditos faceret, tanti nominis dignitas convenit. Sed nihilominùs, locus eſt adhuc quæſtioni de alterius generis, & diſparis rationis, primatu, quem ad differentiam ſuperioris illius monarchici & deſpotici, *ſuprematum juriſdictionis* vocabimus. Is non ad ſubditos propriè, ſed ad dependentes refertur, dicitúrque ſupremarus ratione ſubalternorum, duntaxat, & ordine inferiorum. Ita apud nos *ſenatus ſupremi* dicuntur, quorum judicium eſt ultimum & à quibus ultra provocare non datur, cùm tamen poſt inferiorum tribunalium latas ſen-

Gal. *Cours ſouveraines.*

ſententias, ipſis de novo res cognoſcere & examinare liceat, idque ex inſtitutione Regis, cujus unius eſt ſuprematus dominii, & in cujus dignitate eminenter continetur alter ille ejus authoritate demandatus. Inde eſt quod ſupremorum ſenatorum quiſque Regi ſubditus eſt haud ſecus ac infimus è plebe; ut æquivoca eſſe nomina *ſummi* & *ſupremi*, eorumque cognata, iſtorum & Regis reſpectu, vel maximè, pateat. Quemadmodum igitur, citra regii ſuprematûs, qui Regi proprius, nulli communicabilis eſt, præjudicium, ſumma judicandi poteſtas penès certum ſenatorum numerum eſt & remanet; nec omnino abſurdè ſi planè incommodè, uni alicui, authoritate regiâ, conferri poſſe videtur: Sic etiam, jam definitâ quæſtione regni & dominatûs, quæri poſſit an Chriſtus Ieſus Petrum, ratione juriſdictionis, & regiminis miniſterialis paſtoralis officii, ſupremum ſummumque eſſe juſſerit, omnibuſque ſuis ſubditis præfecerit, cæteris etiam Apoſtolis illi ſubalternatis, ut munere & officio impares & inferiores, Petri tribunali & juriſdictioni ſubmitterentur.

Neque verò quærendo an ita fieri potuit, vel num convenientius ſit, (quod faciunt adverſarii,) inutili admodùm labore fatigabimur. Nam damnandâ præſumptione mortales, ex humanæ prudentiæ obſervationibus, præſcribere Chriſto nituntur; inde, ſcilicet, demonſtraturi quid facere debuerit, eoque ſecùs agentem criminaturi. Sufficiat, ſanè, ſobrio cuique inſtituta factaque ſummi magiſtri indagare, quibus ſine ulla hæſitatione vel præjudicio, acquieſcamus. Eſt enim pro-

Digitized by Google

culdubio optimum quod, ut tale, judicio ejus approbatum & authoritate firmatum eſt. Negamus verò ſic Domino viſum eſſe de Petro; vel ſic eum conſtituiſſe ſummum, ut cæteri Apoſtoli ipſi (quod dixit Bailius Ieſuita) ſubalternati fuerint.

Quia autem ad hunc modum circumſcripta dignitas, iis de quib. hactenùs tractavimus longè inferior eſt, hîc locos omnes quibus ſolẽt adverſarii ſuũ de Petri ſupremaru dogma confirmare, referre lubet. Nam ſi quid ad rem faciunt, ſaltem ejuſmodi ſupremarum confirmaturi ſunt: Sin ſecus, multò minùs quæ ſunt eminentioris dignitatis ſtatuunt & probant.

Quem primum igitur è S. Scripturis locum producunt, exſtat Matthæi XX. Cap. ver. 2. *Porrò duodecim Apoſtolorum nomina ſunt hæc: primus Simon qui dicitur* Petrus, *& Andreas frater ejus*, &c.

Argumentum illis ſic procedat neceſſe eſt, ut vel adversùs formandorum ſyllogiſmorum leges, ex duabus veris propoſitionibus affirmativam inferant in ſecunda figura, hoc modo: *Omnis ſupremus ſubalternorum primus eſt;* Petrus *primus eſt, ut ait Matthæus; Ergo ſupremus, &c.* perinde ac ſi eò quòd omnis homo eſt corpus omniſque, itidem, lapis corpus, concludas omnem hominem eſſe lapidem. Vel ſanè, primâ illâ propoſitione ſimpliciter conversâ, ſic curret in prima figura argumentum: *Omnis primus eſt ſubalternorum ſupremus;* Petrus *eſt primus; ergo ſupremus, &c* Sed ejuſmodi converſione propoſitio vera in falſam vertitur, ut, vitio materiæ, nihil proſit melior forma. Negabunt reges Chriſtiani primum Regem, eorum

Digitized by Google

eorum reſpectu, ſupremum eſſe, ſeque ſubalternatos: Negabunt & ſenatores collegii ipſorum primum eſſe ſupremum. Hoc eſt, res ipſa teſtatur falſum eſſe ex titulo primi, duntaxat, ſequi ſuprematum.

Utcumque verò id obſervâſſe ſufficiat per ſe, ad argumenti ſolutionem, ſecundam tamē propoſitionem, quæ Matthæi eſt, adhibitâ curâ cōſideraturi, obſervamus *primum* tot modis, & variis reſpectibus dici, ut Logicis duobus his verſibus eoſdem, ad præcautionem, & memoriæ ſublevandæ causâ, exprimere viſum ſit:

Tempore, naturâ prius ordine dic, & honore:
Cauſam cauſato dicimus eſſe priùs.

Sunt & varii *prioritatis ordinis* modi, quorum minimi momenti eſt is ex quo aliquis numero, duntaxat, primus eſt, quia illi accidit in plurium catalogo primo loco recenſeri, vel etiam primum dici comparatione ejus qui ſecundo, vel tertio loco memoratur, eóque ſecundus vel tertius dicitur. Exempli gratiâ, Apocal. XI. *c.* 19. verſ ita eſt duodecim fundamentorum cenſus: *fundamentum primum jaſpis: ſecundum, ſapphirus: tertium, chalcedonius: quartum, Smaragdus, &c.* Quandóque etiam certum hominum numerum edituri, uni duntaxat numerum ordinalem *primi* ſolemus expreſsè aptare, ut in ſequentibus, quorum nuda nomina edimus, cæteri ſubintelligantur correſpondentes numeri ordinales, ex quorum conjunctione formetur numerus cardinalis ſummam definiens, puta decem, vel duodecim. Atque ejuſmodi prioritas, qualitatis, aut etiam gradûs, in re ipſa nullam ſuper alias connumeratas infert præſtan-

tiam. Nec enim ex Apocalypſeos illo numero ordinati, ſequitur primum fundamentum ſecundo & quarto, id eſt jaſpidem ſapphiro, aut ſmaragdo, præſtare: ut neque quum Ioannes de Andra dicit, *invenit hic primus fratrem proprium Simonem*, eum ideo præſtantiorem facit.

Ioh. 1. 41.

Utut verò prioritas cenſus admodùm tenuis adverſariis videatur, Matthæúmque Evangeliſtam aliquid majus deſignâſſe velint, nihil tamen præterea ex ejus verbis, & loci circumſtantiis, evincere poſſunt. Verumtamen quibus aliis modis Petrum fuiſſe primum, quibus uerò non, concedere poſſimus, apertè & ſimpliciter ediſſeremus.

Prior eſt tempore natu primus, vel etiam ante alios vocatus ſive electus. Sic ſenex, juvene prior; & veteranus miles, tyrone: & qui dudum munere aliquo functus eſt, nuper creato, eo reſpectu, prior eſt; utcúmque alter prior natus ſit, nec ideo tamen dignitate ſuperior, vel qualitate major eſt. Et Petrum ſanè Apoſtolorum ſeniorem, aut primum natum, ſi dicas, vel etiam, unà cum Andrea fratre, priùs vocatum (prout notat Theophylactus priùs nominatos quod eſſent πρωτόκλητοι) non repugnamus; neque adeò noſtra intereſt. Cyprianus certè, in Epiſtola ad Quirinum, dicit Petrum *primum à Domino electum*, additque eum, *cùm Paulus de circuncisione poſtmodùm diſceptaret, non ſe vindicaſſe, ſeu aliquid inſolenter aut arroganter aſſumpſiſſe, ut diceret ſe primatum tenere, & obtemperari à NOVELLIS & POSTERIS ſibi potiùs oportere*; ut *primùm* videas comparatione *novellorum* & *poſterorum*, ſive poſteriùs vocatorum, dici; quà ratione

Theophyl. in Matt c. 10.

Petrus quem primum dominus elegit.

nihil

nihil reipsà eum plus cæteris, ut neque Thomam aut Lebbæum, plus Paulo omnium noviſſimo Apoſtolo accepiſſe conſequitur. Quod verò Petrus ex ejuſmodi primatu ſibi ab aliis obtemperari debuiſſe non concluſit, minimè ideò factum quia cùm poſſet jure, ex pura modeſtia noluerit, ſed quia, judice Cypriano, *aliquid inſolenter aut arroganter non aſſumpſit, ut hoc diceret.* Quod autem jure ; & ex poteſtate à Deo conceſſa fit, inſolenter aut arrogantet aſſumptum dici non poteſt.

De eo primatu, ex ratione duntaxat temporis, non orta erat contentio inter Apoſtolos, quum à Domino hoc reſponſum retulerunt : *Siquis PRIMVS eſſe vult, erit omnium ultimus & omnium miniſter.* Nam ut qui non erat, nullo labore poſteà primus hoc modo fieri poterat, ita quis ille eſſet illis citra controverſiam notum erat. Aliam igitur de primatu quæſtionem movit ambitio, ex qua *adierunt Ieſum dicentes, Quiſnam MAIOR eſt in regno cælorum?* prout etiam, referente Marco, *in via inter ſe diſputaverant quis eorum MAIOR eſſet.* Marc. 9. 35. Matth. 20. 1. Mar. 9. 34.

Porrò magnitudinis, ſive præſtantiæ ex qua quis alio major eſt, (de corporis ſtatura nihil hîc opus quicquam commemorare,) duo ſunt genera. Primum eſt *muneris & officii*, ex quo minor eſt cujus non eſt æqua poteſtas, & alteri ſubordinatur : Sic Imperator exercitûs legionis præfecto major eſt, & hoc etiam centurio eſt minor. Alterum eſt reſpectu virtutum & laborum quibus aliis præſtare poſſunt, & eſſe majores, qui munere & officio ſunt pares: Unde etiam gradu & poteſtate æqualibus, aut privatâ exiſtimatione deferuntur, aut judicio publico decernuntur honores

Digitized by Google

majores: Suntque qui citra rationem poteſtatis *magni, & maximi, primique ſuæ ætatis hominum,* virtutis eximiæ ergò, dicantur.

Ad hoc genus referri debent prærogativæ omnes adventitiæ ex eventu aliquo vel electione ſingulari, quæ per ſe de muneris, ſive officii & authoritatis permanentis natura & eſſentia non ſunt.

Hæc duo primatûs & præſtantiæ genera nunquam confundi debent; quaſi uno eorum poſito, conſequatur alterum. Nam perſonalia illa quæ diximus, ſi excreſcant, & collecta cumulum ingentem efficiant, tamen ne minimum quidem exuberantiæ gradum in altero genere inde elicias. Quamobrem fruſtra laborant, qui in eo ſudant ut Petri virtutes, dona, miracula, dicta, labores, ſucceſſus, &c. congerant, quum in altero genere præſtantiæ, *poteſtatis*, nempe, & *muneris*, verſatur quæſtio. Nec enim illa quiſquam proficiunt aut promovent in hoc argumento; ut nec officiunt, aut quidquam demunt quæcumque colligi poſſint non rectè dicta, peccata &c. quaſi inde poteſtas major minórve arguatur. Nec admodùm emunctæ naris eſſe hominem oporteat qui diſſimilis rationis illa dolo malo, ad perſtringendam oculorum aciem, miſceri olfacturus ſit.

Notandum præterea munerum & officiorum magnitudinem ſive amplitudinem ipsâ inſtitutione determinatam & definitam eſſe, ut ad definiendum judicii labore non opus ſit, ſed tantùm aſſenſu. Verùm illa, alterius generis ex virtutibus præſtantia, ſive magnitudo,

gnitudo, ex variis obſervationibus eruenda, ſedulâ operatione judicii, cuncta ex comparatione ad æſtimationem reducentis, utcumque definitur. Quapropter in ejuſmodi definitionibus, ſic pronuntiare ſolent, ut dicant *videri hunc maximum*: & ſi fortè eminentior ſit virtus, & liquidò conſtet, tunc dicimus hunc vel illum *facilè primum*, *Archimedem Mathematicorum facilè principem*, Ulpianum juriſconſultorum, &c. Non ita verò in alio genere, præſtantiæ muneris & poteſtatis, quæ lege & inſtitutione definita eſt. Nec enim Regem noſtrum facilè Gallorum omnium principem, aut imperatorem exercitûs omnium ducum facilè maximum, dixeris.

Inde patet Bellarminum criticâ ſuâ falſum deceptúmque, ad probationem ſupremarûs Petri, ratione muneris & officii, de quo quæritur, produxiſſe Dionyſii Pſeudareopagitæ dictum hoc: *Petrus Apoſtolorum facilè princeps*. Illud enim *facilè* difficultatem omnem removet; eſtque indicium primatûs, ſive principatûs, non lege definiti, ſed operatione judicii ex donis operibúſque æſtimatis eliciti; quo in genere dum mens laborat, difficultatem vel facilitatem, pro rerum obſcuritate vel claritate, experitur.

Sic etiam quod Euſebius Petrum vocat τὸν καρτερὸν καὶ μέγαν τῶν ἀποστόλων τῆς ἀρετῆς ἕνεκα τῶν λοιπῶν ἁπάντων προήγορον, id eſt, *fortem & magnum reliquorum Apoſtolorum, propter virtutem, prælоquutorem*: manifeſtum eſt nullam officii definiti ſupra alios Apoſtolos excellentiam deſignari; ſed cuncta reduci ad rationem virtutis Petri, cujus exiſtimatione, collegæ προηγορίας, ſive præloquutionis, ho-

norem ipſi detulerint.

Nempe ejuſcemodi reputationis, ſive, ex virtute ſingulari, exiſtimationis hominum ratione, Gal.2.2. Paulus Apoſtolorum quoſdam præcellentis famæ τοῖς δοκοῦσι, *qui videntur* vel *exiſtimantur*, vocat: item δοκοῦντας εἶναί τι, qui videntur eſſe aliquid: v.6. & 9. & de Iacobo, Cepha, & Ioanne, οἱ δοκοῦντες στῦλοι εἶναι, qui *videbantur*, vel *reputabantur columnæ*. Ita præeminentia Petri (ut & Iacobi, Ioanniſque, quorum muneris ratione nulla in collegas cæteros fuit,) Paulo teſte, exiſtimationis humani judicii fuit.

Eam verò ad rem ipſam nihil referre, vel nihil præterea conferre, docet idem his verbis: *ii* v.6. *qui exiſtimantur eſſe aliquid, quales olim fuerint nihil meâ refert; perſonam hominis Deus non accipit. Nam qui ſunt in pretio nihil mecum præterea contulerunt.* Hæc ille, omnia illa exiſtimationis humanæ ad perſonam, quam Deus non accipit, referens. Quinetiam alibi, communi exiſtimationi clarè repugnare, ſuamque de ſe ipſo opponere, non veretur. 2.Cor.11.5. *Arbitror*, inquit, *me nihilo inferiorem fuiſſe* τῶν ὑπὲρ λίαν ἀποστόλων, ad verbum, *ſuprà valdè Apoſtolis*. Deinde, externarum prærogativarum reſpectu, ſe non tantùm cæteris exæquat, ſed etiam præfert. *In quocúmque audaciâ uti velit aliquis* (*ut deſipiens loquor*) *audacia & ego uti velim*, &c. *Miniſtri Chriſti ſunt?* ὑπὲρ ἐγώ, *ego ſupra*, vel *ſuperior ſum. In laboribus amplius*, περισσοτέρως. Si quis certè, inſtitutione Chriſti, fuiſſet ὑπὲρ λίαν Apoſtolus, nũquam illi ſe æquaſſet, nedum prætuliſſet Paulus.

Ex hiſce obſervationibus, præeminentiarum differentias ita clarè animadverſurum ſpero lectorem,

ctorem, ut adversùs ſupremātū Petri præjudicare neceſſe habeat, cernens à Paulo ad exiſtimationem perſonæ prærogativas ejuſdem referri. Atque etiam, in hoc exiſtimationis genere, ex comparatione Petri & Pauli difficultatem nactum, ancipitem judicii fore: Quamvis vel maxima hac in parte facilitas, nullius eſſet ad aliam quæſtionem definiendam adjumenti.

Nunc ad Apoſtolorum contentionem redeundum nobis. De utraque certè præſtantia, & muneris definiti, & exiſtimationis, laborabant. Et de prima quidem interrogârunt *quis major eſſet?* de altera verò, quis eorum *δοκεῖ εἶναι μείζων, videretur, vel exiſtimaretur major*, unde liquet eos, verbis Chriſti ad Petrum de petra & clavibus, definitam fuiſſe quæſtionem minimè credidiſſe, quia rem ipſam poſtmodùm ut dubiam propoſuerunt, & definiri optârunt.

Quæ verò reſponſa Chriſti Matthæus & Marcus ſcripſerunt, à quæſtione avocant magis quàm ut rem definiant. Siquidem Apoſtolis præcisâ, ut diximus ſuprà, omni dominatûs ſpe, excellentia & præſtantia ratione plane oppoſitâ illi quâ moti quæſierant, proponitur eorum cuique acquirenda; humilitate, nempe, ambitionis deſtructrice & demiſſione ſui. *Quiſquis*, ait Dominus, *Matth. 18.*
ſummiſerit ſeſe ſicut puerulus iſte, is eſt maximus ille in regno cœlorum. Item, *Siquis vult primus eſſe, erit omnium* *v. 4.*
ultimus & omnium miniſter. Illud *erit* per *ſit* exponitur alio in loco: *& quicumque voluerit inter vos primus* *Marc. 9 v. 35.*
eſſe ſit veſter ſervus. *Matt 20. v. 27.*

Nullam ibi, in gratiam certi cujuſdam, definitionem, nullam de æqualitate vel inæqualitate

poteſtatis & muneris Apoſtolici determinationem videre eſt. Tantùm ad præcavendam ambitionem, diſponendoſque ad laborem affectus, indeque adipiſcendam laudem titulumque primatûs & præſtantiæ, regulæ communes traduntur. Hîc, ſanè, laudanda eſt ſancta æmulatio, effectus ipſe maximè, coram Deo & hominibus: & hi quidem, ex iis quæ videntur, non ita certò judicant; ſed ille tandem, cui nota ſunt omnia, nihil moratus hominum ſententias, utiliori ſervo laudem ex veritate tribuet.

Quum autem, eâ ipsâ nocte quâ ablatus eſt ſponſus, diſcipuli, ut ex Lucæ narratione conſtat, contentionem illam, pro tempore ſuperioribus reſponſis ſopitam, denuò renovâſſent: non ſatis habuit Chriſtus quæ anteà reſponderat repetere, dominationemque ab iis removere; ſed & inſuper ſuam de principatu, ſeu primatu, Apoſtolatûs ex æquo & pari honoris poteſtatiſque gradu in eos conferendo, aperuit ſententiam; atque adeò, diſpoſitione verbis de præſenti factâ, contulit. *Vos autem ii eſtis*, inquit, *qui permanſiſtis mecum*
Luc. 22. 28. 29. *in tentationibus meis. Ego autem paciſcor* (vel *diſpono*) *vobis prout pactus eſt mihi pater meus regnum: ut edatis & bibatis in menſa mea in regno meo, & ſedeatis ſuper thronos judicantes duodecim tribus Iſrael.*

Hæc, ex iis quæ in terrenorum regnorum adminiſtratione locum habent, deſumpta, ad Eccleſiæ Chriſti regimen tranſlata ſunt, & analogicè intelligenda? Comedebant & bibebant in menſa regia principi proximi, ſive præcipui miniſtri: quemadmodum David *ſolebat comedere & ſe-*
1. Sam. 22. *dere ad menſam Regis Saülis*; ipſeque David, poſt-

modùm

modùm Rex factus, Mephiboſçeth, Ionathanis filiũ, honore affecturus dixit: *Tu verò panem comeſturus es in menſa mea continuò.* Cùm igitur, eâ ipsâ nocte quâ Dominus ſic diſcipulis ſuis diſpoſuit, commenſales ejús, ad literam, eſſe deſtiterint, manifeſtum eſt eum, ſimilitudine ſumptâ ab iis qui maximè apud Reges gratia pollent, communem dignitatem inter ipſos quâ, ſuprà alios omnes Miniſtros ſubditóſque conſtituti, propiùs ad ipſum accederent, deſignâſſe. Sequentia verò, de thronis & judicio, ipſum munus exprimunt, ex quo aliis omnibus præfecti, judices & rectores duodecim tribuum Iſraëlis facti ſunt; hoc eſt totiûs Eccleſiæ Chriſtianæ quæ Iſraël Dei eſt, & univerſa, quaquà extenditur latiùs, completo numero tribuum ejus populi, penès quem Eccleſia tota anteà remanſerat, repræſentatur. 2.Sam.9.

Fateor equidem, aliis locis, edere & manducare cum Chriſto in regno ejus, ſignificare ſtatum fidelium qui, poſtquam ad finem uſque perſeveraverint, in cœlis unà cum Domino in æternum victuri ſunt: *Victori* etiam cuique promitti *ſeſſionem in throno* Chriſti, & *dominium in gentes, quas regat* virgâ ferreâ, & tanquam *vaſa fictilia conterentur.* Sed alia eſt ratio thronorum, & ſingularis Apoſtolorum præfecturæ, non *in gentes*, ſed in Eccleſiam ipſam: & ſunt hujus loci circumſtantiæ variæ quæ noſtram expoſitionem omni ex parte confirment. *Apoc.3.21. & cap.2.26. 27.*

Primò, prærogativam Dominus diſcipulis ſuis tribuit quâ denuo fruantur, non quia poſt ipſius receſſum, & in gloriâ receptum, perſeveraturi eſſent in fide, ſed quia cum ipſo in tentationibus

ejus, quibus ante glorificationem fuit obnoxius, perſeveraverāt: ut privilegium illud à gloria, quæ eoſdem poſt ultimos labores manebat, diſcernere neceſſe ſit.

Secundò, Chriſtus (ut annotatum eſt ſuprà) verbis de præſenti, virtute diſpoſitionis paternæ ad ipſum factę, diſpoſuit. Atqui paulò ante, ut do-
Matt. 20. v. 23. cet Matthæus, clarè profeſſus erat *ſedere ad dexterā ſuam, aut ad ſiniſtram ſuā, non eſſe ſuā dare, ſed quibus pa-*
Matt. 25. 34. *ratum eſt à patre*; eoque diſpenſationē gloriæ ultimæ ad decretum gratuitæ electionis ſive *præparationem patris*, cujus in ultimo judicio mentionem facturus eſt, retulit, ipſe hac in parte abſtinens. Non igitur probabile eſt eum ſtatim eâdem de re diſpoſuiſſe, ſibique tribuiſſe quod negaverat. Quin potiùs, virtute regni œconomici, ex quo caput eſt Eccleſiæ, de ordine ejuſdem & miniſterio ſtatuit, conſtituitque duodecim diſpenſatores myſteriorum præcipuos, qui ſuper thronis ſedentes, jus dicant populo univerſo; quâ quidem diſpoſitione, ſuperiori nihil præjudicat, ſicque cohærent omnia.

Iudicium autem illud Apoſtolicum, ad actum perſonalem laboris eorumdem quod attinet, exercuerunt propriè eo, duntaxat, tempore quo in terris conſilio Dei inſervientes, Eccleſias fundàrunt, doctrinamque à Chriſto Domino acceptam, columnam & firmamentum Eccleſiæ futuram, ut teſtes publici, tradiderunt conſignaveruntque. Poſteà verò, utut à laboribus nunc requieſcant, neque miniſterio fungantur, quia ipſorum doctrina omnibus ſeculis regula eſt, ad quam quiſque dirigat documenta, cum eaque,

ut

ut loquitur Tertullianus, *aliorum doctrina comparata, pronuntiat*, illi etiam nunc, quaſi de thronis ſuis, hacterum conſequentiâ, judicant: & judicium pro regula in Scripturis dici ſolenne eſt. Denique eâ ipsâ regulâ & judicio eorumdem univerſi quos ante tribunal Chriſti ſiſti neceſſe eſt judicabuntur: *In die*, inquit Paulus, *quo Deus judicaturus eſt hominum occulta*, SECVNDVM EVANGELIVM MEVM. Suum autem dicit, ratione inter ſui ordinis diſpenſatores communi. Rom.2.16.
Quum verò *filius regnum tradiderit Deo & patri, eritque Deus omnia in omnibus*, Apoſtoli nullo modo electos judicaturi ſunt. 1.Cor.15.24.25.

Hinc tertium noſtræ interpretationis confirmandæ argumentum emergit. Nam ſeſſio ad menſam quæ judicium præceſſit, non eſt ultima gloria fidelium, quæ judicium filii in throno ſedentis coram ſtantibus ipſis Apoſtolis ſequutura eſt.

Deinde & Patres qui *thronum Apoſtolicum* ipſum Apoſtolatum, ſive munus Apoſtolicum, vocant, tum etiam *prærogativas throni*, & *thronum epiſcopatûs* memorant ad hunc locum, quem eo modo quo & nos intellexerunt, manifeſtè reſpectum habent.

Ita hæc totius rei definitione, ejuſdemque in omnes Apoſtolos honoris & poteſtatis authoritatiſque diſpoſitione, dirempta lis eſt. Non unum unà cum Rege comedentem, alios miniſtrantes ſtanteſque; non unum, item, in throno ſedentem, reliquoſque undecim judicantem, conſtituit Dominus; ſed omnes thronis inſidentes, judicantes non quiſque partem populi gregiſve

portionem, ſed unà omnes, duodecim tribus Iſraëlis, ſive univerſam Eccleſiam. Sic ante reſurrectionem Dominus contentionis materiam removit. Sic etiam in plenam Apoſtolicæ functionis meſſem diſcipulos ſuos, poſteà, immittens, eorumdem ex æquo vocationem communem confirmavit: *Ite*, inquit, *prædicate Evangelium omni creaturæ*, &c. Matt. 28. Marc. 6. & Ioan 20.

Nihil eſt fortè quod nunc in controverſiam veniat, de quo adeò clarè quæſitum, & quod ita expreſsè ſolutum definitumque reperiatur. Sæpiùs motâ quæſtione, primò quaſi interlocutoriam, quam vocant, ſententiam dixit Dominus; deinde judicium abſolutum definitivumque pronuntiavit; tertiò denique ipſum executioni mandavit; uſuque confirmari voluit. Et ambigunt nunc etiam homines! Exceptionibus frivolis latebras quærentes, in clara luce cæcutiunt!

Unica fortè Bellarmini ſtrophe minus firmos remorari queat. Ille his verbis Lucæ prolatis, *qui major eſt in vobis, fiat ſicut junior, & qui præceſſor eſt*, ὁ ἡγούμενος, *ſicut qui miniſtrat*, ὁ διακονῶν, infert Apoſtolorum unum majorem, aliorúmque ducem & gubernatorem fuiſſe. Verumenimverò, eadem operâ, unum ex officio, & inſtitutione aliorum miniſtrum faciat neceſſe eſt. Id verò cùm à ratione alienum ſit, ſequitur articulum non appoſitum eſſe ad unum aliquod individuum determinatum deſignandum, cujus peculiare & proprium munus fuerit alios regere, aut iiſdem inſervire, ſed τὸν ἡγούμενον eſſe quicumque rectoris in Eccleſia munus obit; τὸν δὲ διακονοῦντα, quicumque miniſtrat. Itaque, loco producto, cuique

Digitized by Google

que rectori, vel ductori, ſive omnibus rectoribus, regula præſcribitur hæc, ut miniſtrantis ſive miniſtrãtium loco ſint, ſciantq; munus illud Eccleſiæ regendę miniſtrando, non dominãdo, obiri. Fuerunt autem omnes Apoſtoli rectores, & majores. Quæris quorum rectores, quibus majores? Rectores duodecim tribuum Iſraëlis; omnibus à ſe judicandi fidelibus majores. Paulus, certè, in Epiſtola ad Hebræos, fideles jubet *memores eſſe τῶν ἡγουμένων qui locuti ſunt ſermonem Dei*; inferiores Apoſtolis paſtores eo titulo inſignire non dubitans. *Heb. 13. 7.*

Itaque quocumque alio primatu Petrum anteïſſe contendere velint Pontificii, tantùm abeſt ut probent præſtantiâ, ſive primatu, muneris fuiſſe ſuperiorem, ut diſpoſitione Dominicâ oppoſitum clarè commonſtraverimus.

CAP. VII.

Solvitur argumentum Pontificiorum ſecundum, pro ſuprematu Petri, à fundamenti nuncupatione, & Domini apud Matthæum dicto, Tu es Petrus & ſuper hanc petram, &c.

QVæ hactenus nobis obſervata ſunt, conſtantiſſimam Chriſti Domini in quæſtione controverſa doctrinam ſatis manifeſtam faciunt; æqualiter, nempe, poteſtatis & authoritatis Eccleſiaſticæ jura Apoſtolis ſuis, ut ante; ſic poſt reſurrectionem conceſſiſſe. Sed quia

adverſariis veritati huic compertæ acquieſcere non lubet, undique ſuprematui ſuo ſuſtentando fulcra conquirunt, ipſiúſque Domini nonnulla ante, & poſt obitum pronuntiata torquent.

Matth. 16.18. Præcipuè verò urgent illum Matthæi locum, *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam.* Eum verò adeò apertè & clarè ſupremam poteſtatem Petro adſcribere volunt, ut ipſos Apoſtolos Chriſti non ſtupiditatis, duntaxat, ſed etiam cæcitatis arguant neceſſe eſt, quòd ejus rei, quam ita dilucidè his verbis expreſſam cenſent, nihil animadverterint illi: vel, certè, obſtinatæ rebellionis, quòd ſibi cognitæ Chriſti definitioni, toties de primatu poſtmodùm litigantes, obſtinatè refragati ſint. Ipſe tamen Dominus, diſſidia compoſiturus, omnibus humilitatem imperavit, & parem poteſtatem promiſit diſpēſavitque: nec uſquam undecim reliquos ignorantiæ, vel rebellionis, nomine, quod ſibi pro ſupremo præpoſitum Petrum vel non intellexiſſent, vel non ferrent, legitur corripuiſſe. Quod igitur Apoſtolis incognitum ſenſum, à Chriſto, quo loco inculcari fuiſſet opportuniſſimum, nō notatum, & nulli bi poſtmodùm expreſſum, adverſarii comminiſcuntur, ipſis fœliciter ſucceſſurum eſſe minimè credibile eſt. Sed audiantur.

Dicunt Catholici (ſunt theſeos generalis aſſertorum verba) *S. Petrum à Chriſto Ieſu conſtitutum fuiſſe fundamentum Eccleſiæ. Matth.* 16.18. *Tu es Petrus,* a *& ſuper hanc petram* &c. *Vos dicitis Petrum non fuiſſe* b *ipſum fundamentum Eccleſiæ,* &c.

a Gall. *a eſté eſtabli fondement.* b Gall. *le fondement.*

Certè, vel Gregorio Romano teſte, utrúmque, citra contradictionem, poſſint verè Catholici

lici aſſerere. *Cùm in ſacro*, inquit, *eloquio non fundamenta*, ſed *ſingulari numero fundamentum dicitur*, NVLLVS ALIVS *niſi ipſe Dominus deſignatur, per cujus divinitatis potentiam nutantia infirmitatis noſtræ corda ſolidantur, de quo Paulus ait: fundamentum aliud nemo poteſt ponere præter id quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus Ieſus.* Sic itaque veriſſimè & Catholicè dicitur Petrum non eſſe ipſum fundamentum, τὸν θεμέλιον: Nam fundamenti nomini appoſitus numero & ratione ſingulari, articulus, certum, determinatum & abſolutum, cui nullum aliud adjunctum ſit, deſignat. Si verò eo idiomate quod articulo determinationem exprimit, nomen nudum referatur, tum ratio ſingularis, quæ uni certo peculiaritatem tituli adſcribat, non includitur; quia fundamentum poteſt intelligi unum è multis illis quæ plurali numero Scriptura fundamenta vocat. Et hæc attributio, cùm non ſit ejuſdem rationis, minimè pugnat cum dogmate quo negatur Petrum eſſe τὸν τῆς ἐκκλησίας θεμέλιον, ipſum Eccleſiæ fundamentum.

Greg. Moralium lib. 28. cap. 6.

Gall. le fondement de l'Egliſe.

Eſt ſanè æquivoca fundamenti in Scriptura appellatio, quia res differêtes, & diversâ ratione, eo referri ſolent. Unum eſt abſolutum *præter quod aliud non datur*: Aliâ tamen ſignificatione, & ſecundùm quid, *murus civitatis habet duodecim fundamenta, quibus inſcripta ſunt duodecim Apoſtolorum nomina.* Quemadmodùm igitur, etiamſi in conclavi tuo ſint plures homines picti, nihil obſtat quin tu ibidem ſolus hominum ſis, & præter quem alius nemo; quia picti illi adeò differente ratione homines dicuntur, ut in cenſum & catalogum cum veris hominibus nunquam computentur: I-

ta, ſanè, Chriſtus duodecim fundamentorum numero,ut decimum tertium, non poteſt adjici, nec etiam ut primum; quia cùm illa non ſint ſui ordinis, nec etiam unà numerantur. Itaque ad quæſtionem noſtram tractandam, hujus generis ſecundi fundamentorum, vel eorumdem alicujus, inveſtigatio planè fuerit inutilis. Hæc de argumento in genere.

Ad locum Matthæi quod attinet,an Chriſtus ſe Eccleſiam ſuper Petrum ædificaturum,ipſúmque quocumque modo fundamentum factu-rum ſpondeat,variant veterum & recentium tractatorum ſententiæ, non diverſâ fide: Sive varii apparent in ſcriptis eorum circa hujus ſcripturæ explicationem & applicationem, conceptus. Quapropter,in gratiam ſtudioſi lectoris, principes eorumdem, in hoc argumento, obſervationes & ſententias referre eſt animus, ut ex earum comparatione, expoſitionis argumentis ſacræ Scripturæ magis firmatæ veritas eluceſcat,

---

Declaratio expoſitionis primæ,quâ,ex fundamentis in plurali expreſſis, Petrus unum deſignatum à Domino ſtatuitur.

NON ſatis habet Gregorius fundamenti abſolutè,& ſingulari ſignificatione,ſumpti applicationem uni Chriſto vendicare: Regulam inſuper de *fundamentis* plurali numero enuntiatis adjicit, *in ſcriptura ſacra non eſſe aliud quàm prædicatores; quos dum primos Dominus in* *ubi ſuprà.* *ſancta Eccleſia poſuit tota in eis ſequentis fabrica ſtructura ſurrexit.* Item, *Semetipſum ſacrificium pro nobis offerens*

rens Pontifex noſter, dum fortes in ipſo exordio prædicatores exhibuit, duodecim lapides ſub capite in prima corporis ſui parte portavit Sequitur concluſio: *Sancti itaque Apoſtoli & pro prima oſtenſione ornamenti lapides ſunt in pectore, & pro prima ſoliditate ædificij in ſolo fundamenta. Unde Propheta, cùm ſanctam Eccleſiam in ſublimibus Apoſtolorum mentibus poni ædificarique conſpiceret, fundamenta ejus, inquit, in montibus ſanctis.*

Hilarius, etiam, ante Gregorium, de Apoſtolis hæc ſcripſit: *Quia in his bonæ voluntatis eſſet affectus, perfecti ita ſunt, ut & fundamenta Eccleſiarum fierent & columnæ.* In Pſal. 67.

Baſilius, item, *Eccleſia eſt domus Dei viventis, cujus fundamenta in montibus ſanctis. Eſt enim ædificata in Apoſtolis & Prophetis, qui ejus fundamenta jecerunt, quorum unus erat Petrus.*

Sic, eorum Patrum judicio, non omnes paſtores ſunt fundamenta; quia ejus attributionis rationem formalem non in prædicatione verbi abſolutè conſtituunt, ſed in tali prædicatione ex qua quis *primus, in ipſo exordio fundamenta jecerit.* Et hæc duabus primis conditionibus quas ipſe, in hoc argumento, obſervavit Bellarminus, undiquaque reſpondent. *Fuerunt*, inquit, *Apoſtoli Eccleſiæ fundamenta*, 1. *quia ipſi primi Eccleſias ubique fundarunt. Altero modo, ratione doctrinæ à Deo revelatæ. Siquidem fides nititur revelatione quam habuerunt à Deo Apoſtoli & Prophetæ. Nec enim ſemper revelantur Eccleſiæ novi articuli, ſed in ea doctrina Eccleſia acquieſcit quam Apoſtoli & Prophetæ à Domino didicerunt, & prædicatione, vel literis, ad poſteros mandaverunt. Atque hac ratione ſuperædificamur, ut Apoſtolus ait ad Eph. 2. ſupra fundamentum Apoſtolorum & Prophetarum.* De Pont. lib. 1. c. 11.

Porrò quicumque ſive veteres, ſive novitii, eum conceptum fundamenti ſecundæ & inferioris ſignificationis amplectuntur, proferunt è Scripturis ſanctis hoc Pſal. 87. *fundamenta ejus in montibus*; tum etiam quod extat Apoc. cap. 21. v. 14. de *duodecim muri fundamentis*: Quod item ait Paulus Eph. 2 *Ædificati ſuper fundamentum Apoſtolorum & Prophetarum.* Et hæc quidem doctrina per ſe non pugnat cum analogia fidei, nec ſic diſtinctè concepta, vel expoſita, ab ullo orthodoxo ut palam impia damnatur. Tamen ſunt qui aliò ſpectare allegatos Scripturæ locos putent; neque etiam exiſtiment ſatis firmam eſſe rationem quâ fundamenta dicantur qui primi ſuper unicum & ſingulare fundamentum ædificaverint, vel etiam doctrinæ fundamenta tradiderint. Sed eorum argumenta fuſius poſteà proferenda & exponenda nobis erunt. Cæterùm cùm apud pleroſque veterum & recentium pervicerint hæ ſupra propoſitæ rationes, ut primos fundatores Eccleſiarum, fundamenta reſpectu quodam, relativè, & denominativè, nuncuparent, eoque locos annotatos traherent: mirum eſſe debet nemini quod multi Matthæi locum, de cujus ſenſu quæſtio eſt, ſic expoſuerint quaſi Petro Dominus denuntiaverit velle ſe fundamentum conſtituere eum, & ad hunc modum ſuper ipſum Eccleſiam ædificare, quatenùs ex primis fundatoribus à quorum doctrina pendet Eccleſia unus erat futurus. Id verò, pluribus commune, nihil fecerit ad ſupremarum illius cui ſpecialiter eo loco declaratum & applicatum eſſet.

Nec enim rei communis ad ſingularem aliquem

quem particularis applicatio, eam unius peculiarem aut propriam, vel adeò ipſum aliis ſuperiorem re ipsâ facit. Exempli gratia; Si pater quiſpiam, ex occaſione nata, ex pluribus liberis unum aliquem laudaturus, & illi animos ad virtutem additurus, ipſum ſibi in non contemnendo patrimonio hæredem futurum ſpondeat, non continuò cæteros hæreditatis jure excluſos, vel etiam in dividenda hæreditate iſtum præferendum, ſequetur.

Baſilius certè ſatis ſuperque demonſtravit non duxiſſe ſe pro fundamento ratione ſingulari Petrum, qui cùm Apoſtolos in commune ita nominaſſet, ſubjungit: *quorum unus erat Petrus.*

Ambroſius item, ſcribens *petram dici eò quòd primus in nationibus fundamenta fidei poſuerit,* rationem cæteris è ſacro Apoſtolorum collegio communem profert; quia, pariter, eorum quiſque primus idipſum præſtitit: Ideóque Gregorius, loco ſuprà memorato, omnes primos fuiſſe dixit. Bellarminus etiam cùm animadverteret rationes fundamenti ſecundariò dicti cunctorum Apoſtolorum fuiſſe communes, eò res ſuas ipſe redegit ut aſſereret. I. *Habuiſſe alios ſummam atq; ampliſſimam poteſtatem, ut Apoſtolos ſeu legatos: Petrum autem, ut Paſtorem ordinarium.* II *Ita habuiſſe eoſdem plenitudinem poteſtatis, ut tamen Petrus eſſet caput illorum & ab illo penderent.* Verùm hæc modorum diſtinctio cum applicatione non probata, impotens eſt affirmatio. Is enim modus poteſtatis ordinariæ, & authoritatis, à qua cæteri pendeant, maximè ex loco Matthæi confirmandus fuit ut Petri proprius. De modo autem diſtinctivo ibi

Serm. 47.

Digitized by Google

nihil habetur; utcumque res ipſa quam adverſarius diſtinguit, quibuſdam ibidem comprehendi videatur. Eſt autem in re ſeria ludere, propoſito loco ad probationem, tandem proprio commento, duntaxat, niti. Nec etiam commenti partes cohærent quando authoritas quæ (poſt eam quæ Chriſti eſt) ſumma præſupponitur, alteri ſubmiſſa & ab alio ut capite pendêre dicitur.

At enim, inquies, iidem illi Patres qui apud Matthæum Petrum ipſum petram dictum fuiſſe putârunt, eumdem frequentiùs, & quaſi elogio peculiari, fundamentum vocant, atque ſuper eum fundatam Eccleſiam dicunt. Sic Cyprianus in Epiſt. ad Quirin. *Petrus ſuper quem Dominus fundavit Eccleſiam*: Sic alii, qui ratione quadam ſingulari hæc de Petro intellexiſſe videntur, quia hæc de illo, etiam comparatione cum aliis factâ, enuntiant. Reſpondeo diſcernendam eſſe rationem internam formalem (ex qua rei ipſius pendet veritas, cujuſque gratiâ ſimpliciter alicui convenit) à ratione externa & adventitiâ, quæ ipſam rei naturã non ſpectat, ſed accidentis eſt peculiariter ſupervenientis; cujus reſpectu cum cui contingit illud ipſum accidens, certis vocabulis & nominationibus rem alioqui communem ſignificantibus inſigniri & denominari frequentiùs uſu veniat. Siquidem tum ea denominatio non fit propter proprietatem in rem, alios excludentem, ſed κατ' οἰκείωσιν, hoc eſt terminorum appropriationis figuram notiſſimam.

Ratio ſanè formalis & interna fundamenti, ex ſenſu eorum Patrum quos teſtes advocavimus, ea eſt quem paulò ante, verbis eorumdem,

imò

imò & adverſariorum, expoſuimus. Accidens verò ſingulare hoc fuerit, Dominum ad Petrum ſermonem direxiſſe quum, verbis à Matthæo hoc loco expreſſis, dotem ſeu qualitatem cunctis ad idem munus eundémque honorem vocatis & electis Apoſtolis exponeret; ex quo accidente, eorum Patrum uſu, appropriatione figuratâ quæ juri communi reipsâ nihil præjudicet Petrum frequentius ſic denominari & inſigniri contingat.

Ad hunc certè modum Ambroſius Paulo *architecti*, titulum proprium fecit, ut & Petro *fundamenti Eccleſiæ* elogium. *Nec Paulus*, inquit, *inferior Petro, quamvis ille Eccleſiæ fundamentum, & hic ſapiens architectus ſciens veſtigia credentium fundare populorum.* Ad rem ipſam quod attinet, erat verè Apoſtolus quiſque, ſui muneris ratione, fundandis credentium veſtigiis architectus; Petrus haud ſecus ac Paulus. Verùm quia hanc appellationem Paulo duntaxat in Scripturis tribui contingit, eandem ipſi οἰκείως Ambroſius; prout fundamenti titulum, qui, ex hujus interpretationis hypotheſi, ad cunctos Apoſtolos pertinet, Petro ſingulariter tribuit. Alioqui, ſanè architecti nomenclatura, ſi Ambroſii expoſitio conjungatur, eodem recidit, quoad ſenſum, quò fundamenti appellatio. Id etiam idem author animadvertens, eodem loco, *non inferiorem, imparémve*, ſed *æqualem* Petro *fundamento* dicit *architectum* Paulum; quod verum non eſſet, ſi in re ipſa ullum diſcrimen exiſteret.

Amb. de ſp. ſanct. lib. 2. cap. ultimo.

Cyprianus item, cui ab accidente οἰκείωσις illa eſt perfamiliaris, eam etiam veritatis ex æquo participationi nihil præjudicare clarè indicat: Poſt-

Cypr. lib de unit. Eccl. ſiv. de ſimpl. prælat.

quam enim de ædificanda ſuper petram Eccleſia ad Petrum Domini verba, & de paſcendis ovibus mandatum retuliſſet, ſubjungit continuò, *Apoſtolis omnibus, poſt reſurrectionem ſuam,* P A R E M P O T E S T A T E M *tribuiſſe & dixiſſe ſicut miſit me Pater, &c.* Item, *Hoc erant utique & cæteri Apoſtoli quod fuit Petrus pari conſortio præditi & honoris & poteſtatis, ſed exordium ab unitate proficiſcitur, ut Eccleſia una monſtretur.* Cypriani igitur in Petrum fundamenti οἰκίωσις, illum in re ipſa ſuperiorem non facit; nec ullam inter conſortes inæqualitatem, quam ab iis diſertè removet, præſupponit; utcumque in eo quòd jus Apoſtolis ex æquo commune uni pro omnibus, verbis illis de ædificanda ſuper petram Eccleſia & Petro dandis clavibus, denuntiatum eſt, myſterium unitatis Eccleſiæ repræſentari exiſtimet.

Orig in Matth. tract. 1.

Origenes, qui petram dici Petrum cenſuit, de jure communi, adverſùs unius duntaxat proprietatem, ſic loquitur: *Quod ſi putes Eccleſiam ſuper ſolum hunc Petrum fundatam, quid de Ioanne filio tonitrui & Apoſtolorum unoquóque dicturus es?*

Hier. contr. Iov lib. 1.

Eſt etiam Hieronymi in hoc argumento ſenſus perſpicuus. *At dicis, ſuper Petrum fundatur Eccleſia.* Nempe id ſibi ex parte Iovimani, verba Chriſti ad Petrum pro ſua cauſa urgentis, objicit. Sed ne illimitata & inexpoſita remaneret propoſitio illa, ex qua ductam malè ab adverſario ſequelam fuiſſe, in reſponſione, multis demonſtrandum ſibi aſſumpſit, Epanorthoſin hanc dicti in objectione ipſa admiſcere antevertit: *Licet* I D I P S V M *in alio loco* S V P E R O M N E S A P O S T O L O S *fiat; & cuncti claves regni cœlorum accipiant,*

piant, *&* EX ÆQVO *ſuper eos Eccleſiæ fortitudo ſolidetur* Utcumque igitur ex loco Matthæi ſic expoſito ædificata ſuper Petrum Eccleſia dicatur, *idipſum* alio in loco ſuper omnes Apoſtolos factura eſſe vult hic tractator; neque ullum agnovit diſcrimen in ipſa re, quam cunctis *ex æquo* convenire aſſerit.

Satis ſuperque ex his firmata eſt diſtinctio obſervanda inter proprietatem ſingularem in rem ipſam, quæ eſt ſimplicis veritatis; & appropriationem ſive accommodationem Rhetoricæ figuræ, quæ in accidente fundatur. Hujus figuræ ſi exemplum aliud poſtules, habes in dictis veterum & recentium Doctorum quibus de Ioanne hæc peculiaris eſt phraſis, eum de *pectore Dominico doctrinam ſuam educere vel haurire*. Nempe, alludentes ad accidentalem illum ordinem externum accubitûs in ultima cœna, in exprimenda re omni ex parte communi, propriam & peculiarem aptant phraſin. Nec enim de plenitudine Chriſti ille alio à collegis modo hauſit, vel accepit.

Hoc autem τῆς οἰκειώσεως ſchema obſervandum venit in cunctis aliis ad Petrum Domini dictis quibus non alia poteſtas, vel dignitas, ab ea quam verbis aliis contulit cunctis Chriſtus, proponitur. Ideoque hîc ſemel clarè expoſuiſſe ſufficiat, ne poſtea actum agamus.

Quotquot igitur veterum ad eum quem diximus modum Matthæi locum hunc expoſuerunt, nobis nihil officiunt; neque ex eorumdem hypotheſibus ullam, cum adverſariis dimicantes, rejicere cogimur: quinimò negando inde ſe-

qui aut probare, quem aſſerunt primatum, ſatis reſiſtimus; quod vel ipſi Pontificii, veritate cogente agnoſcunt. Bellarminus certè, ut anteà oſtendimus, hîc deprehenſus, verbis Chriſti relictis, in figmento proprio confugium quærit.

IOANNES RAINOLDVS etiam, ſcriptor diligentiſſimus, & qui apud nos non immeritò magni fit, horum veſtigia Patrum ſequutus, quã retulimus interpretationem calculo ſuo comprobavit; ex qua, iis quas expreſſimus annotatis loquendi formulis, doctè Romanam doctrinàm refellit, HARTVMQVE ſeminarii Rhemenſis Presbyterum, cum quo illi negotium erat, ad extremas incitas redegit.

MARCVS item ANTONIVS DE DOMINIS Archiepiſcopus Spalatenſis, qui, editis ſcriptis, ſtrenuè adverſus Romani Pontificis Monarchicos Doctores decertavit, (utcumque ſeculi præſentis amans, & Caſſandrianæ diſſimulationis approbator, poſt labores ſuos in communem Eccleſiæ ædificationem publico datos, pacem adverſariorum honoris & conſcientiæ ſuæ diſpendio redemerit) in hanc interpretationem propenſior eſt, eamq́ue cum noſtra, adverſus falsò Petro adſcriptum ſuprematum, ſententia congruere, demonſtrat; hoc eſt cum ſacrarum ſcripturarum de Apoſtolorum æqualis inter ſe poteſtatis veritate, quam doctiſſimè probat & tuetur in celebri ſuo opere cui de Republica Eccleſiaſtica titulum fecit.

Alterius expoſitionis, quâ Chriſtus ita unicum Eccleſiæ fundamentum eſſe ſtatuitur,

ut

Digitized by Google

ut Petrum à petra diſcerni neceſſe ſit, declaratio & confirmatio.

HORUM Doctorum, veterum recentiúmque, cùm nullum ut nobis ex interpretatione illa prima adverſum, vel ab adverſariorũ parte ſtantem, reſpuamus; tamen aliorum tùm hujus, cùm priſci ævi, tractatorum diverſam expoſitionem commemorare lubet; ex qua argumentum quod ex Chriſti apud Matthæum verbis Pontificii nectunt, non tantùm elumbe, ut ex ante dictis obſervavimus, ſed etiam nullius probabilitatis colore obductum procedere, liquidò conſtet.

Alii igitur, nec pauci, animadvertentes fundamenti vocem, in Eccleſiæ argumento, ex ſimilitudine ſive comparatione materialium ædificiorum uſurpari, notant,

I. Rationem attributionis hujus tituli, quando metaphoricè, ejus ad alterius generis ſubjectum fit applicatio, alteri rationi ex qua in ædificiis materialibus, propriéque dictis, quidpiam fundamentum dicitur, ut ſimilem ſive analogam, reſpondere neceſſariò debere: Cæterùm ædificantes, ratione ædificationis, vel adeò fundationis cujus ſunt cauſæ efficientes, nunquam fundamenta vocari; ſed latè à fundamento, quod ab iis ponitur & cujus reſpectu fundatores dicuntur, differre; ideóque non prædicari de iiſdem fundamentum *in recto*, ut dicantur eſſe *ipſum*, ſed tantùm *in obliquo*, quia ſit ipſorum.

II. Ædificantium autem fundamentum duplex eſſe; Unum, quod naturâ formatum ſibi

Digitized by Google

datúmque quærunt reperiúntque ut ſuperædificent: Alterum, quod ipſi jaciunt efficiúntque pro prima parte ædificii ſuper quam poſteà murus aſſurgat. Primum quidem quærere illos, duntaxat, retegere, oſtendere, & probare; poſtremum verò, quod labore ſuo conſtruunt locántque in primo, eorumdem, quà fundatores ſunt, opus eſſe.

III. Hujus generis fundamentum, cùm unum ſit plurium lapidum, duntaxat, aggregatione, ſæpiùs plurali numero exprimi, quia non ſit unum ſimpliciter, ſed multa in unum aggregata & coacervata cumulum; ideóque *fundamenta jacere* communiter dici: Primi generis fundamentum, quod unica cautes vel petra citra aggregationem ullam eſſe poſſit, quandóque etiam plurali numero, reſpectu diverſarum alterius fundamenti oppoſitarum, vel appoſitarum potiùs, partium, enuntiari, ideóque & *quærere fundamenta* in ore omnium eſſe.

IV. Inde inferunt admodùm impropriè & καταχρηστικῶς fidelem quemque, & quoſvis Paſtores quibus ædificandi munus incumbit (prout Origeni & Baſilio eouſque allegoria producitur) vel etiam Apoſtolos fundatores, fundamenta dici: Ieſum autem Chriſtum ſolum & unicum eſſe à Deo conſtitutum, poſteà verò Apoſtolis retectum publicè & comprobatum, ut ab architectis quorum miniſterio cœpit Eccleſia in Chriſto conſtitui & conſtrui: Eam verò in principiis & exordio factam ab ipſis conſtitutionem fuiſſe jacta ſecundi generis fundamenta, quorum progreſſus, & ſubſe-

ſubſequens opus ædificatæ ab aliis Eccleſiæ, murus ſit qui ſuper priorum fundationem erigitur continuò.

V. Quia verò Chriſtus tum actu fundamentum eſt, ſive potiùs in ipſo fundantur actu lapides vivi, quum in ipſum creditur, ipséque fide excipitur, ſeu unius Ieſu Chriſti crucifixi evangelica doctrina, eapropter etiam fidem non immeritò fundamentum vocari; quatenùs nihil aliud eſt quàm Ieſus Chriſtus creditus & fide exceptus, quod verũ & unicum eſt Eccleſiæ fundamentum: Eadémq; pariter ratione verbũ veritatis & doctrinam fidei eſſe fundamẽtum, quia nihil aliud eſt quàm Chriſtus Ieſus pro unico fundamento declaratus & propoſitus ad obedientiam fidei. At neque verbum conſideratum ut inſtrumentum, neque verbi prædicationem, neque fidem quà habitus vel actus humanus eſt, ex ſe eſſe fundamentum; Non, inquam, *in abſtracto*, ratione formarum accidentalium, ſed *in concreto*, propter ſubjectum ipſum, Chriſtum nempe cum his accidentibus adjunctiſque conſideratum; quo ſenſu ab unico illo non aberratur, quando hæc enumerata eo titulo inſigniuntur tantùm quatenùs ad ipſum reducuntur: Eâ acceptione Judam Apoſtolum *ædificare* velle pios *ſuper fidem* *Iude verſ.*
ſanctam ſuam, & annotare Lucam, in Actis, *mul-* *20. Act. 6. 7.*
tam turbam ſacerdotum auſcultâſſe fidei.

VI. Cum his obſervationibus convenire etiam, quas aliò trahunt primæ interpretationis authores, biblicas ſententias. Quod enim ex Pſalmo 87. adfertur, primò & ad literam de Hieroſolymis dictum eſſe, cujus urbis fundamentum

naturale erat in montibus,ut pars in toto: Iactu item fundamenta, fuiſſe in montibus, quia poſita & collocata in ea montium parte quâ ſuſtinebantur. Idipſum etiam,ut figura typúſque,ad veritatem ſpiritualem relatum, in Christi & Eccleſiæ myſterio obſervandum venire; cùm ipſe ſit mons firmus & fortiſſima rupes, fundamentis à natura ſubſtratis reſpondens:illa verò in primordiis & initiis ſuæ ædificationis, ſive muri ſui pede,cum jactis à fundatoribus fundamentis conferri poſſit.

VII. Ad fundamentum à Deo poſitum, & ædificantibus cunctis præſuppoſitum, quod attinet, *neminem poſſe aliud ponere præter hoc quod poſitum*
1.Cor.3.11. *eſt quod eſt Ieſus Chriſtus*: in jactis verò ab architectis fundamentis,ſuam Apoſtolorum quemque partem habuiſſe,propriumque adeò fundamentum, ſive fundationem, in communi & unico
Rom.15.20. primi generis fundamento; Ideoque Paulum *prædicatum* à ſe aſſerere *Evangelium non ubi nominatus erat Chriſtus,ut ne,*inquit,*ſuper alienum fundamentum ædificarem.* Ibi alienum fundamentum fuiſſe, non Chriſtum ſuper quem ædificabant omnes, ſed initium ædificii, ſive fundationem, in iis qui aliorum operâ de Chriſto audiverant & crediderant. Ita ſcilicet ſuum Paulo & collegarum cuique fuiſſe fundamentum κατὰ τὸ μέτρον τοῦ κανόνος οὗ ἐμέρισεν ὁ Θεὸς: *ſecundùm menſuram regulæ quâ men-*
2.Cor.X.13. 14.15.16. *ſus eſt ipſis Deus.* Nam & regulis, ſive calamis & *cannis*, unde *canonis* nomen, ſolere ædificantium metiri opera, ut inde cujuſque diſcernatur portio. Noluiſſe verò ſapientem architectum Paulum εἰς τὰ ἄμετρα, ſive ultra *canonem ſuum*,

ſuper

ſuper alienis laboribus, vel ἐν ἀλλοτρίῳ κανόνι, *in alienâ regula*, gloriari; verùm de admenſa ſibi portione Corinthios profiteri eum, quia *ad eos* ἐφικέσθαι, *pertingere, partitus illi erat Deus*, atque adeò, ait ipſe iiſdem, εἰς τὰ ὑπερέκεινα ὑμῶν, *ad ea quæ ultra vos ſunt?* Quæ alieni item canonis erant, vocare τὰ ἕτοιμα, quia ab aliis *parata* & fundata eſſent.

VIII. Harum menſurarum ratione, jacta *fundamenta* muri, in deſcriptione Eccleſiæ, ad *duodecim*, pro numero architectorum à ſpiritu ſancto reduci; & *in iis eſſe nomina duodecim Apoſtolorum agni*, ut hæc fundamenta ipſorum eſſe intelligantur. Siquidem viri nomen operi appoſitum, ut libro, aut ædificio, haud ſignificare eum cujus nomen inſcriptum eſt, illud ipſum eſſe opus, ſed eſſe ejus opus cuius nomen appoſitum eſt. Neq; verò in Scripturis Apoſtolos fundamẽtum vel fundamenta dici, ſed tantùm eſſe ipſorum; ut eo quem protulimus loco cap. XV. Epiſt. ad Rom. tum etiam Eph. II. 20. ubi fideles dicuntur *ſuperſtructi ſuper fundamentum Apoſtolorum & Prophetarum*; fundamentum autem alicujus non eſſe eumdem illum cujus dicitur fundamentum. *Apo XXI. 14.*

IX. Denique quibus hæc omnia, ſolida, certè! & S. Scripturæ rectæque rationi conſentanea, annotata ſunt, cùm videant inde ſecundum Gregorii, de fundamentis in plurali expreſſis, axioma, ut cum veritate pugnans, clarè ſubrui; ſtatuunt ſatiùs eſſe, & magis ad mentem Scripturæ, nullum omnino Miniſtrorum Eccleſiæ fundamentum nuncupare, nec ſuper eos ædificatam vel fundatam Eccleſiam dicere; quia utcumque ſenſu pio intelligatur, admodùm impropria eſt

Digitized by Google

orthodoxo ſenſui exprimendo, & non rectè intelligentibus vehementer periculoſa locutio.

X. Iam verò hoc poſito, ex allegatis locis attributionem fundamenti miniſtrorum ulli convenire probari nullomodò poſſe, ſupereſſe dictū illud Chriſti, *& ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam*, quærendumque nobis quæ ſit illa petra; miniſter quiſpiam, an ipſe Dominus. Ad hoc primùm, in Scripturæ latifundiis, doctrinam de petra & lapidibus ſpiritualibus, ex qua, omnibus circumſtantiis attentè conſideratis, controverſus loci ſenſus aperiatur, inveſtigandam eſſe. Id verò nos ſequentibus perſequemur.

Deut. XXXII. 31. Deus, ſanè, cujus eſt robur & potentia, populi ſui *rupes* eſt: *Nec ut rupes noſtra*, inquit Moſes, *rupes* **2 Sam. XXII. 2.** *illorum eſt*: Ideò David, Iehovam *petram* ſuam, *ro-* **2. Cor. V. 9.** *búrque* ſuum, profeſſus eſt. Sed, quemadmodùm *Deus in Chriſto erat mundum ſibi reconcilians*; ita in eodem ſe rupem & petram populi ſui exhibet, præſtatque in Eccleſiam quidquid beneficii ratione hujus attributi in nos confertur, per filium ὁμοούσιον patri. Quapropter Paulus, expoſiturus **1. Cor. X 4.** quid eſſet ſignificante myſterio petra ſalientis a- **Eſa XXVIII. 16.** quæ è qua biberunt Iſraëlitæ, ait, *petra autem erat Chriſtus*. Eò itidem Eſaiæ prophetia referenda, de **Pſa. LXVIII. 22.** *electo & pretioſo lapide*, quem memorat Pſaltes *ab ædificantibus reprobatum, factum autem in caput anguli.* Ipſe ſiquidem Servator in ſe completa hæc eſſe docuit apud Matthæum XXI. 42. Apoſtolus e- **1. Pet. II. 4. 5. 6.** tiam Petrus ſigillatim Prophetarum vaticinia referens, eorumdem veritatem in Chriſto commonſtravit; & ſic Eſaiæ locum expreſſit: *Ecce, pono in Sion lapidem ſummum angularem, electum, pretioſum,*

& qui

& qui crediderit ἐπ' αὐτῷ, *ſuper eo*, vel *in eum non pude-*
ſiet.

Sunt & non tanti pretii lapides, in quorum
nullum credere fas ſit, etiamſi, eò quod in eum
credunt in quo confundi aut pudefieri ne-
queunt, quique *credentibus eſt* ἡ τιμὴ, in pretio ſint
apud Deum. Et ille quidem eſt per ſe ἔντιμος, pre- v. 5. & 7.
tioſus in conſpectu Dei; credentes verò *ad eum*
accedentes qui lapis eſt vivus, ipſi quoque ut lapides in do-
mum ſpiritualem ædificantur. Participatione igitur, v 4.
ſive ex communione cum Chriſto, & ipſi lapi-
des vivi ſunt, non vî aut vitâ propriâ, ſed quate-
nùs *vivit in ipſis Chriſtus*, ut *quod vivunt in carne vivăt*
in fide filij Dei, & quidquid poſſunt, ἐν τῷ ἐνδυνα- Gal II. 20.
μοῦντι χριστῷ, poſſint. Phil. IV. 13.

Hinc, ſcilicet, Simon cognominatus eſt Pe-
trus, vel Cephas, quod hujus generis lapis vivus
eſſet, participatione lapidis fundamẽtalis Chriſti,
crederetque ἐπ' αὐτῷ; non quia in Petrum, ſive
ἐπ' αὐτῷ Πέτρῳ, credere mandatum ſit. Ideoque ex
eo ſingulariter cognominatus eſt Petrus quod
reipſa omnibus fidelibus commune eſt. Nec i-
pſe etiã, ratione cognominis ſibi ſoli rei ipſius &
honoris proprietatem vendicavit qui, ut ex præ-
dictis patet, poſtquam Domini meminiſſet, ſub-
jungit *ad quem accedentes lapidem vivum*, &c. καὶ αὐτοὶ,
ipſi QVOQVE, *tanquam lapides vivi*, *ædificamini*.
Certè illud *quoque* eos quos alloquitur alteri cui-
piam notiſſimo, nempe ſibi, in honore lapidum
vivorum, ut conſortes, adjungit; Ac ſi diceret,
non ego tantùm qui inde à Domino cognomen
retuli, ſed & vos itidem qui *ejuſdem pretij fidem no-*
biſcum ſortiti eſtis. Sic enim ipſe alibi eorũ ad quos

Digitized by Google

2.Pet.6.1. ſcribit fidem ἡμῖν ἰσότιμον vocat; nempe quia omnibus unum & idem pretium, ἡ τιμὴ, Chriſtus eſt, ipſeque λίθος ἔντιμος ad ſe accedentibus ex æquo honori eſt, ne pudefiant. Itaque hoc eſt fidei & acceſsûs ſpiritualis pretium, ut ex gratia communi ſint ex æquo lapides vivi in Chriſto fidei conſummatore.

Nullibi, Scriptura hujus poſtremi generis lapides pro fundamento ſubſternit, quaſi ἐπ' αὐτοῖς vel ædificetur vel credatur; nempe quia non ut principium communicationis, ſed ut ex communicatione, ſive ad fundamentum acceſſu, participes, lapides vivi ſunt. Quod ſi cujuſquam eorum fides id obtineret ut aliorum fundamentum eſſet, non haberent alii cum eo ἰσότιμον fidem, ipſeque unà cum Chriſto cæteris credentibus ἡ τιμὴ foret, quod perabſurdum eſt.

Ambroſ. in Luc. cap 9. lib 7. Annoto in tranſcurſu hîc, Ambroſium eos quidem lapides qui ex fide in petram tales facti ſunt, etiam *petras*, ratione fidei ipſorum, vocare. Sed noluit unius eſſe proprium attributum, verùm omnium fidelium ex eadem ratione commune. *Petra*, inquit, *erat Chriſtus. Etiam diſcipulo ſuo hujus vocabuli gratiam non negavit, ut & ipſe ſit Petrus quod de petra habeat ſoliditatem.* Hæc de Petro, quæ adverſarii ſolent obſervare ſedulò. Sed & de aliis (quod omittunt illi) ſequitur: *Enitere ergo & tu ut petra ſis*: Item: *Si petra fueris, in Eccleſia eris, quia Eccleſia ſupra petram eſt: Super hanc petram ædificetur domus tua.* Hæc ille, hanc Petri ipſius ut aliorum gratiam ex qua nomen communicatur, in ædificatione ſupra petram & ejuſdem ſoliditatis partici-

patione

pastione collocans.

Porrò cùm ea, quam de petris & lapidibus ſpiritualibus ex ſcripturis expoſuimus, ſolida certáque doctrina ſit, nec alterius generis lapides definiri vel aſſignari ex ſacris literis poſſint, facilis erit ad locum controverſum, poſt ejus obſervatas circumſtantias, applicatio, ex qua de duobus lapidum generibus quod propoſito convenientius eſt aſſumatur.

Christus lapis ille ἔντιμος & petra firmiſſima, quum diſcipulos interrogâſſet *quid, οἱ ἄνθρωποι, homines* de ipſo dicerent, reſponſum retulit ex quo conſtabat eos, quorum varia judicia propoſita fuerunt, ad ipſum lapidem vivum reverâ non acceſſiſſe, ut & ipſi lapides vivi ædificarentur. Siquidem hi Ioannem Baptiſtam, illi verò etiam, alii ex Prophetis unum duntaxat arbitrati eum, utcumque honorificè de Domino ſentire viderentur, quia ut Dominum non agnoverant, veri pretii & honoris fide in petram, & lapidem angularem ſummum deſtituti, ædificari in domum ſpiritualem, non ultra progreſſi, haud poterant. Illud igitur hominum judicium Chriſtus præteritione reprobare, pro tempore, ſatis habens, de ipſorum diſcipulorum fide inquirit: *Vos verò*, inquit, *quem me dicitis eſſe? Reſpondens Simon Petrus ait, Tu es Chriſtus filius Dei viventis.* Matt. XVI. 15.16.17.18.

Et ille quidem acu rem tetigit, petramque fundamenti ita agnovit, ut verâ fide accedens ad lapidem vivum, ὑπὸ τῶν ἀνθρώπων μὲν ἀποδεδοκιμασμένον, *AB HOMINIBVS quidem reprobatum* (ut ipſe in Epiſtola I. ſcripſit,) *apud Deum verò electum ac pretioſum*, ipſe *veluti lapis vivus ædificaretur*. Chriſtus

verò eo nomine illi gratulatus eſt vehementer, *beatum* prædicans ipſum; tum *non à carne & ſanguine*, hoc eſt, non ab hominibus quorum aliud erat judicium, *ſed à patre qui eſt in cœlis*, edoctum, ſive dono & revelatione Dei credentem, teſtatur. Deinde, fidei divinæ pretium fructumque declaraturus, adjecit, *Et ego dico tibi quod tu es Petrus.*

Bell. de Pont. lib 1. cap. 12. § his igitur.

Planum eſt, ait Bellarminus, *Apoſtolos non eſſe factos Sacerdotes niſi in ultima cœna, neque Epiſcopos & Paſtores niſi poſt reſurrectionem; proinde quum hæc loquebatur (quidquid ligaveritis, &c.) privati homines erant, nec ullam habebant Eccleſiaſticam poteſtatem.* Ex hac adverſarii hypotheſi, aſſumo etiã Petrum privatum fuiſſe hominem, nec ullam habuiſſe poteſtatem Eccleſiaſticam, quum diceret illi Dominus, *Tu es Petrus*; ut quia, hoc loco, non ſpondet Chriſtus Petrum ex munere adjiciendo futurum, ſed tum temporis fuiſſe declarat; non ex munere publico, ſed ex fide privata & confeſſione tum temporis præſente id illi à Domino attributum pateat: Ac ſi dixiſſet, Anteà tibi Petri cognomen, nulla redditâ tum ratione, indidi: Nunc verò, poſtquàm reprobum hominum de me judicium averſatus es, & à patre edoctus quis eſſem, me filium Dei viventis, hoc eſt lapidem electum illum probatiſſimumque, confeſſus es ore, prout credidiſti corde; te id eſſe reverâ quod dictus es, & reſpondere veritatem nomini, teſtor palam; te, inquam, ideò lapidem vivum eſſe ædificatum in me, quia ad petram acceſſeris

Sequitur, *Et ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam.* Quam rogo petram? Nam ſecundi ordinis lapidem illum credentem, participatione petræ, ſive

ſive fide in lapidem fundamentalem, electum, pretioſum, talem factum; an verò petram illam Chriſtum lapidem fundamenti, in quem credens non pudefiet, & ad quem accedens ædificabitur in domum ſpiritualem? Super quem inquam ædificaturus eſt Chriſtus domum illam ſpiritualem Eccleſiam ſuam? Mirum ſiquis judicii anceps ſit, aut pendens animi, poſt certiſſimę veritatis declarationem, poſt animadverſam ſacræ Scripturæ conſtantiſſimam doctrinam, hujusque myſterii ab ipſo etiam Petro adeò dilucidè factam enarrationem, ut in hanc Domini ad ſe propoſitam ſententiam commentarium ſcribere voluiſſe videatur.

Certè ſenſus hic evidens eſt & ſpōte fluit: Dominum, probatâ fide & confeſſione Petri, quam ſuo & condiſcipulorum nomine edidit, de Chriſto filio Dei vivi, pronuntiare id judicium, Deo authore, adversùs humanas præſumptiones prævaliturum, nec tātùm Petrum ut lapidem vivum in hac petra fundatum iri, ſed vniuerſam quoque credentium multitudinem, quæ, fide æquali, pretii, in Eccleſiam domumque ſpiritualem ædificanda eſſet, ἐπὶ ταύτῃ τῇ πέτρᾳ, ſuper ea petra Chriſto de quo dixit Petrus *credentem* ἐπ' αὐτῷ *non pudefieri*, cujus robore & ſoliditate confirmabitur Eccleſia aduerſus Satanæ impetus & inferorū portas; illius, inquam, robore qui fortem vincire potuit & de inferis ad ſalutem noſtram victoriam reportavit. Hæc nempe ſententia Patris eſt de uncto ſuo, quam enarrat filius ipſe, cui convenit analogia fidei, tum ὑγιαινόντων λόγων ὑποτύπωσις, & undiquaque S. Scriptura ſuccinit.

Grammaticæ etiam obſervationes ad hujus ſententiæ probationem non parum conferunt. Siquidem πέτρος & πέτρα differunt terminatione, & genere; nec ſignificatione planè idem ſunt. πέτρος non ſignificat rupem quæ fundamētum eſſe poſſit, ſed ſeparatum ſaxum quod projici aut volvi queat: πέτρα verò, quo nomine inſignitur is ſuper quo ædificatur Eccleſia, ſignificat etiam rupem ſtabilem ex qua, οἱ πέτροι, lapides ſeparati ſuccidantur. Et notatu dignum eſt nunquam in Scripturis purum hominem πέτραν dici, ſed Deum dūtaxat, vel Chriſtū filium Dei vivi; ut clarū ſit quæ de petra dicuntur de Chriſto filio Dei quem confeſſus eſt homo, non de homine Petro qui confeſſus eſt, intelligenda eſſe; neque confundenda ſunt vocabula quę non fruſtra Spiritus ſanctus diverſa poſuit.

At enim, objiciunt adverſarii, Chriſtus loquendo uſus eſt Syrorum linguâ, quæ ejuſmodi vocabulorum diverſitatem non fert, & Petrum petramque unico nomine Kipha exprimit; ut & Hebræa, quâ ſcripſiſſe Matthæus creditur. Verum, quandoquidem contextum Græcum ſpiritûs ſancti eſſe, & in Eccleſia ſemper ut talem conſervatum conſtat, neque aliunde corrigendum hactenùs, quòd ſciam, aſſeruit quiſquam, hæc adverſariorum annotatio ſententiam noſtram potiùs confirmat, quàm ut illi officiat. Non enim de nihilo eſt quòd ſpiritus eâ linguâ quæ diverſis vocabulis & cognatis res cognatas & tamen diverſas exprimere poſſet, ſententiam Domini referens, illa etiam adhibuit, & ſic clarè diſcrevit quod antiquum alioqui remanſiſſet. Sic enim

dubio

Digitized by Google

dubioprocul ſtatuendum eſt, diſtinctione caviſſe nobis ne confunderemus, non errandi anſam præbuiſſe; ſive varietate vocabulorũ explicuiſſe, non implicâſſe. Palàm verò eſt perperam facere adverſarios qui ex ambiguo diſtinguentia & diſtincta, quaſi cotem novaculâ ſecantes, exponũt. Nec ſi maximè exactè, & certò, ipſa vocabula Syra referant quibus uſus eſt Dominus, inde contextũ Græcum quò volũt flectere poſſunt. Nam præterquam quod ſpiritus ſanctus optimus eſt interpres, potuit Chriſtus vel nutu & geſtu, quum loqueretur, ſic ambiguitatem tollere ut inde ſacro ſcriptori diſtinguendi argumentum præberet. Itaque nihil cauſæ erat cur Bellarminus Auguſtino infenſus eum *linguæ ignorantiâ deceptum* diceret.

Vnica eſt ex conſtructione objectio, quæ pluris facienda videatur: pronomen demonſtrativum *hanc* ad aliquid præcedens referri. Reſpondeo præceſſiſſe mentionem Chriſti filii Dei viventis, ut ſubjecti principalis totius ſermonis, & conſideratum fuiſſe ultimò ut id unde Simoni Petri nomen conveniebat, quod notionem ejus, Chriſti inquam, ut petræ neceſſariò ingerebat, quia cur ab eo ita cognominatus ſit ille aliter intelligi nequit. Quid ni igitur ipſius petræ nomine poſteà expreſſo, apponeretur pronomen demonſtrativum ejuſdem generis quod ipſam anteà commemoratam arguat? Neque verò abſurdè ſic aliquem affabere: *Hem*, mi frater, *qui filium Dei viventis fide amplexus es, eoq; Chriſtianus es, hunc Chriſtum ſedulò cole.* Item: Tu *omni ſcientiarum genere ornatus es & doctus, ſed videſis ne hæc tua doctrina ſit ſuperbiæ incentivum.*

Caſaub. exercit 15. pag. 394.

ISAACVS CASAVBONVS, vir doctiſſimus, & harum rerum peritiſſimus, notat in exercitationibus ſuis adverſus Baronium, *Novum non eſſe ut relatio fiat ad vocem in præcedente aliqua dictione latentem,* exemplisq; ex *Homero* & *Athenæo* prolatis idipſum demonſtrat; tum etiam ex Ioan. VIII. 44. ubi de Diabolo ait Chriſtus, ὅτι ψεύστης ἐστὶ καὶ πατὴρ αὐτοῦ, *quia mendax eſt & pater eius. quid eius? nempe* τοῦ ψεύδους *mendacii: Hic verò eò faciliùs huic figuræ locus eſſe poteſt, quia vox ipſa quæ includebatur in nomine Petrus eſt expreſſa à Chriſto.*

Addit idem, *Si pronomen demonſtrativum propriè & δεικτικῶς interpretari libeat, id quoq; per leges rectæ interpretationis licere; adeoq; abſurdam non fore expoſitionem ut venuſtatem locutio Domini ſit habitura: Nam in omnibus linguis pronomina demonſtratiua eleganter accipi de loquentis perſona; ut apud Sophoclem in Oedipo Coloneo Polynices petit à patre ut ignoſcat τῷδ' ἀνδρί, hoc eſt ſibi. Ita omnino accipiendum eſſe quod ait Dominus Iudæis Ioh. II. 19.* λύσατε τὸν ναὸν τοῦτον, *ſolvite templum hoc, corpus ſuum indicans.*

Eſt ſanè diligenter conſiderandus hic locus. Chriſtus erat in templo, quod ſui corporis & veritatis in ipſo completę & complendę figura fuit, indeque mercatores abegerat. Mirantur Iudæi, quæruntque quæ *ſigna oſtendat* ut hæc faciat. Reſpondet Chriſtus, *ſolvite templum hoc, & in tribus diebus ſuſcitabo ipſum.* Iudæi de templo materiali, communem rationem ſecuti, interpretabantur, & malè; quia pro ratione attributi ſubjectum intelligendum fuit, ut quoniam ex Scripturis non templum illud materiale diſſolutum ſuſcitãdum erat, ſed ipſum veritatis templum corpus Chriſti, etiam

etiam de templo corporis ejus hæc dicta acciperentur. Sic & hoc loco Matthæi quo de diſputamus, cùm Chriſtus ſermone Syro, ut notant adverſarii, quodam reſpectu & ob participationem principalis lapidis, Simonem *Kipha*, hoc eſt lapidem eſſe dixiſſet, ſubjungit *ſuper hoc Kipha ædificaturum ſe Eccleſiam.* Pontificii communi Grammaticæ rationi mordicùs cum Iudæis adhærentes, pronomen *hoc* ad Petrum referunt: Nos verò ex attributione ſuperædificationis Eccleſiæ quæ in Scripturis ſoli Chriſto tribuitur ſubjectum ita interpretamur ut Dominum de perſonæ ſuæ petra locutum fuiſſe non dubitemus; támque facilem flexum à *Kipha*, ſive lapide denominativo & participationis, ad *Kipha*, ſive lapidē primitivum & principii, ut à templo figuræ ad templum veritatis agnoſcimus. Et eò inſuper nos manu ducit & vel renitentes ipſos trahere voluit ſpiritus ſanctus, quum in textu Græco aliud vocabulum & primitivum ipſum, quod nuſquam Simoni, ſemper autem Chriſto tribuitur, ſubſtituit, lucem manifeſtam præditurus.

Tria itaque Grammatices in authoribus etiam profanis ut in Scripturis obſervanda, quorum unum ſuffecerit, hîc concurrunt. I. Senſus præcedens. Extant enim & in Scripturis & in authoribus aliis plurimi loci in quibus pronomen ad ſenſum potiùs refertur quàm ad aliquam dictionem præcedentem, ordinariâ ſyntaxi. II. Dictio in præcedente latens. III. Pronominis δεικτικῶς de loquentis perſona ſumendi, ubi id attributio poſtulat, regula.

Ad rem verò quod attinet, ita clarum eſt, è

Scripturarum luce, Chriſtum eſſe petram illam ſuper quam ædificatur Eccleſia, ut Chriſtianorum nulli ſit controverſum, neque cuiquam abſurdum, vel cum veritate pugnans, cenſeri queat quod fidei certiſſimum eſt axioma. De Eccleſia verò ſuper Petrum aliúmve hominem ædificanda, nullum exſtat S. Scripturæ teſtimonium quo quidquam ejuſmodi confirmetur, ut ex prædictis manifeſtum eſt. Ut quid igitur quum de loco, in cujus expoſitione, propter difficultatem, variant nobiliſſimi interpretes, quęſtio eſt, peregrinum ſenſum nuſquam alibi propoſitum vel ex aliis locis confirmatū, eo rejecto cujus eſt in ſe cōperta veritas, amplecteremur? Eſt ſanè, certiſſima, quā

Aug. de unit. Eccl. contr. Pelag. cap. 5.

Auguſtinus *prædicat* & *proponit* regula, ut ad obſcuriorū locorū illuſtrationē, *quæq; aperta & manifeſta deligamus, quæ ſi in ſanctis ſcripturis non invenirentur, NVLLOMODO eſſet vnde aperirentur clauſa & illuſtrarētur obſcura.* Faciunt autē ad interpretationē hanc poſtremam quæque aperta & manifeſta; primæ verò, ne vel occultâ quidem aliquâ ſpeciē favent. Nihil eſt igitur quòd probatiſſimæ ſubſcribere vereamur. Eſt & illa veterum Doctorum calculis & ſuffragiis comprobata; imò & eorum non pauci qui, quandóque in allegoricis expoſitionibus genio indulgentes, priorem protulerunt, tandem veritatis filum ſecuti pedibus in aliam ivêre ſententiam.

Aug de verb. Dom in Evan. Matth Serm. 13.

AUGUSTINUS eam, præ aliis, clarè & dilucidè, argumentis & confirmationibus fultam, edit his verbis: *Quia enim Chriſtus petra, Petrus populus Chriſtianus: petra enim principale nomen eſt; ideò Petrus à petra, non petra à Petro, quomodo non à Chriſtiano*

Chriſtus,

Digitized by Google

Chriſtus, *ſed à Chriſto Chriſtianus vocatur. Tu es ergo*, inquit, *Petrus*, *& ſuper hanc petram quam confeſſus es*, *ſuper hanc petram quam cognoviſti* (en relatione pronominis *hanc* ad ſenſum precedentem) *ædificabo Eccleſiam meam*; *id eſt*, *ſuper me ipſum filium Dei vivi ædificabo Eccleſiam meam. Super me ædificabo te*, *non me ſuper te*. Hîc claré diſcrimen ponit inter Petrum & petram. Quum veró petram dicit *nomen principale*, non hæc illi etymologica obſervatio eſt, ex qua velit (quod affingit Bellarminus) nomen illud πέτρος derivatum à πέτρα ut Latinè *ex petra petrinus*; Quin potiùs rem ipſam ſpectavit, hoc eſt Simonem factum eſſe Petrum participatione petræ; ut nomen petræ principale ſit, non quia primitivum derivativi, ſed quòd, ex uſu ſcripturæ, lapidis ἀκρογωνιαίου ſive principalis, nempe Chriſti ſit nomen, quod etiam, ut ſuprà diximus, ſignificatione ſuâ eſt ἐμφατικώτερον.

Ad rationem ex doctrina fundamenti & ædificationis Eccleſiæ petitam quòd attinet, ſubjungit idem author immediatè poſt: *Nam volentes homines ædificari ſuper homines, dicebant, ego quidem ſum Pauli, ego autem Apollo, ego verò Cephæ, ipſe eſt Petrus. Et alii qui nolebant ædificare ſuper Petrum, ſed ſuper petram, ego autem ſum Chriſti. Apoſtolus autem Paulus ubi cognovit ſe eligi, & CHRISTVM CONTEMNI, Diviſus eſt, inquit Chriſtus? &c.*

Idem, in retractationibus, notat ſe, *Presbyterii ſui tempore, ſcripſiſſe adverſus epiſtolam Donati & in eo libro dixiſſe de Apoſtolo Petro, quod in eo tanquam in petra fundata ſit Eccleſia, qui ſenſus etiam*, inquit, *cantatus ore multorum in verſibus Beatiſſimi Ambroſii.* Sic nempe, ſibi tum excidiſſe excuſat ab authoritate multo- *Aug. retract. lib. 1. cap. 21.*

rum, quod nullâ unquam ratione confirmavit. Deinde, ad correctionem & retractationẽ, ſubjungit: *Sed ſcio me poſteà ſæpiſſimè expoſuiſſe quod à Domino dictum eſt, Tu es Petrus, &c. ut ſuper hanc intelligeretur quem confeſſus eſt Petrus, dicens, Tu es Chriſtus filius Dei vivi.* Tum hanc expoſitionem denuò confirmat. *Non enim*, ait, *dictum eſt illi, Tu es petra, ſed Tu es Petrus; petra autem erat Chriſtus quem confeſſus Simon, ſicut tota Eccleſia confitetur, dictus eſt Petrus.* (hæc ſcilicet ratio eſt cur petra ſit nomen principale) *Harum autem duarum ſententiarum quæ ſit probabilior eligat lector.*

Nempe quia noluit palam damnare eam quæ multorum ore canebatur, alteram argumentis validiſſimis confirmâſſe ſatis habuit: Sic alioqui lectori liberam electionem permittens, ut argumentorum pondere in alteram partem inclinaret, & tantum non cogeret. Ita ferè ſemper mitiſſimi ingenii vir in iis quæ *propter quarundam ſanctarum vel turbulentarum perſonarum ſcandala devitanda liberiùs improbare non auſus eſt.*

Id. Ep. ad Ian. 119.

HIERONYMVS pariter Petrum à petra diſcernit, qui meminit *Provinciarum quas doctrina Petri ſuper Chriſtum fundaverat petrã.* Clarius etiam alibi: *Super hanc petram Dominus fundavit Eccleſiam: Ab hac petra Apoſtolus Petrus ſortitus eſt nomen Super hujuſcemodi petram non inveniuntur ſerpentis veſtigia. De hac & Propheta loquitur confidenter: Statuit ſuper petram pedes meos.* Et paulò poſt, *Fundamentum quod Apoſtolus architectus poſuit, VNVS EST DOMINVS noſter Ieſus Chriſtus: ſuper hoc fundamentum ſtabile & firmum, & per ſe robuſta mole fundatum, ædificatur Chriſti Eccleſia.* Item alibi; *Simoni qui credebat in petram*

Hier contr Iovin. lib 1. Id in Matth cap. 7. tom. 9.

Id. in Matth. cap. 16.

tram Chriſtum Petri largitus eſt nomen.

CYRILLUS ALEXANDRINUS ſic ait: *Conſentaneum eſt his verbis petram nobis vocari Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, in quo, tanquam ſpelunca quadam vel ovium ſtabulum, Eccleſia intelligitur, habens tutum & inconcuſſum, ut ita benè ſit, domicilium. Tu es enim, inquit Servator, Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam.* Adeò clarum exiſtimavit in verbis à Matthæo expreſſis Chriſtum petram dici, ut inde, tanquam ex aperto loco, Propheticæ ſententiæ, de *petra*, ſenſum confirmare non dubitet. *Cyrill Alex. in Eſ. lib. 3. cap. 33.*

BEDA, Auguſtinum ducem ſecutus: *Super hanc petram à qua nomen accepiſti, id eſt ſuper me.* *Bed. Hom. in vigil. S. And.*

Fuit etiam poſtmodùm expoſitio hæc adeò communis, ut Tharaſius Conſtantinopolitanus, in Concilio Niceno II. quod generale VII. vocant, dixerit, *videre ſe ſuper hanc petram Chriſtum Eccleſiam fuiſſe fundatam.* *Concil. Nic. II. Act. 2.*

Pontifices etiam Romani Nicolaus I. & Innocentius III. clarè affirmant *Petrum ſic à Chriſto petra nominatum fuiſſe.* *Nicol. I. Ep. 2. Inn. III. Ep. lib. 2. Ep. 79.*

His omnibus ſi adjungamus eos qui *petram* exponunt *fidem*, vel *veritatem*, vel *confeſſionem* Petri, ſic antiquitatis ſuffragiorum numero vincit poſtrema interpretatio, ut primæ vix pars tertia adſtipulari reperiatur. Eos porrò, ut unius ſententiæ, ſimul numerari conſentaneum eſt rationi; quia utcúmque verbis differant, eundem ſenſum retinent, & unum idémque fundamentum ſtatuunt. Siquidem *fides* pro *veritate* ſumpta, (prout Doctores illi indifferenter utrumque vocabulum in hoc argumento uſurpant,) certè non eſt habitus vel actus hominis circa veritatem &

id quod credendum eſt, ſed potius credita veritas; hoc eſt fides objectivè ſumpta, ſive objectum fidei, quod reducitur ad Chriſtum *veritatem & vitam.*

Ioh. XV. 6. *Confeßio*, item, ſi pro *veritate* & *fide* ponatur, prout ab iiſdem veteribus illa indiſcriminatim uſurpantur, tùm non erit propriè confitentis actus, ſed ipſum confeſſionis argumentum, ſive id quod confitentur pii; Chriſtus ſcilicet, filius Dei viventis. Sic veritas & confeſſio fidesque Petri nihil aliud ſunt quàm ipſe Chriſtus in quem credidit Petrus, quemque ut veritatem confeſſus eſt; nulla verò ratione Petrus ipſe.

Bell. de Pont. lib. 1 cap. 19. Bellarminus contra, vult idem eſſe ſuper Petrum & ſuper fidem ejus Eccleſiam fuiſſe fundatam, nititurque conciliare ſententiam quâ *fides Petri* dicitur *fundamentum Eccleſiæ*, cum ſua de *Petro fundamento*; *quia*, nempe, *ratione fidei ſuæ indefectibilis Petrus ſit petra firmißima totam Eccleſiam ſuſtentans.*

Primùm verò abſurdè veteribus abſurdum ſenſum affingit, quaſi fundamentum Eccleſiæ dixerint id cujus ratione quiſpiam propriè ſit fundamentum. Sunt enim contradiſtincta ſubjectum ipſum quod eſt tale quid, & id ratione cujus eſt tale. Itaque perinde eſt ac ſi dicas generationis actum eſſe patrem filii, quia ſit id cujus ratione homo pater eſt; & coincidere hæc, generationem eſſe patrem & hominem eſſe patrem, quòd illa ſit id cujus ratione homo pater eſt. Deinde, eorum qui fidem ita à Petro diſcernunt ut quod de illa affirmant de ipſo negent, non potuit eſſe mens, Petrum eſſe id quod negabant, fidem verò id ratione cujus erat idipſum.

CHRY-

CHRYSOSTOMUS in iis eſt qui ut oppoſitum removent quod Bellarminus ut appoſitum conciliat. *Chriſtus*, inquit, *non dixit ſuper Petrum. Non enim ædificavit Eccleſiam ſuam ſuper hominem, ſed ſuper fidem. Quid autem erat fides? Tu es Chriſtus filius Dei vivi.* *Chryſ. tom. 3. ſerm. de Pentecoſte.*

AMBROSIUS, itidem. *Fides ergo eſt Eccleſiæ fundamentum. Non enim de carne Petri, ſed de fide dictum eſt, quia portæ mortis ei non prævalebunt.* Et alibi, cùm meminiſſet *firmamenti cœli ſuperni illius*, addit, *Hoc quoque non diſſimile firmamentum de quo dictum eſt, ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam. Illud* (nempe cœli ſuperni illius) *firmamentum elementorum, hoc* (nempe petra) *virtutum. Iam illud præſtantius ſuxerunt oleum* (virtutum ſcilicet) *de firma petra. Petra enim caro Chriſti quæ cœlum & totum mundum redemit.* Ambroſius igitur uno loco à carne Petri removet fundamenti attributum, ut fidei tribuat; & alibi carnem Chriſti petram dicit, etiam ad verba Domini de Eccleſia ſuper petram ædificanda reſpectu habito; Ergo, ex ejus mente, carne ſive perſonâ Petri ſeclusâ, fides eſt fundamentum quatenus cum carne Chriſti unum idémque cenſeri poteſt, id eſt quatenùs pro objecto fidei ſumitur vel pro eo quod creditur, nempe carne Chriſti. *Ambr. de incarnat. Dom. Sacram ca. 5. Id. Epiſt. lib. 6. Ep. 38.*

Supereſt & aliud certiſſimum evidentiſſimúmque intentionis eorundem Doctorum teſtimonium, quod rejicere extremæ ſit deſperationis; quãdo ipſimet Patres fidem & confeſſionem, in hoc argumento, rem ipſam quæ creditur, quamque confiteri neceſſe eſt, clarè interpretantur.

AUGUSTINUS. *Quid eſt ſuper hanc petram ædifi-* *Aug. in Ep. Ioh. tract. 10.*

Digitized by Google

cabo Eccleſiam meam? ſuper hanc fidem; ſuper id quod dictum eſt, Tu es Chriſtus filius Dei vivi. Eodem igitur ſenſu ſuper fidem ædificari Eccleſiam intellexit, quo in Chriſto petra eam fundari docuit.

Hilar. de Trinit lib. 2. Eò item accedit HILARIUS: *VNVM igitur hoc eſt immobile fundamentum, VNA hæc felix fidei petra Petri ore confeſſa: Tu es filius Dei vivi.* Hîc certè fidem pro re confeſſa ſumere ſe profitetur; & res illa non eſt Petrus, ſed Chriſtus filius Dei, quem Petrus ore confeſſus eſt, ad quem niſi reducatur propoſitio unius immobilis fundamenri, blaſphema eſſet, quia de alio intellecta eum excluderet.

Epiph. hær. 54. vel 74. EPIPHANIVS etiam: *Super hanc petram firmæ fidei ædificabo Eccleſiam meam.* Et alibi, *Portæ inferorum ſunt hæreſes, ſed contra petram non prævalebunt, hoc eſt contra veritatem.* Fides igitur fundamentum eſt quatenus ſumitur pro veritate credita, quæ Chriſtus eſt propriè, nullomodò Petrus veritatis confeſſor.

Theoph. in Matth. ca. 16. THEOPHYLACTVS: *Quia confeſſus erat eum Dei filium Petrus, dixit quod hæc confeſſio quam confeſſus eſt fundamentum erit futurum credentium.* Confeſſio igitur non *quâ*, ſed *quam confeſſus eſt*, hoc eſt veritas ipſa Chriſtus filius Dei vivi, non Petrus qui confeſſus eſt.

Omnium verò exquiſitiſſimè GREGORIVS NYSSENVS demonſtrat quod ſit confeſſio & petra fidei. Tractatûs ſeu capitis titulus eſt: *Vt petra vitæ Chriſtus in divinis Scripturis prædicatus ſit, & quare lapis.* Ibi expendit attributa *petræ vitæ*, *petræ fidei* & *petræ offendiculi. Sic autem*, inquit, *his nominibus vocatur communi ratione propter firmitudinem deitatis.* [Ab hac ratione communi Petrus excluditur

tur neceſſariò.] *Ac petra quidem vitæ, tanquam fons & radix & principium & cauſſa & exitii expers & æternus. PETRA verò FIDEI, tanquam fundamentum; ut ipſe Dominus ait ad principem Apoſtolorum, Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam; ſuper confeſſionem videlicet Chriſti; quia dixerat, Tu es Chriſtus filius Dei viventis. Quemadmodùm item David in Pſalmo trigeſimo nono, & ſtatuit ſuper petram pedes meos, & direxit greſſus meos. Et Apoſtolus in prima Epiſtola ad Corinthios, Bibebant enim ex ſpirituali petra ſubſequente eos, petra autem erat Chriſtus.*

Eſt & notandum BASILII SELEVEIENSIS teſtimonium: *Hanc*, inquit, *confeſſionem petram vocans Chriſtus, Petrum nominat eum qui primus eam confeſſus eſt. Ipſa eſt ſalutis baſis, hic murus eſt fidei, hoc eſt veritatis fundamentum. Fundamentum enim aliud nemo poteſt ponere præter id quod poſitum eſt IESVS CHRISTVS.*

Baſ. Seleu. Homil. in hac verba, præcipe ut duo filii mei ſedeāt, *&c. pag. 225. Græc.*

Unum igitur & idem ſunt *petra fidei*, *petra veritatis*, *petra confeſſionis* & *petra Chriſtus*, nullamque reapſe in hoc argumento habent inter ſe differentiam. Tantummodò *petra fidei* & *confeſſionis* Chriſtum veritatem ut creditum & confeſſum ad ſalutem deſignant. Atque etiam (quod anteà notavimus) verum eſt Chriſtum petram non priùs actu fundare ullum quàm in ipſum crediderit, eúmque in corde per fidem inhabitantem habeat.

Stat igitur expoſitio poſtrema, non tantùm veterum Doctorum ſuffragiis ſuperior, ſed ex ipſo contextu & analogia fidei, & verborum diſtinctione & ſitu, adeò clarè firmata, ut argumento adverſariorum ex Chriſti verbis pro ſuprema-

Digitized by Google

tu Petri deducto nihil ineſſe vel probabilitatis luce clarius evadat.

CAP. VIII.

De clavibus regni cœlorum eodem Matth. XVI cap. Petro promiſſis; ejus ſuprematum non inde ſtabiliri; Et ex occaſione nata oſtenditur quo ſenſu & quâ ratione ducti nonnulli veterum eundem caput indigitavêre.

QVod in Domini ad Petrum dictis, de clavibus regni cœlorũ illi concedendis ſive committendis, apud Matthęum ſubjungitur, etiam pro ſua ſententia urgent adverſarii. Et illi quidem qui ſuâ theſi nobis argumentum ſcribendi præbuêre, ſcribunt *claves regni cœlorũm, ſcriptura teſte, ſoli Petro promiſſas eſſe*; *Noſq; tamen aſſerere Petrum non habuiſſe* Gall. *par aucune ſpecialité, ulla ſibi peculiari ratione, claves regni cœlorũ.* Neque verò pugnant illæ ſententiæ, & potuit Petro ſoli promitti quod non ſolus, nec ratione ullâ ſibi peculiari, acceperit. Ut enim ſæpè obtineri contingit quod ante promiſſum non erat, ſic cuipiam ſoli facta promiſſio minimè obſtat quin alii ejuſdem rei promiſſę fiant conſortes. Fateor equidem tum repugnare quum non tantùm ad aliquem ſolum facta eſt promiſſio, ſed etiam ſolius res promiſſa futura dicitur, & excluſiva ſolius in ipſa promiſſione eſt actu. Verùm hoc loco nullam excluſivam particulam habet Domini promiſſio

quæ alios à rei participatione excludat, utcunq; uni tùm temporis directa fuerit rei promiſſio. Itaque ambiguitatis pallio tecti adverſarii, quandam oppoſitionis ſpeciem, vel ſpectrum potiùs, duntaxat, imperitis oſtentare voluerunt; quia ſibi probandam noſtræ verè contrariam ſententiam (promiſſum fuiſſe Petro claves regni cœlorum ſibi ſoli vel peculiari ratione committendas) clarè exprimere veriti ſunt, nempe ſibi conſcii inopiæ probationum; ſic luſerunt; digni, ſcilicet, quibuſcum in tenebris mices.

At enim, inquies, Petro ſoli facta eſt clavium promiſſio. Reſpondeo I. Promiſſionem non id eſſe ex quo formaliter rem habeat aliquis, ſed donum ipſum ſeu actualem collationem rei; ideóque rem ipſam quæ clavium nomine ſignificatur nullâ peculiari ratione Petri propriam, ſed omnium Apoſtolorũ communem, ſi omnibus eodem planè modo actu collata fuit. Atqui, ut ait Theophilactus in hunc locum. *Quamvis Petro ſoli dictum ſit dabo tibi, omnibus tamen Apoſtolis conceſſæ ſunt. Quando? quum dixit, Quæcunq; remiſeritis peccata, remittuntur. Etenim quum dixit dabo, futurum tempus ſignat, hoc eſt poſt reſurrectionem.* Id videns Ferus ipſe Pontificius ſic ait: *In futurum pollicetur ſcilicet, ſe daturum claves, non hoc loco dedit. Quæramus igitur ubi claves ipſas dederit in præſenti: & non occurrit alius locus niſi is qui in Ioanne: Accipite ſpiritum ſanctum. Quorum remiſeritis peccata remittuntur eis; & quorum retinueritis, erunt retenta. Claves igitur regni cœlorum ſunt poteſtas remittendi & retinendi peccata; id quod etiam ex hoc loco probatur.* *Ferus in Matth. cap. 16.*

Hilarius, longis ante ſeculis, de Apoſtolis ſic ſcripſerat: *Hil. de Trinit. lib. 6.*

ſcripſerat: *Tanta & tam Deo propria vos ô ſancti & beati viri, ob fidei veſtræ meritum claves regni cœlorum ſortiti, & ligandi atq; ſolvendi jus in terra adepti, geſta eſſe per Dominnm noſtrum Ieſum Chriſtum Dei filium videratis.* Sic itidem Origenes, Hieronymus etiam aſſerit *cunctos accepiſſe claves.*

Orig. in Matt. tract. 1. Hier. in Iovin. lib. 1.

Hîc verò quid præ[illegible]sè ferat clavium poteſtas, quod prolixioris eſſet diſquiſitionis, non diſputo: Sufficit in præſentiarum ab earum promiſſione petitum argumentum ſolviſſe, & demonſtrâſſe non inde ſequi ſoli Petro commiſſas eſſe.

II. Porro illâ rejectâ ſequelâ, negamus etiam ſoli Petro promiſſas eſſe claves, utut hoc loco aliorum nulla facta foret mentio. Nam & ipſi οἱ ἐξ ἐναντίας fatentur Matthæi cap. XVIII. omnibus eſſe promiſſas, dicente Domino, *quodcumq; ligaveritis in terra, ligabitur in cœlis, &c.*

Bell. de Pont. lib. 1. §. alia & ſeq.

Bellarminus ſanè, utcumque neget verbis apud Ioannem extantibus, *quorumcumq; remiſeritis peccata,* &c. datam omnem poteſtatẽ clavium, fatetur tamen illorum ex Matth XVIII. 18. (quæ & ipſe refert) *communem expoſitionem Hilarii, Hieronymi, Anſelmi & aliorum in hunc locum, nec non Auguſtini, tract. 22. & 49. in Ioann. Dominum loqui de poteſtate clavium quâ Apoſtoli & eorum ſucceſſores ligant vel abſolvunt peccatores. Et quamvis,* inquit, *tractari videatur præcipuè de poteſtate juriſdictionis, tamen Patres jam nominati locum hunc de utraq; poteſtate, ordinis videlicet & juriſdictionis, exponunt, & certè videtur ex ipſo textu id poſſe deduci. Nam ita generaliter hîc dicitur quodcumq; ſolveritis, ſicut Matth. XV. quodcumq; ſolveris.* Et paulò poſt: *Planus ſenſus illorum verborum, Tibi dabo claves, & quodcumq; ſolveris, &c. iſte eſt,*

ut

Digitized by Google

ut primò promittatur authoritas ſeu poteſtas deſignata per claves: deinde earum actiones, ſive officium explicentur per illa vocabula, ſolvere & ligare, ita ut omnino ſit idem ſolvere & aperire, claudere & ligare. Expreßit verò Dominus clavium actiones per ſolvere & ligare, non per claudere & aperire, ut intelligeremus eſſe omnes iſtas metaphoricas loquutiones; & tum demum cœlum omnibus aperiri quum homines ſolvuntur à peccatis quæ ingreſſum in cœlum prohibebant.

Hæc ille de promiſſionibus. Si verò quæras *quo loco ſint Apoſtolis datæ claves* promiſſæ, reſpondet datas eſſe Ioh. XX. & XXI. *Quum* inquit, *Dominus Ioann. XX ait Apoſtolis, Pax vobis ſicut miſit me pater & ego mitto vos, tùm eis poteſtatem ſeu clavem juriſdictionis attribuit; fecit enim his verbis eos quaſi legatos & nomine ſuo gubernatores Eccleſiæ: Verbis autem ſequentibus, Accipite Spiritum ſanctum, Quorum remiſeritis peccata, &c. dedit eiſdem poteſtatem ordinis.*

Habemus igitur ex ipſius adverſarii adſertionibus & probationibus, poteſtatem omnem clavium nomine expreſſam, omnibus Apoſtolis promiſſam ante reſurrectionem Chriſti, poſt etiam cunctis exhibitam & conceſſam; ut Pontificiorum cauſa caſſæ & inanis diſtinctiunculæ, *poteſtatis ordinariæ & extraordinariæ delegatorum*, filo pendeat. Eò enim eidem controverſiarum ſcriptori res redit ut in hoc à ſe congeſto tumulo, duntaxat, gradum ſiſtens, noſtris frontem obvertere conetur. *Vt intelligeremus*, ait, *hanc ſummam poteſtatem collatam omnibus Apoſtolis ut legatis, non ut Paſtoribus ordinariis, & cum quadam ſubjectione ad Petrum, ſoli Petro dicitur Ioh. XXI. Paſce oves meas, quemadmodùm ſoli illi dictum erat, Tibi dabo claves.*

Digitized by Google

Claves enim regni ut principalis & ordinarius præfectus TVNC SOLVM *accepit, quum audivit, Paſce oves meas.*

Dixi verò inanem hoc loco diſtinctionem, quia nullam in verbis Domini ejus adſignificationem annotare poſſunt; nihil quod membrorum ejus conceptum ingerat. Quis enim dicat *ligare & ſolvere* eſſe neceſſariò extraordinariæ poteſtatis; *claves habere*, ordinariæ? Ideò, nempe, aliunde diſtinctionis ita applicandæ fundamenta quærunt, ut præter juris communis poteſtatem, *ſpecialitatem* illam commentitiam quoquomodò Petro vendicent; nimirum ex loco Ioh. XXI. Dicta igitur Domini apud Matthæum extantia, vel ipſis teſtibus, eos nihil juvant, niſi fortè alterius loci viribus eò quo volunt trahantur præcedentia illa quæ, per ſe, nihil controverſum probant. Verùm de eo paſcendi oves mandato, ſuo ordine & loco videndum erit. Nunc quidem obſervamus ex eo quòd res, clavium nomine promiſſa Petro, cunctis Apoſtolis reipsâ conceſſa fuit; imò & iiſdem omnibus aliis verbis promiſſa: Eò redire univerſam Petri hâc in parte ſpecialitatem, quod prærogativam communem ſingulari loquendi modo, quo alios directè non ſit affatus, illi expoſuerit Dominus. Sed peculiaris phraſis, & vocabulorum ſpecialitas, nullam in re ipſa rationem peculiarem, aut in doni collatione differentiam infert: Haud magis quàm ſi quiſpiam, Teſtamento, huic quidem ter mille francos vel florenos, alteri ter mille coronatos Gallicos legaverit, inæqualitas in dono, & ex parte unius quædam ſpecialitas fuerit.

Sed è Scripturis, & de ipſis Apoſtolis, petitum exemplum

exemplum erit illuſtrius. *Simoni & Andreæ fratribus* tantùm in Evangelio legitur à Domino promiſſum, futuros ipſos *piſcatores hominum*. Quis verò ex hac vocabulorum ſpecialitate, in ipſo Apoſtolico munere differentiam, ſive realē prærogativâ quâ duo illi cæteris anteiverint, imaginatus eſt unquam? quis Andream jure quodam Ioanni, Iacobo, aliiſque collegis non communi donatum cogitavit?

Matt.IV.19. *Marc.I.17.*

Eſt & alia in Matthæi locum de clavibus Patrum obſervatio, cujus in ſolutione argumenti Pontificiorũ, quòd præcedentia ſufficerent, non meminimus; Petrum, nempe, pro omnibus reſpondiſſe, ideoque quòd dictum eſt Petro, omnibus dictum fuiſſe. Ambroſius: *Quod Petro dicitur, Apoſtolis dicitur*. Auguſtinus: *Cùm & unus pro omnibus dixerit, & hoc cum omnibus tanquam perſonam gerens ipſius unitatis acceperit; Ideò unus pro omnibus, quia unitas eſt in omnibus.* Hos ſecutus eſt Anſelmus in Matt.XVI. Hoc ſenſu, hæc ipſamet etiam verba ad alios directa fuerint, ſed in Petro omnium perſonam, hoc quidem in loco, figuratâ repræſentatione ſuſtinente. Sic *unitatem manifeſtâſſe* Dominum aſſerit Cyprianus, & *unitatis ejuſdem originem ab uno incipientem ſuâ authoritate diſpoſuiſſe.*

Ambroſ.in Pſal 38. *Aug.in Ioan. tract.118.* *Cypr.de unit. Eccl.*

Hieronymus etiam *electum* dicit *unum inter duodecim, ut capite conſtituto ſchiſmatis tolleretur occaſio.* Certè nulla tunc, vel ipſis adverſariis fatentibus, Petro in collegas realis poteſtas aut juriſdictio actu conceſſa fuit. Igitur illa præſens originis unitatis ab uno incipientis, quam Cyprianus memorat, Dominica diſpoſitio, & ex Hieronymo unius in caput conſtitutio, in promittendi modo,

Hier. in Iovin.lib.I.

Digitized by Google

& erga unum nomine omnium procedendi ratione, tota conſiſtit. Ideò non ad efficiendam unitatem, ſed ad *monſtrādam* ordinata fuit *diſpoſitio* illa: Et caput illud non influxûs & participationis, ſed typi & repræſentationis, ipſo actu talis alloquutionis (quæ plures reipſâ ſpectans, ad unam perſonam *in ſumma & compendio*, vel, ut dicitur, in capite, dirigeretur) conſtitutum eſt.

Itaque indignam rerum perturbationem faciunt qui ejuſmodi caput ſignificativum & figurale, ſive ſimplicis & puræ repræſentationis, cum capite influente confundunt; ut in re ipſa differentiam conſtituant, arguantque immediatè unius eſſe rem, & alios ab ipſo tanquam fonte hauſiſſe, quos tamen nullo interveniente medio, vel ſecundo principio, à Chriſto poteſtatem eandem accepiſſe demonſtravimus. Nec enim ejuſmodi alicujus electio, in repræſentatos authoritatem ejus ullam ex ſe præſupponit, aut infert; quando, inquam, ordinis cujuſdam uni dicitur quod de ejuſdem conditionis omnibus & ſingulis intelligi debet; quatenus nihil prohibet rem ipſam, quod ad proprietatem attinet, æquè eorum eſſe ac ejus qui de unitate aſſumptus eſt ut alios figuraret.

Id verò ex Cypriani contextu manifeſtiſſimum eſt. Sic enim eâ diſpoſitione *monſtratam* obſervat *unitatem*, ut reipsâ *pari honoris conſortio præditos* Apoſtolos agnoſcat, ex eoque adeò quod *hoc erant utiq; & cæteri quod Petrus*, probet actu Dominico unitatem duntaxat monſtratam. Non igitur ideò Petrus fuit abſolutè quod alii non erant, ſed relatè ſignificavit unus unitatem.

Augu-

Auguſtinus ex profeſſo ejus quã propoſuimus diſtinctionis partes perſequitur. *Petrus*, inquit, *quod ad ipſum propriè pertinebat, naturâ unus homo erat*, &c. *ſed quando dictum eſt tibi dabo claves, &c. univerſam ſignificabat Eccleſiam, cujus* (dixerat id paulò ante) *gerebat figuratâ generalitate perſonam*. Item, *Eccleſia claves ab eo* (Chriſto) *regni cœlorum accepit in Petro, id eſt poteſtatem ligandi ſolvendiq; peccata: quod enim eſt* PER PROPRIETATEM *in Chriſto Eccleſia, hoc eſt* PER SIGNIFICATIONEM *Petrus in petra*. Prius membrum, ejus nempe quod ad *aliquem propriè pertinet*, ſive *quod eſt per proprietatem*, ab hujus loci expoſitione removet: alterum verò, ejus quod eſt *per ſignificationem* vel *figuratam generalitatem* illi applicat.

Aug in Ioh. tract. 123. Habes alibi expreſſam ſententiam.

Sed & alibi omnia enuntiat commodiſſimè, in Pſal. CXVIII. ubi docens *Iudam perſonam quodammodò ſuſtinere inimicorum Chriſti Iudæorum, qui & tunc oderant Chriſtum, & nunc per ſucceſſionem perſeverante genere ipſius impietatis ipſum oderunt*, idipſum illuſtrat hoc exemplo: *Sicut quædam dicuntur quæ ad Apoſtolum Petrum propriè pertinere* VIDENTVR; *nec tamen habent illuſtrem intellectum niſi cùm referuntur ad Eccleſiam, cujus ille agnoſcitur* IN FIGVRA GESTASSE PERSONAM *propter primatum quem in diſcipulis habuit; ſicuti eſt, Tibi dabo claves &c.* Sic igitur Domini dicto, quo in perſona unius unitatem alloquebatur, conſtitutus eſt Petrus, in caput typicum & figurale, quemadmodùm Iudas, in Pſalmo, repræſentatione & ſignificatione perſonam ſuſtinet impiorum, quorum tamen ille principium participationis minimè fuit, neque ideò in eos authoritatem obtinuit.

Verum eſt tamen tùm præeminentem aliquem eligi ſolere. Sic Iudas ut inſigniter impius; Petrus ut in diſcipulis notabilis, electus fuit. Hinc addit Auguſtinus, *propter primatum quem in diſcipulis habuit*: Non muneris, certè, & authoritatis primatum, de quo diſputatio inſtituta eſt. Abſurdè enim, ipſis etiam adverſariis judicibus, diceretur propterea promiſſum quia haberet antea.

Ambroſ. de incarn. Dom. Sacram. Habuit verò, ut ait Ambroſius, *primatum confeſſionis utiq; non honoris: primatum fidei, non ordinis*, quòd ſcilicet menſurâ fidei & promptitudine fidei alios anteiret. Adde & primatum ætatis; prout loco ſupra notato obſervat Hieronymus, *ætati delatum eſſe*: primatum, item, vocationis, ex quo Theophylactus Petrum & Andréam *πρωτοκλήτους* vocat.

Cyrill. Alex. in Ioh. lib. 12. cap. 64. Ejuſdem primatûs rationem habens Cyrillus Alexandr. dicit eum *ut caput cæterorum primum exclamâſſe, Tu es filius Dei vivi.* Certè ne tum quidem quum in hæc verba prorumpere cepit caput repræſentationis, quod Chriſti in ſubſequentibus ad Petrũ verbis diſpoſitum eſt, eſſe potuit. Ex ſuprema verò ordinariâ poteſtate caput factum volũt adverſarii tantùm quum poſt reſurrectionem Domini audivit, *Paſce oves meas.* Patet igitur titulum capitis Cyrillo hîc uſurpatum ſignificatione illâ communi uſu receptâ, quâ non tantùm cœtûs cujuſdam præſes, cui collectivè conſiderato ipſe inferior eſt, ſed etiam dotibus præpollentior & virtute inſignior, nullâ ordinis aut muneris habitâ ratione, collegarum virtutis ergò caput dicitur.

In relatione contr. Ioan. Antioch. Vid. τὰ πρακτικὰ pag. 188. In Concilio ſanè III. Cyrillus ipſe, *κεφαλὴ τῶν συνειλημμένων ἁγιωτάτων ἐπισκόπων*, *caput ſancto-*

ſanctorum congregatorum Epiſcoporum, vel ratione præſidentiæ quam habuit pro tempore, vel certè ob eam virtutem & ſapientiam cujus causâ & *novo Paulo* ibidem ipſi acclamatum eſt, dictus fuit.

Pertinet hæc propriè, fateor, ad quæſtionē de capite, quā alibi ex profeſſo tractavimus. Verùm, quia hujus nuncupationis cauſæ, ejus ſunt materiæ quam præ manibus habemus, & nunc clarius eluceſcunt ex prædictis quàm antea exponi poterāt, ideò in hunc locum hanc obſervationē rejicimus. His verò ſic ordine expoſitis & confirmatis undiquaque adverſariorum, quibus ad ſuæ ſententiæ confirmationem Patrum dicta ejuſmodi torquere viſum eſt, vanitas retegitur.

Claves verò regni cœlorum quas iidem objiciunt, ſupremattui Petri in in Eccleſiam introducendo januam non aperire patet; & communes cūctis Apoſtolis reipsâ fuiſſe, Petrum verò nihil hac in parte peculiare ſortitum eſſe præter accidentalem illam dirigendæ promiſſionis formam. Quamobrem ſiquibus veterum Petro peculiariter claves tribuuntur, ipſeque illis *janitor* vel *claviger cœli* dicitur, id factum eſt vocabulorum οἰκειώσει, ut antea diſtinximus, non ratione proprietatis ſpecialis in rem ipſam.

CAP. IX.

Conſideratio mandati illius de ovibus paſcendis quod e ta Ioannis XXI. Probatur nihil ad ſu remattum Petri ſtabiliendum conferre.

Gregor de Val. Anal. ſid. lib. 8. ca. 7.

QVI aliam ab ea quæ Chriſti filii Dei vivi eſt monarchiam in Eccleſiam invehunt, aliumque *ſummum* & *ſimpliciter ſupremum* conſtituunt, ingens certè æs alienum contrahunt cùm id ſibi oneris imponunt ut tantam elationem S. Scripturis niti & confirmari probent. Ubi ſua rident promiſſa repoſci, ſummamque ſibi conficiendam quâ perſolutâ liberētur, continuò locos *ad fundamenta* aut *petram ſuper quam ædificatur Eccleſia* pertinentes proferant; *claves* item *regni cælorum* Petro promiſſas: idq; adeò confidēter, & cum apparatu, ut ne teruncii quidē obæratos poſtea demum eſſe ſe pr̨ ſe ferant; adeò ſcilicet, inde quod ſuſceperūt præſtant. Verumenim verò omnibus expenſis, calculóque tacitè coram ipſis, imò ab ipſiſmet ſubductis, deductiſque quæ aliò pertinent, nihil liquidi, ex quo vel minimam ſummæ particulam conficiant, illis reliquum eſſe compertum eſt. Tandem *fundamenta*, prout ab ipſis quidem comprehenduntur, nulla ſacræ paginæ authoritate fundata vel firmata, neque utcumque ipſorum modo ſtabilita eſſent, ſuo ædificio ſuſtinendo apta eſſe comperiuntur. Claves, item, nihil ejus quod in quæſtione eſt aperiunt. Itáque debitoribus illis in paſcendarum ovium mandato, quod ad Petrum Dominus direxit, unicum refugium eſt. Eò nos, de non perſoluto ære *proteſtantes*, perpetuò remittunt; inde proculdubio, ſiquid adhuc illis credere velis, omni ex parte ſatisfacturi; inde ſibi etiam aliis locis ſatum eſſe quod metant demonſtraturi ſunt.

Si propriis de *fundamento ſecundario* hypotheſibus

ſibus & præſuppoſitionibus, Petrus, ipſorummet calculo, unum è pluribus, unum è duodecim ejus ordinis fundamẽtis, duntaxat, (quod eorum cauſam per ſe nihil juvat) reperitur, eſt tamen idipſum, aiunt, ut *Paſtor ordinarius*, cæteri verò ut *Apoſtoli & Legati.* Quamobrem verò? *Quia ſoli Petro dictum eſt*, *Paſce oves meas.* Si itidem, poſt prolixam diſputationem, agnoſcendum eſt Apoſtolis univerſis regni cœlorum claves eſſe commiſſas, ſive datam authoritatem eorundem nomine ſignificatam, prout tandem fateri coguntur illi ipſi qui earum jus ut proprium Petri privilegium initio producunt: Attamen *ſolus eas Petrus obtinuit ut Paſtor ordinarius*, quia, nempe, *dictum eſt illi, Paſce oves meas.* In his verbis omnis Bellarmini aliorúmque Doctorum Pontificiorum ſpes, utut aliunde quod è re ſua eſſet conquirere ſategerint. Eundem etiam locum theſeos generalis authores proferunt, ut Petrum ſpecialiter Paſtorem totius Eccleſiæ fuiſſe, falsóque dici non alio à cæteris Apoſtolis modo Paſtorem generalem extitiſſe, probent confirmentque. Aiunt etiam hunc à ſe electum locum *ut quàm citiſſimè inſtitutionem ipſam contingerent.*

Antequam autem de loci ſenſu genuino certaturi congrediamur, argumenta quædam contra adverſariorum in eum congeſtam aſſignationem præjudicantia præmittemus, ex quibus, & obſervationibus quæſtionem ipſam elucidantibus inſertis, nunquam eos inde tanto ſuo onere contracti æris alieni liberatos iri non tantùm præſumi poſſit; ſed etiam in genere conſtet.

I. Non ea eſt Pontificiórum, ordinarium Pa-

ſtoratum ab extraordinario legati diſtinguentium, mens, ut Apoſtolos continuò poſtquàm miſſi ſunt, & quandiu vixêre, Paſtores fuiſſe, ordinariámque docendi & regendæ Eccleſiæ curam habuiſſe negent, eo ſenſu quo alienum qui in familia & domo pactis tantùm diebus paucis famulatur, non ordinarium eſſe famulum dicimus. Sed ordinarium ipſi vocant quod in Eccleſia, perpetuo ordine, non tantùm quandiu viverent Apoſtoli, ſed & ſeculis ſequuturis, quum nullus Apoſtolorum ſupereſſet, duraturum erat. Itaque eorum doctrina, ſive quod probare nituntur, tribus hypotheſibus ſequentibus continetur, quarum ſi ullam negent, idipſum quod ſtatuere nituntur corruat neceſſe eſt. Prima eſt, *Dominum quum mandata dedit Apoſtolis omnibus ſimul, tantùm conſtituiſſe Apoſtolatum extraordinarium, neque tùm quidquam de paſtoratûs ordinarii (cujus perpetua eſt in Eccleſia neceſſitas) munere ſtatuiſſe vel diſpoſuiſſe.* Secunda, *Ejuſdem ſibi de integro reſervâſſe diſpoſitionem, ex qua, alio tempore, id muneris Petro ſoli, verbis illis, Paſce oves meas conferret*: Tertia, *Ab ea ultima diſpoſitione & inſtitutione ordinarium Paſtorum ius omne manare & procedere, ſecundùm diverſas diſtributiones ab univerſali paſtoratu illo pendentes; ut quæ in eodem, virtute & potentiâ, contineantur.*

At manifeſtæ falſitatis arguuntur hypotheſes illę ex Apoſtolorum miſſione communi, quam Matthæus Evangeliſta ſuis veſtitam circumſtantiis exhibet. Nec enim tantummodò dictum eſt illis, *Ite, diſcipulos facite* μαθητεύσατε, &c. ſed adjectâ promiſſione, *Et ecce, Ego vobiſcum ſum ſemper* πάσας τὰς ἡμέρας, *uſque ad conſummationem ſeculi.* Ex eo

Matth. XXVIII. 20.

igitur

igitur quod promiſſio auxilii & præſentiæ Domini, in opere illo, in conſummationem ſeculi porrigitur, clarum eſt imperatum illud opus docendi & baptizandi, ad extraordinariam Apoſtolorum functionem, quam primo duntaxat ſeculo in propriis perſonis exercuerunt, reſtringi non poſſe; ſed etiam habitam rationem functionis ordinarii paſtoratûs, quæ ad Domini uſque adventum & ſeculi finem, ſuccedentibus paſtoribus ordinariis ſequẽtium ſeculorum omnium, exercenda erat, & ut minor in Apoſtolatûs munere præeminente continebatur. Hinc etiam nunc omnibus & ſingulis ejus ordinis Paſtoribus Dominici auxilii fiducia: hinc & illis neceſſitatis docendi & baptizandi ſibi impoſitæ agnitio; quatenus ſpecialis cujuſque vocatio in generali illa, omnia ſecula ſequentia ſpectante, comprehenditur, vel inde manat.

Quandoquidem igitur adverſariorum hypotheſis Paſtoribus ordinariis, in promiſſione eximia Chriſti, & mandato ejuſdem generali, partem vel ſortem, adverſus manifeſtam veritatem, aufert; ut nihil iiſdem tribuatur, niſi quod ex mandato paſcendi oves Petro poſtmodùm dato conſequens eſt: Certiſſimum, & indubitatæ veritatis erit pronuntiatum, Nunquam ejuſmodi erroris tenebras ex ejus loci, de cujus ſenſu quæritur, luce educturos.

II. Mirum etiam fuerit Matthæum, Marcum, & Lucam, Evangelium ſeparatim conſcribentes, paſtoratûs ordinarii adeò notatu dignam, univer æque Eccleſiæ cognitu neceſſariam, tamque eſſentialem inſtitutionem unicam omiſiſſe:

Ioannem verò, qui Evangelii ſui in fine capitis XX. fecit epilogum, additque corollarii vice capite ſequente comprehenſa, ut hiſtoriam *alterius poſt reſurrectionem manifeſtationis Domini*; Ioannem, inquam, tanti momenti inſtitutionem, ut illius *manifeſtationis ad mare Tiberiadis* circumſtantiam, nullâ additâ expoſitione quę de rei conſequentia admoneret, conſcribere voluiſſe.

III. Notandum, item, congregatis Apoſtolis primâ Sabbathi, hoc eſt Dominicæ reſurrectionis die, bis præſentem ſe exhibuiſſe Chriſtum, & omnibus ſimul ejuſdem muneris honorem contuliſſe; de ſupremi verò unius, à quo cæteri penderent, munere tacuiſſe, quum peropportunè, ut in majoribus negotiis ſolet, coram omnibus ſolenniter, in cœtu publico ſubjiciendorum, id muneris uni imponere poſſet, ne quis fortè poſtmodum parêre detrectaret. Quam parum igitur veroſimile eſt Chriſtum tanti ponderis inſtitutionem in aliud tempus diſtuliſſe, quum quatuor tantùm Apoſtoli Petrus, Thomas, & duo filii Zebedæi, & ex diſcipulis Nathanaël cum duobus aliis innominatis, die non ſacro, περὶ τῶν βιωτικῶν ſolliciti, unà piſcatum iviſſent? Sic, ſcilicet, cæteros Apoſtolos, alioqui ignaros, ex horum relatione rem reſciviſſe, & Eccleſiæ paſtoratum ordinarium inſtitutum in Petro, ſibíque eo nomine præpoſitum ipſum didiciſſe.

IV. Ad communem omnium Apoſtolorum miſſionem ſtabiliendam, de ſibi in cœlo & in terra poteſtate conceſſa, & de miſſione patris, præfatum Dominum ex Matthæo & Ioanne conſtat: In hujus autem, de dictis Domini ad

Petrum,

Petrum, hiſtoriæ narratione, nulla extat poteſtatis Chriſti, nulla paternę miſſionis mentio; utcumq; longè præſtantius & excellentius opus authoritatis & poteſtatis ejuſdem foret ejuſmodi inſtitutio. Tantũmodò de amore Petri in Chriſtum facta legitur inquiſitio, ut commendationem officii, Petri zelo & affectui potiùs, quàm ex authoritate & poteſtate Domini, novi muneris inſtitutionem factam intelligamus.

V. In miſſione communi Dominus, teſte Ioanne, *Apoſtolos afflavit*, & accipere Spiritum Sanctum juſſit, iiſdemque, ut Lucas narrat, *benedixit*; promiſſionem etiam, ut habet Matthæus, *in ſeculi conſummationem* addidit. Hîc verò neque ſignum externum, neque benedictio, neque promiſſio, ſed iterata tantùm ad officium faciendum extat hortatio. Quis igitur credat præſtantiùs illâ miſſione aggreſſum ibi opus Dominum peregiſſe? Docent adverſarii Ordinem Sacramentum eſſe; quod pura exhortatione vel ſolo mandandi verbo nuſquam conferatur. Quomodo igitur ubi nullum Sacramentum vel ſacrum ſignum eſt, nulláque promiſſio, ſed purum præcipiendi verbum, Petro propriè collatum fuerit quod ſit ordinis in ordinariis omnibus Paſtoribus prima origo?

Ultimum hoc argumentum adverſarios propriis loris & vinculis conſtringit; primum verò neceſſariò, ex veritate, adverſus eorum hypotheſes concludit. Cæteræ autem obſervationes intermediæ, tanti ſunt ponderis, ſi probationibus magis neceſſariis & urgentibus adjunctæ conſiderentur, ut ipsâ luce clarius ſit nunquam ex his

verbis, *Paſce oves meas*, elici poſſe quod probandum illis incumbit.

His præluſerim quaſi de longinquo adhuc, (ut Tertulliani verbis utar,) ſed ad certum & cominùs dimicaturo, diſquirendum an in verbis illis Domini ad Petrum quidquam inveniatur quod adverſariis faveat, ſive in interrogationibus, ſive in præceptis; hæc enim duo, ibidem, diſtinctè conſideranda veniunt.

Quod Petrum Dominus interrogavit, num ſe diligeret; nunquam argumētum erit præeminentiæ, ſive amplioris dignitatis; quādoquidem omnes Dominum diligere tenentur. Quia verò non tantùm dictum eſt Petro, *Diligis me?* ſed *Diligis me plus quàm hi?* inde conſequi volunt nonnulli Chriſtum de majore authoritate illi tribuenda cogitâſſe. *Cur*, ait Gregorius de Valentia, *de præſtantiori charitate eum præ cæteris tum præſentibus interrogâſſet, niſi majoris atq; præſtantioris muneris authoritatem ipſi attribuere voluiſſet?* Vim argumenti in eo conſiſtere neceſſe eſt quod non poſſit interrogationis de majore dilectione alia ratio ab ea quam profert aſſignari. Inde eſt quod quærit *Cur*, &c. At ſunt aliæ cauſæ quarum ratione id flagitari potuit. Prima quidem humilitatis, & modeſtiæ ejus qui ſic interrogatur probatio, prout hac ratione ſolemus ſtudioſum adoleſcētem interrogare, num condiſcipulis ſit doctior; vel militem, an commilitonibus fortior & magis ſtrenuus. Quinetiam ſiquis plus aliis de ſe pollicitus, graviùs lapſus ſit, ejuſmodi interrogatio, quum ſequitur, exprobrationis eſt ad correctionem. Dixerat Petrus, *etiamſi omnes offendantur in te*,

Greg. de Val. Analyſ. fid. lib. 7. cap. 4.

Matth. XXVI. 33.

te, ego nunquam offendar, conſtantiâ & amore in Dominum alios ſe ſuperare præſumens. Graviùs tamen cæteris ter negando, lapſus eſt. Erat igitur nonnihil cauſæ & rationis *cur*, probationis & correctionis gratiâ, de majore dilectione interrogaretur à Domino. Et ipſe quidem melior factus, experientiáque edoctus, nihil ad illud *plus quàm hi* reſpondit; ſed omni cum aliis comparatione omiſsâ, de ſuo amore ſimpliciter proteſtatus eſt. *Certè*, ait, *Domine, tu nôſti quod amem te*; ut ſibi purâ hac in parte reticentiâ & humilitate ſatisfaciendum ſenſerit ipſe. Chriſtus etiam qui bis denuò de amore interrogavit eum, illud *plus*, modeſto & humili Petri ſilentio contentus, adjicere deſtitit; ut clarum ſit in hunc quem dixi finem rogâſſe Chriſtum, qui eo conſecuto, ejuſque ex ſilentio, teſtimonio accepto, illicò ceſſavit.

Eſt & alia ejuſmodi interrogationis ratio; Non quidem authoritas major conferenda, quæ præſtantiorem dilectionem prærequirat; (ut contrà *gratiæ* divinæ ordinem, quaſi, ex Pelagianorum ſententia, *ſecundùm merita detur*, præſupponit Valentia:) Sed majus anteà acceptum beneficium; prout Chriſtus in parabola docet, *eum cui plus remiſſum eſt, plus diligere*. Erat autem Petrus debitor cui plus remiſſum erat. *Petiit* igitur *ab eo* (ait Cyrillus Alexandr.) *ſi plus cæteris diligeret. Nam qui majorem clementiam in ſe Domini fuit expertus, majori amore affici jure debebat.* Luc. VII. 43. Cyrill. Alex. in eum l. cũ.

Toletus Ieſuita, in Commentariis ad hunc locum, utramque rationem obſervavit. *Voluit*, inquit, *Dominus probare Petrum in duobus: Primum*

eſt humilitas. Nam qui ante paſſionem ſuperbè reſponderat ſe omnibus præferens [licet omnes ſcandalizati fuerint, &c.] jam alius factus & interrogatus an diligeret Dominum plus cæteris, Petrus non ſe præfert cæteris, ſed judicium ſui Domino refert. Alterum in quo probatur Petrus eſt dilectio, quia ter negabat, ter interrogatus, ut inquit Cyrillus, de majori dilectione quia majoris culpæ remiſſionem obtinuerat, majorem tenebatur exhibere dilectionem.

Non eſt etiam in triplici repetitione ejuſdem interrogationis ulla prærogativæ conſequentia. Tum enim interrogatio iterari ſolet, quum de reſponſione primùm facta dubitatur. Et ſic ipſe interpretatus eſt Petrus, qui *triſtitiâ affectus fuit quòd tertiò dixiſſet ipſi* (Chriſtus) *amas me? dixitq; ei, Domine, Tu omnia noſti : tu noſti quod amem te.* Id obſervavit Auguſtinus : *Iam*, inquit, *tædio affectus Petrus quaſi dubitaret Dominus de amore ipſius, Domine*, *inquit, ſcis omnia, &c.* Ambroſius etiam : *Contriſtatur, quia tertiò interrogatur, Amas me? Is enim interrogatur de quo dubitatur.*

Auguſt. in Pſal. 90.

Ambroſ. in Luc. cap. ultim.

Cyrillus Alexandrinus aliam hujus repetitionis rationem reddit, quæ plus primâ Petro honorifica non eſt. *Quoniam*, inquit, *cum aliis Apoſtolatûs nomine Petrus ab ipſo Chriſto decoratus, ter in tempore paſſionis negavit, jure nunc ab eo terna dilectionis cõfeſſio petitur : ut terna negatio æquali numero confeſſionis compenſetur. Ita quod verbis commiſſum fuit, verbis curatur.*

Cyrill. Alex. in Io. lib. 12. *cap.* 64.

Ante Cyrillum Auguſtinus dixerat : *Redditur negationi trinæ trina confeſſio, ne minùs amori lingua ſerviat, quàm timori, & plus vocis elicuiſſe videatur mors imminens quàm vita præſens.* Et alibi : *Trinum timorem*

Aug. in Io. tract. 123.

Id. in Pſ. 90.

rem trino amore diſſolvit. Item, *Ter me negâſti timendo, ter me confitere amando.* *Id. in Pſal. 90.*

Ita nihil eſt in interrogationibus quod è re adverſariorum ſit. Nunc de præcepto videndum. In eo tria ſigillatim conſiderabimus 1. verbum imperativi modi *paſce*. 2. ſubjectum ipſum circa quod verſatur actio; *oves* Chriſti. 3. repetitionem præcepti.

Verbum *paſce* authores theſeôs idem ſignificare volunt ac *ſis* vel *eſto Paſtor*. Et eſt reverà communis Pontificiorum ſententia, hîc novi muneris eſſe inſtitutionem, Petrumque accepiſſe ſolum quòd alibi ſoli promiſſum eſt. Suares ait. *Nullum alium eſſe locum ex quo actualis donatio vel collatio poteſtatis colligi poſſit*; poteſtatis nempe ſupremæ illius ordinariæ quam Petro tribuunt. *Suar. tom. 4. in Thom. diſp. 49. ſect. 1 num. 17.* Bellarminus etiam, Martinum Lutherum carpit, quia *contendit per illam vocem, paſce nullam dari novam poteſtatem, ſed tantùm injungi officium diligendi, prædicandi & docendi, Petro, qui jam anteà conſtitutus erat Apoſtolus, erat & Paſtor.* *Bell. de Pont. lib 1. cap. 15. §. Iam verò.*

Verbum, ſanè, imperativi modi, primâ & propriâ ſignificatione ſuâ, vim habet præcipiendi actionem ipſo vocabulo deſignatam; nec per ſe donationem vel collationem muneris, ſeu poteſtatis, ſignificat. Qui convivæ dicit, veſcere ſodes & bibe, non comeſtorem & potatorem conſtituit, neque etiam edendi aut bibendi authoritatem confert, ſed actum duntaxat, ut ſibi gratum & optatum commendat.

Verum eſt tamen actûs qui imperatur præſupponi facultatem, ſeu etiam poteſtatem, eundem producendi. Ita Paulus Timotheo ſcribens, *2 Tim. IV. 2. & 5.*

Prædica ſermonem, opus perage Evangeliſtæ, poteſtatem ipſam miniſterii quam ante habebat, non tùm conferebat, ſed, ipsâ operis commendatione, collatam priùs præſupponebat. At tum verbum imperativum vim habet conſtitutivam in munus aliquod, ſeu poteſtatem actionis imperatæ conferendi, quando ad eum dirigitur cui opus præſtandi authoritas deerat anteà, ab eoq; etiam pronuntiatur qui ſolo imperio poſſit authoritatẽ facultatemq; cõferre, quam opus imperatũ in agente, ſeu operãte, neceſſariò requirit.

Quamobrem, ſi hoc loco Dominus adhibet imperandi verbum, cujus ſignificatio ea ſit ut actio imperata poteſtatis & authoritatis Apoſtolici muneris, quod Petro & collegis anteà demandatum & commiſſum fuerat, limites excedat, fatendum eſt, ſanè, novam tum accepiſſe facultatem præſtandi id cui ex Apoſtolica, duntaxat authoritate impar erat. Aſt ſi nihil imperatum eſt quod non ſit exercitii muneris & poteſtatis communis Apoſtolorum, nulla eſt ratio cur verbo imperativi modi novam poteſtatem collatam imaginemur; haud magis quàm in Pauli ad Timotheum mandato: Eóque *paſce* non ſignificabit, *ſis paſtor*, ſed opus perage Paſtoris. Quemadmodùm *prædica ſermonem* non idem eſt ac *eſto prædicator*, ſed prædicatoris officium facito. In hoc igitur controverſiæ ſtatus conſiſtit, An paſcendi actio poteſtatem & authoritatem Apoſtolorum communem excedat, ut novam & peculiarem Petro collatam conſequatur neceſſariò. Negamus: adfirmant adverſarii.

Nobis, ait Bellarm inus, *difficile non erit ex ipſa voce, paſce,*

paſce, demonſtrare ſummã poteſtatẽ illi attribui cui dicitur, paſce oves meas. Poſteà demũ Græci verbi ποιμαίνειν urget emphaſim, Homerúmq; notat Agamẽnonem vocaſſe ποιμένα λαῶν; tandemq; non parũ præſidii in verbo Hebræo מְשֹׁל ſibi eſſe putat. Siquidẽ cùm ſignificet *dominari*, uſurpeturq; à Mica Propheta eo loco quo de *ductore* loquitur qui reget populũ Iſraël, in Græco Matthæi contextu, ubi verba Prophetæ referuntur, ſubſtituitur ejus vice verbum ποιμανεῖ. Inde colligit adverſarius, paſcere idem eſſe ac regnare & dominari; eoque paſcendi mandato ſupramatum dominatûs includi, qui authoritatem Apoſtolis in communi conceſſam excedit. Sed nobis hæc refellere multò facilius eſt. Utcumque enim omnes Reges ſint, quodam reſpectu, Paſtores; non omnes tamen Paſtores ſunt Reges. Nam quicumque legitimè dominantur, nec ſunt δημόβοροι βασιλῆες, ſibi ſubditos paſcunt; nec tamen quicumque paſcunt dominantur: Apoſtolis ſiquidem (ut cum Bernardo loquar) *planè interdicitur dominatus*, minimè verò, quod omnibus miniſtris injungitur, paſcendi munus. Paſcere igitur non eſt propriè regnare vel dominari, ſed minus quidpiam, quod in majore continetur. Nec ſi verbo dominandi, actionem Regis cujuſdam ſignificanti, ſubſtituitur verbum paſcendi, quod ex dignitate & officio ejus cui applicatur, facilè in auguſtiorem ſignificationem trahitur; ideò, cùm de Miniſtris Chriſti agitur, paſcendi actio, quæ officii ipſorum eſt, dominandi verbo commodè exprimi poteſt.

De Pont. lib. 1 cap. [illegible]. *§.* At nobis.

Bern. de conſid. ad Eugen.

Neque etiam hîc propriè quæritur an paſcere

ſit dominari & ſummum eſſe, ſed potiùs an eo verbo imperatum officium ita Apoſtolici muneris authoritatem præcurrat, & ſuperet, ut ex hoc mandato neceſſe ſit Petro novam datam poteſtatem agnoſcere. At ex adverſa parte quàm multa militant.

Primò Paulus, cùm ordine recenſeret eos quos in gradibus diverſis Eccleſiæ ædificandæ præfecit Dominus, eos ſpeciatim τοὺς ποιμένας vocat quos quarto loco, nempe poſt Apoſtolos,

Eph. IV. 11. Prophetas, & Evangeliſtas datos dixit. En igitur longè inferiores Apoſtolis Miniſtros, quibus Paſtorum nomen peculiariter (ut oſtendit articulus) aptatum remanſit, ut Apoſtoli nomine à Paulo quidpiam ſublimius eo loco deſignari quàm Paſtorum titulo manifeſtum ſit.

1. Pet V. 1. 2. Secundò Petrus ipſe, quum Presbyteros eos quorum συμπρεσβύτερον ſe vocat, officii ſui moneret, *paſcite*, ait illis, ποιμάνατε, *gregem qui in vobis eſt*; eo ſcilicet verbo uſus cujus, ſi Bellarmino credatur, tanta vis eſt, ut in Domini ad Apoſtolos ampliſſimis mandatis, Matt. XXVIII. Marc. XVI. Luc. XXII. & Iohan. XX. comprehēſis, nihil ſit quod ejus emphaſin habeat; Nec potuit cuiquam Apoſtolo dici ποίμαινε, ut his Presbyteris ποιμάνατε, citra eminentioris, ſcilicet, & ſummæ cujuſdam poteſtatis collationem. Quaſi verò Presbyteri illi Petri, aut gradûs infimi *Paſtores* Pauli, Apoſtolis authoritate fuerint ſuperiores. Sponte certè cæcutire ſive ineptire potiùs oporteat eum qui argumenti à paſcendi verbo, pro Petri ſummo in collegas imperio ducti, infirmitatem vel vanitatem non animadverterit.

Certè

Certè quod unum excipit Bellarminus, *hortari Petrum Presbyteros ut paſcant gregem non univerſalem, ſed particularem, qui in vobis eſt*, eo ipſo ſe veritatis ſvî victum, & paſcendi munus Petro cum multis aliis commune eſſe fatetur; eóque ex eo verbo, duntaxat, nihil Petro peculiare erui poſſe. Diſtinctio verò gregis univerſalis, vel particularis, ad vocem illam *paſce*, quæ actionem tantùm & actionis formam deſignat, nullomodò pertinet, ſed ſubjectum ipſum circa quod munus paſcendi, multis commune, verſatur, ab extenſione vel reſtrictione, ſive ex quantitate diſcernit.

Verùm eſt Paſtoribus infimi ordinis gregis particularis paſcendi curam incumbere: Apoſtolorum verò nullis reſtricta limitibus fuit commiſſio, quam ad *omnes gentes omnemq́ꝫ* adeò *creaturam* porrexit Dominus, quum eos *mitteret prout pater miſerat* ipſum. Quamobrem & poſtremus vocatus Paulus, gregem ſibi commiſſum agnoſcens, *Vrget*, inquit, *agmen illud in me quotidiè inſurgens, ſollicitudo omnium Eccleſiarum*. Eccleſias etiam ſe paviſſe profitetur quum ab iiſdem mercedem accipiendi jus ſuum probaturus, ait, *Quis paſcit gregem, & de lacte gregis non comedit?* Quorſum verò, ſi non paviſſet ipſe? Apoſtolorum igitur munus fuit, paſcere communiter univerſam Eccleſiam; utcumque eorum quiſque *ſecundùm menſuram regulæ quâ partiebatur illi Dominus*, actu ipſo, *pertingeret*. Nulla fuit in jure & authoritate ex miſſione & vocatione Chriſti menſura determinata, & cognita, ſed ipſo opere, quod actu infinitum eſſe non potuit, fuit menſura ex gratia aſſiſtente.

2. Cor. XI. 28.

1. Cor. IX. 7.

2. Cor X. 13.

Digitized by Google

Sed quid probationibus opus eſt, cùm & ipſi adverſarii, poſt varias circuitiones verborúmque amfractus, eò tandem quęſtionem reducant ut neque de titulo *Paſtoris*, neque de *generalis* vel *univerſalis* adjecto, ſed de *ordinarii* à *legatis & dependentibus* diſtincti, conditione duntaxat diſputandum ſit; prout ex Romanenſium Coriphæo nobis anteà prolata fidem faciunt? Sic theſeôs authores, *Petro Paſtoris univerſalis titulũ ſpecialiter, & alio à cæteris Apoſtolis modo, conveniſſe*, tantùm aſſerũt; ut jam neq; in re ipſa, neque in ſubjecti quantitate, ſed in modo alio & ſpeciali, hoc eſt *ordinario*, duntaxat, diſcrimen conſtituant.

Ad illud verò diſcrimen probandum, ſimplex purumque oves Dominicas paſcendi mandatum, uni ex eorum collegio quos omnes generales & univerſales Paſtores fuiſſe in confeſſo eſt, directum, nihil prorſus facit. Paſcere enim oves, extraordinarii ut ordinarii paſtoris eſt. Quis verò mentis compos quempiam peculiari & ab aliis diverſo modo famulum eſſe contendat, quòd eum famulari herus diſertè juſſerit? En quibus anguſtiis premantur qui magnificè polliciti, putrem ejuſmodi tabulam, veluti in naufragio, prehendere feſtinant.

Bellarminus tamen, undiquaque ſuæ cauſæ levamen quæſiturus, quod in *paſcendi* verbo non potuit, in vocibus, *oves meas*, conſequi ſe poſſe ſperat, indéque univerſalitatem paſtoratûs Petri demonſtrare, quæ ultra cæterorũ Apoſtolorum generalitatem (ipſis nimirum ut ovibus paſcendis Petro commiſſis & in ejus grege comprehenſis) progrediatur: Quo dato, quidquid

aliun-

aliunde damni acceperit, reparare & reſarcire queat; firmato & ſtabilito, nempe, munere ſummè ſupremo, eóque poteſtate clavium ſpeciali, & excellentiore fundamenti ratione, Petro vendicatâ.

Tantæ demonſtrationis, ſive quæ tanti ſit, principium certum & indubitatũ expectet proculdubio lector. Hem verò quàm certum: *Tametſi*, ait ille, *in Græco contextu ſemel eſt; Paſce agnos, & bis, paſce oves: tamen corruptus VIDETVR locus vitio librariorum qui in ſecundo loco ſcripſerunt* προβατα, *cùm ſcribere debuiſſent* προβάτια, *id eſt oviculas.* Unde verò id adverſus fontem fidemque omnium Græcorum exemplarium colligis? *Ita eſſe colligo*, inquit, *ex Ambroſio, & Maximo, qui ſecundo loco legunt oviculas. Deinde omnes Latini codices legunt agnos; Igitur neceſſe eſt dicere interpretem legiſſe* προβάτια, *id eſt oviculas, & vertiſſe agnos, quia oviculæ & agni ſæpè pro eiſdem accipiuntur.* Sic miris rationibus ex verſione quam ipſe non ſequitur, & excuſat potiùs quàm probat, textum ipſum originarium emendari vult, ut ex mendosè emendato contextu, variationes quas captat vocum, *agnorum* ſcilicet, *ovicularum*, & *ovium*, eruat ſive inſtituat. Porrò, *His*, ait, *notatis, & ex hac variatione quæ myſterio non VIDETVR carere, probamus Petro omnes Chriſtianos eſſe ſubjectos.* Variationes notavit ex eo quod contra Græci codicis lectionem, ex conjectura, certum ipſi eſſe VIDETVR; Tùm ex variationibus illis probationes inſtituit, quatenus nec *myſterio eas carere* ipſi item VIDETVR: & probationes allegoricæ ſunt næniæ quæ bellæ ipſi videntur; ſunt verò reipſâ quæ-

cumque congerit, arena ſine calce.

Ex agnis & agnis, ſive bis memoratis agnis, vel, ut ipſe ait, *ſi per oviculas intelligamus agnos*, format myſterium utriuſque populi; *Iudaici* & *Gentilis*, quibus pro ovibus adjungit *Apoſtolos & Epiſcopos*. Deinde *agnos*, & oviculas (id eſt *parvas oves majores agnis*) *& oves, incipientes, proficientes, & perfectos in Eccleſia* interpretatur. Vel, ſanè fuerint *agni populi qui tantùm filii ſunt, non parentes, & nullam habent curam paſtoralem; oviculæ, ſacerdotes minores, parentes populorum filiiq; epiſcoporum; oves verò, ſacerdotes majores, id eſt Epiſcopi qui & agnis & oviculis præſunt, tamen etiam ipſi Petro ſubjiciuntur.* Unum ſupereſt, ut ſint, non interpretatione tuâ, duntaxat, ſed reipsâ, omnes populi & Paſtores belluæ, ut te ſic ineptientem oracula edere credant, hisque rationibus ducti Pontifici tuo ſubjiciantur.

Bell. de verb. Dei lib. 3. c. 3.

Convenit (ait rectè ipſe alibi, nunc ſui immemor) *inter nos & adverſarios* EX SOLO *literali ſenſu peti debere argumenta efficacia: nam eum ſenſum qui ex verbis immediatè colligitur, certum eſt eſſe ſenſum ſpiritûs ſancti. At ſenſus myſtici & ſpirituales varii ſunt, & licet ædificent, quum non ſunt contra fidem aut bonos mores, tamen non ſemper conſtat an ſint à ſpiritu ſancto intenti.* Ibidem notat *Beatum Auguſtinum, in Epiſt.* 48. *ad Vincent. meritò ridere Donatiſtas, qui ex verbis myſticè explicatis, colligebant Eccleſiam Chriſti in ſola Africa remanſiſſe.* Quod igitur idem nunc, adverſarius, ad fidem ſuam confirmandam, allegoricas duntaxat expoſitiones profert, ſibi argumenta efficacia deeſſe manifeſtè prodit.

Certè quæ ex diſtinctione agnorū & ovium nos,

nos, ut ſeria & gravia, excipere vult. Conjeſuitæ Maldonato ludicra & ridicula ſunt. *Non ſubtiliter diſputandum*, inquit, *cur agnos potiùs quàm oves appellaverit; quod qui fecerit, videat etiam atq; etiam ne doctis hominibus riſum præbeat.*

Maldon. in Ioan. cap. 21.

Huic verò poſt tantum laborem, ſi quid etiam ejus valerent interpretationes nihil redit emolumenti. Nam cùm in poſtrema, cui maximè acquieſcit, oves interpretetur Epiſcopos Presbyterorum patres & populorum avos; nullum ibi Apoſtolis Epiſcoporum patribus locum reliquit; eóque in fumos abit quod pro ſubjiciendis Petro Apoſtolis tanto conatu eduxit argumentum.

Supereſt de verbis Domini pronomen illud *meas*. *Id*, ait Bellarminus, *rationem, eamq; inſignem, nobis ſuppeditat. Nam cùm absq; ulla reſtrictione addatur ad nomen, oves, pronomen*, MEAS, *manifeſtè ſignificatur eas omnes oves Petro commendari ad quas extenditur pronomen, meas. Certum eſt autem illud*, MEAS, *extendi ad omnes ſimpliciter.* Nos reſpondemus non ſequi ex iis vocibus ſic indefinitè junctis omnes Chriſtianos, ſive omnes ad quos Chriſti reſpectu extenditur pronomen, Meas, Petro commendari. Id tantùm neceſſariò conſequitur, ad omnes Petro commendatas oves extendi pronomen, Meas, ſive Chriſti eſſe proprias. Poſſit, certè, paterfamiliâs quivis famulorum cui de multis gregibus ovium fuerit minimi tantùm commiſſa cura, indefinitè dicere, *paſce oves meas*; neque ideò novi oneris quicquam imponere. Pædagogo etiam quem filiis duobus ad adoleſcentiam vergentibus inſtituendis & erudiendis præ-

fecerit, dicere queat, *meos tibi commendo filios*; nec tamen ejus curæ adultos alios, ſi quos fortè habuerit, vel etiam ab uberibus pendentes parvulos, neceſſariò committere, aut ſuos eſſe negare.

Act. XX. 28 Paulum refert Lucas, in Actis, Epheſinæ Eccleſiæ Presbyteros ſic affatum fuiſſe: *Attendite igitur ad vos ipſos & totum gregem in quo vos ſpiritus ille ſanctus conſtituit Epiſcopos, ad paſcendam Eccleſiam Dei, quam ſuo illo proprio ſanguine acquiſivit.* Si ex indefinita univerſalem facias, grex illis paſcendus fuerit Eccleſia univerſa. Quemadmodùm enim urget Bellarminus, *Nullum eſſe Chriſtianum qui ſe ovem Chriſti non glorietur*: Sic etiam verum eſt nullam eſſe ovem Chriſti quæ ſe de Eccleſia ſanguine ejus acquiſita eſſe non glorietur. Si etiam, quod idem aſſerit, *oves ovile ſignificant quod unum eſt*: certè Eccleſia, proprie & per ſe, corpus collectivum, in quo ſunt ſinguli, deſignat, clariúſque exprimit corpus quod unum eſt; quandoquidem plures oves unum corpus ſunt, non unitate ſingulari quâ oves ſunt ſingulæ, ſed in unitate Eccleſiæ quæ unum corpus eſt. Nihilominùs verum eſt his Pauli verbis non univerſam Eccleſiam Chriſti paſcendam presbyteris Epheſinis commiſſam, ſed gregi particulari præfectos fuiſſe.

Neque igitur ex his verbis, *Paſce oves meas*, poteſt cõcludi Petro univerſale munus demandatum fuiſſe. Atque adeo ſi nullus alius eſſet locus ex quo muneris ejus amplitudo demõſtraretur, nec eſſet etiã unde probaretur generalius fuiſſe eo quod inferioris ordinis Paſtoribus competit. Nam & eorum cuique indefinitè oves Chriſti

com-

commendari poſſunt, & reverà uſu communi commendantur.

Hîc notat adverſarius, *Non eſſe ſapientis proviſoris relinquere indefinitam curam, cùm poßit eam definire; præſertim cùm certa confuſio & perturbatio ex illa indeterminatione oriatur. Præterea cōmēdare aliquas, & nō indicare quas, idem eſſe videtur ac ſi cōmendarētur nulla. Quas enim, quæſo, paſcet qui gregem ſuum non cognoſcit?*

Agnoſcimus rationem, & inde colligimus ſapientiſſimum proviſorē Chriſtum, quum indefinitè locutus eſt, neq; omnes dixit oves, nec quas, tùm non propriè providiſſe, ſive novam provinciam commiſiſſe, ſed potiùs actus muneris anteà definiti injūxiſſe. Alioqui ſanè, nihil obſtat quominùs ſapiens proviſor, poſt definita & aſſignata famulis ſuis munia obeunda, perturbationiſque & contentionis anſam ablatā, eorundem aliquē ut domini ſui rebus diligenter proſpiciat indefinitè hortetur. Nec opus eſt eius muneris cuius officia poſtules, limites, antea præſcriptos ſemper deſcribere; quia ex ipſa commiſſionali, ut vulgò dicitur, definitione ſemper intelligi debent. Exempli gratia, ſi Rex quiſpiam provinciæ unius præſidem à ſe anteà conſtitutum, interjectis poſt quibuſdam diebus ſic hortetur, Curam gere populi mei, & cum ſubditis meis jure agito: Non ideò eum in vniverſos ſubditos ſuos conſtituit, aut indefinitam illi curā relinquit, ut incertus ſit quorum curam gerere debeat. Siquidem eius generis hortationes ad munus demandatum reſpectum habent, ut eius ratione agendi circumſtantiæ & limites definiantur.

Hoc modo, quia iis quos Paulus Epiſcopos paſcendæ Eccleſiæ conſtitutos dicebat, Ephe-

ſinæ Eccleſiæ, cujus nullam in eo ſermone mentionem fecit ipſe, Presbyteri erant, conveniens fuit ut inde definitos ſui officii limites intelligerent ipſi. Inde & nos indefinitam propoſitionem ita definimus, ut hanc curam Eccleſiæ Dei ad eam portionem quæ Epheſi erat reſtringamus. Quia, itidem, Petrus Apoſtolus erat, commendatam hortatione curam, pro ratione generalitatis Apoſtolici muneris, extendimus. Quoniam, inquam, diſpoſuerat omnibus Dominus ut *duodecim tribus Iſraëlis judicarent*, *omníque creaturæ & omni genti prædicarent*. Ideò & nos ſecundùm eam cujuſvis ex ordine Apoſtolico juriſdictionis amplitudinem, Petri curam interpretamur, ipſíque commendatam agnoſcimus, quâ ſe obſeſſum profitebatur Paulus, *omnium*
1.*Cor*.XI.28. *Eccleſiarum ſollicitudinem*. Qui aliam volet paſtoratûs Petri determinationem inſtituere, ſui cerebri commento nitatur neceſſe eſt; cùm ex verbis de quorum ſenſu quæſtio eſt, ſi ſola & per ſe conſiderētur, ne vel Paſtoris infimi ordinis cum Petri munere differentia demonſtrari poſſit.

Si verò ex promiſſionis communis verbis quibus Apoſtoli ſimul Eccleſiæ univerſæ Rectores & Paſtores conſtituti ſunt, eruenda eſt; nunquàm ſanè probabitur quod in quæſtione eſt; Petrum ſpeciali quodam modo, alitérque quàm cæteri Apoſtoli, ita ut collegio ipſorum præficeretur, Paſtorem univerſalem fuiſſe. Nunquam, item, hæc, theſi generali confirmandæ propoſita, confirmabitur verborum Domini, *Paſce oves meas*, interpretatio: *Eſto Paſtor univerſalis omnium mearum ovium, & conſequenter Apoſtolorum.*

Ver-

Verba enim univerſalitatem non exprimunt. Si autem aliunde ſuppleveris, nempe ex eo quod notâ univerſali adhibitâ dictum eſt Apoſtolis: tum ipſis omnibus, ab Eccleſia univerſa ex munere diſtinctis, communis erit, non Petro ſupra cæteros propria & peculiaris.

Quamobrem univerſæ adverſariorum probationes, non tam ſubtilitate quàm futilitate ſuâ, evaneſcunt, eorumque ſermones & promiſſa in fumos abeunt, rapidis ludibria vētis. Quod ipſis ut collatio & inſtitutio novæ authoritatis, unicū erat refugium, clarum eſt fuiſſe commendationem ſingularem officii Petri, & indicationē veri Dominóq; accepti fructûs amoris ejuſdem, non alterius poteſtatis ab ea quæ omnibus Apoſtolis conceſſa fuerat, donationem. *Sit*, ait Auguſtinus, *amoris officium paſcere Dominicum gregem, ſi fuit timoris indicium negare Paſtorem.* *Aug. in Ioan. tract. 123. in cap. 21.*

Commendare alicui ſpeciatim id quod eſt ejus officii, eſt quandóq; diffidentiæ indiciū, nunquam, certè, poteſtatis majoris argumentum Sępius idem cuipiam ingeminare dictū, indicium eſt volentis altè imprimere, idque efficiēdi optima ratio, non autem privilegii ſpecialis collatio. *Sunt*, enim, *verba ſapientum*, ait Eccleſiaſtes, *ſimilia clavis infixis*; qui, ſcilicet, frequentius percutiendo pulſi, altiùs penetrant. Ideo & *Eadem* dicere Petro Dominum *quidem haud pigebat*, illi autem *tutum erat*, ut quod Philippenſibus *eadem ſcribebat* Paulus. Fuit & hoc loco ratio peculiaris multiplicandæ commendationis officii, pro numero proteſtationum amoris; & de trina illa proteſtatione, eiúſque ratione, diximus ſuprà. *Eccleſ. XII. 13.* *Phil. III. 1.*

Ex omnib. in hūc Ioānis locū obſervationibus,

Digitized by Google

hæ ad noſtram inſtitutionem doctrinæ emergunt. I. Quo maiorem in ſe Domini clementiam ſunt experti pii, eò plus ipſis diligendum eſſe. II. *Non diligendum autem verbo neque linguâ, ſed facto & veritate.* III. Porrò maximè gratum & acceptum amoris factum, officiis erga oves Chriſti, quas chariores vitâ habuit, conſtare præcipuè, ut quæ ſibi facta in extremo iudicio agniturus ſit. IV. Ea præſtanda cuique pro ratione vocationis & facultatis à Deo conceſſæ. V. Paſtoribus autem præſertim pabulo ſpiritali eas reficiendo, & ſummâ curâ earumdem augmentum & ſalutem in Chriſto procurando. VI. Id verò Petrum Paſtorem & Apoſtolum docuiſſe Chriſtum ſummum Paſtorem, ex occaſione nata amoris fervidi quem Petrus præ ſe ferebat, quum Domino viſo in littore, *impatiens deſiderii, negligens captionis,* (ſunt verba Ambroſii) *immemor periculi, ſerum æſtimans ſi cum cæteris navigio perveniret, periculoſo compendio religioſum maturavit obſequium.* VII. Præter eam facti profeſſionem Dominum amoris Petri in trinâ proteſtatione, adverſus trinam negationem, acceptâ, expoſuiſſe quomodò demum eum amorem exereret ille, quóſque ejus effectus ut optimè ordinatos acceptos haberet; non erga ſe quidem, qui opis humanæ non indigeat, ſed erga oves ſuas quas Miniſtrorum operâ paſci velit.

I. Ioan. III 18.

Ambroſ. in Luc. cap. ult.

Egregiè Auguſtinus: *Contra hos vigilat totiens inculcata iſta vox Chriſti, quos Apoſtolus gemit ſua quærere, non quæ Ieſu Chriſti. Nam quid eſt aliud, Si diligis me, paſce oves meas, quàm ſi diceretur, Si diligis me, non te paſcere cogita, ſed oves meas: Sicut meas paſce, non ſicut tuas: gloriam meam in eis*

Aug in Ioan. tract. 123.
Phil. II. 21.

Digitized by Google

quare non tuam; dominium meum, non tuum: lucra mea, non tua. Ne ſis in eorum ſocietate qui pertinent ad tempora periculoſa ſeipſos amantes, &c. *2. Tim. III. 2.*

Idem alibi: *Quum Petro dicitur ad omnes dicitur, Amas me? paſce oves meas*; Nihil hîc non communis doctrinæ agnoſcens. *Aug. de agon. Chriſtiano, cap. 30.*

Chryſoſtomus, eodem ſenſu, ex his Domini ad Petrum verbis, argumentum exhortandi Baſilii ad capeſcendum Epiſcopatum ſumebat. *Chryſ. de ſacerdotio, lib. 3.*

Ubi etiam ex profeſſo locum exponit, nihil myſterii illius poteſtatis ordinariæ clavium, & authoritatis ſupremæ in omnes, obſervavit. Quinimò hanc rationem reddit cur Dominus, *omiſſis aliis, Petrum ſic affatus eſt: fuiſſe eum os Apoſtolorum & primum*: item, *ut oſtenderet iam ſibi fiduciam habendam.* *Id. homil. 87. in Ioh. c. 21.*

Primâ quidem ratione conſtat, ex ſenſu Chryſoſtomi, Dominum in perſona Petri cæterorum habuiſſe reſpectum, quia eum ſelegit cui hæc diceret, ut primum & os aliorum; primum, inquam, ætate, vocatione, confeſſione & fide, non ordine & honore, ut ex Ambroſio diſtinximus. Nam & adverſarios fateri oportet primatum illum quem Chryſoſtomus conſiderat ut antecedentem cauſam, ſive rationem, electionis ex qua hoc mandatum paſcendi ad Petrum direxit Dominus, non fuiſſe ſuprematum quem eo mandato inſtitutum & collatum putant. Quis enim dicat ideo electum ut fieret ſupremus, quia antea ſupremus erat? Ex primatu verò illo perſonali & adventitio factum eſt ut pro omnibus non infrequenter locutus ſit, quia & ætate provectior, & zelo ferventior ſolitus eſt, (quod ait idem author) ϖϱ-

πηδᾶν proſilire, & præoccupare ſermonem. Hinc veteribus nonnullis *os Apoſtolorum*, ex eventu & actu, non ex deſtinato officio, dictus eſt. Si quibus verò eo nomine dictum illi putatur à Chriſto, *Paſce oves meas*, certè ad eos etiam quorum os erat pertinere præſupponitur. Qui enim aliquem ut aliorum interpretem & os alloquitur, reverâ ad eos quorum os eſt ſermonem inſtituit. Quinetiam ſi interpres ipſe de eorum ordine vel cœtu non ſit quorum nomine eloquitur, reſponſa dictáque ad ipſum propriè nihil attinent. Verùm quia Petrus ex collegio Apoſtolorum unus idémque inſignis erat, eum etiam propriè unà cum cæteris ſpectabat, quod ad ipſum ut eorum os directum erat.

Secunda ratio Chryſoſtomi Petrum potiùs deprimit, quàm ut ſupra alios evehat; quia per eam dictum Domini ut amovendo malo, cui culpâ ſuâ cauſam dederat Petrus, adhibitum ſtatuitur; Siquidem voluerit demonſtrare Chriſtus Petro fidendum eſſe, etiamſi gravi lapſu exiſtimationem ſuam minutam iviſſet.

Quod itaque Doctor idem ſcripſit Dominum *ſoli Petro locutum*, *fratrum curam illi totiusq; mundi, commiſiſſe*, ideò factum quia eundem, ut os aliorum, electum cenſebat ad quem exhortationis ſermo, cujus in reipſa conſequentia omnium communis erat, dirigeretur. Quo etiam pacto famam & exiſtimationem Petri, quam facto particulari ſuo labefactârat, in integrum reſtauravit, ut nihilo minùs quam anteà crederent illi fideles. Nam reverâ totius mundi, ſive *omnium gentium*, & *fratrum*; id eſt, fide-

fidelium privatorum (qui eo nomine deſignati Act. II. capite, ab Apoſtolis etiam & Preſbyteris diſcernuntur Act. XV.) cura commiſſa eſt Petro, ut cæteris Apoſtolis; nec illi peculiariter tribuitur niſi κατ' ἐνέδειαν, ratione aduentitiâ ſermonis ad ipſum directi. Hinc multis dictus eſt *paſtor gregis*, ut Paulus *vas electionis*, *& architectus*, veritate ipsâ his vocibus & attributis expreſsâ ad alios etiam ex æquo pertinente.

Sunt & alij veterum qui ad hunc locũ reſpectum habentes, *fratrum curam Petro commiſſam* dicant; minimè quidem quòd novam poteſtatem, nec anteà acceptam, eâ exhortatione collatam putent, ſed quia ut confirmationem authoritatis Petri interpretantur; ex qua, ſcilicet, aduerſus ſuſpicionem omnem integra illi inter diſcipulos exiſtimatio remaneret.

Id clarè expreſſit Cyrillus Alexandrinus. *Dixit autem*, inquit, *paſce agnos meos, Apoſtolatûs renovans ipſi dignitatem, ne propter negationem quæ humanâ infirmitate accidit, labefactata videretur.* Eadem habet Iſidorus Peluſiota, Epiſtolarum lib. 1. epiſt. 103. & 356. *Cyrill. Alex. in Ioan. lib. 12. cap. 14.*

Non igitur novam & peculiarem contulit authoritatem, ſed Apoſtolatûs renovavit dignitatem Dominus. Renovavit verò non collatione propriâ, quaſi reipsâ Apoſtolatûs dignitate excidiſſet Petrus, ſed confirmatione, *ne VIDERETVR labefactata.* Quod verò præcautionis & remedij fuit, non poteſt in privilegium, atque in reipſa prærogativam, trahi.

Dabunt lectores noſtræ in hoc argumento prolixitatis veniam, neceſſitatis conſideratione,

Digitized by Google

tum etiam lucis quæ clarior inde affulget; ut, certè, adverſariorum retectis dolis techniſque, ſyncera & pura cui auſcultamus veritas cornicum oculos configat.

CAP. X.

Ipſa Apoſtolorum praxis, & agendi ordo quo in obeũdo munere ſunt uſi, ex actibus eorundem à Luca deſcriptis, nonnulliſque à Paulo notatis, ad veritatis confirmationem, demonſtratur.

AD legum ſtatutorum normam & amuſſim actiones factáque collineare neceſſe eſt: Siquidem recta & legitima dici ſolent, quatenus cum regula aut lege conveniunt. Hactenus autem obſervatum probavimus, neque Domini promiſſa, neque actualem ejuſdem diſpoſitionem, vel in collatione ſive inſtitutione complementum, ulla ex parte ſuprematum muneris in Petro, ex quo cæteros ſubalternatos ſibi habuerit Apoſtolos, multóque minùs monarchicam in eos dominationem, ſtabilire. Quinetiam cùm quæſitum fuiſſet inter diſcipulos *quis major*, & de primatu contenderent, quaſi proviſionales vel interlocutorias, ut vocant, Domini primùm notavimus ſententias, quibus omnes & ſinguli ad humilitatis praxin revocati, præcellentiam miniſtrando quęrere jubebantur. Deinceps, itidem, ejus litis quam intentârat ambitio, definitionem conſideravimus: Omnem, nempe, domi-

dominatum Apoſtolis interdictum; iiſdem verò thronos conſtitutos, quibus ſedentes, duodecim tribus Iſraëlis judicarent. Tandem etiam nobis conſtitit de ſolemni eorumdem poſt reſurrectionem miſſione, ex qua eandem authoritatem & poteſtatem ſimul accepêre; Neque mutatam fuiſſe eam ex æquo diſpoſitionem, commendatione officij Petro factâ, ex occaſione nata, coram tribus aliis Apoſtolis totidémque diſcipulis.

Praxis igitur his definitionibus & Domini legibus, quæ actionum norma ſunt, per omnia reſpondere debuit. Verùm enimverò qui ex legibus causâ cadunt, ad exempla provocant; & ubi iure deſtitutos ſe vident, factis nituntur. Attamen, quia Apoſtoli religiosè magiſtri ſtatutis adhæſerunt, etiam ex eorumdem praxi, & uſu, doctrinæ filij Dei adverſantes, ſi pudore ſuffundi nequeant, confundi neceſſe eſt.

De prima actione conſideranda, electione Matthiæ.

PRIMA actio quam ſibi patrocinari adverſarij gloriantur, electio eſt Matthiæ in Apoſtolum, ut locum Iudæ impleret; cujus nonnullas urgent illi circumſtantias.

Petrus, ait Bellarminus, *tanquam paterfamiliâs colligit in unum cœtum diſcipulorum & unum eligendum eſſe docet in locum Iudæ*. Id ſi daretur, nunquam inde ſuprematum elicias, ſed tantùm præſidentiam inter ejuſdem authoritatis collegas, cujus terminos ſibi præſcribi non ferrent Pontifices. *Bell. de Pont. lib. 1. cap. 12.*

Fran. Duar. Epit. iur. canon. de ſacr. Eccl. Miniſt. ac benef. lib. 3. cap. 2.

Franciſcus Duarenus doctus Iureconſultus & Pontificius, *illud fuiſſe in Petro præcipuum* dicit, *quod cæteros convocare, & de iis quæ agenda forent apud eos orationem habere ſolitus ſit. Sicut hodie apud nos, curiæ parlamentalis præſes ſenatum cogit; primus in ſenatu, quum opus eſt, verba facit; multáque alia exequitur quæ præſtantiam quandam perſonæ quam gerit, facilè oſtendant. Non ideò tamen major aut ſuperior totâ curiâ eſt, nec poteſtatem in cæteros Senatores, aut contra eorum judicia quicquam decernendi, habet. Quinimò ipſius curiæ, cujus caput eſſe præſes dicitur, de controverſiis omnibus judicium eſt, non præſidis. Adde quod curia in ipſum ſi res exigat, ut in quemvis alium, jus dicit & animadvertit. Et hæc quidem olim ita ſe habuerunt. Verùm, neſcio quo modo tandem factum eſt ut ſummum in omnes Chriſtianos imperium uni tributum ſit.*

Nihilominùs Petrum collegiſſe cœtum dicitur gratis; nec dicto adjuncta ſimilitudo quidquam habet in hiſtoria Lucæ fundamenti. Cœtum is collectum proponit; à quo non dicit: Tantùm in medio congregatorum diſcipulorum Petrum ſurrexiſſe narrat. Quæ præter hæc adjicit adverſarius, commentitia ſunt. Quod autem per eos dies Petrum in medio diſcipulorum ſurrexiſſe & quædam propoſuiſſe dicit Lucas, ne præſidentiam quidem ordinariam Petro adſcribit. Nam ex motu extraordinario proſiliiſſe, ut quę in mentem venerant ederet, ex contextu liquet. Sic ejuſdem libri Actorum capite XXVII. 21. *Paulus in medio ipſorum ſtans, dixit, ô viri &c.* Et cap. V. *Surgens in conſilio quidam Phariſæus nomine Gamaliel &c. juſſit ut pauliſper foras abducerent*

Apoſto-

Digitized by Google

Apoſtolos, & dixit illis, Viri Iſraëlitæ, attendite &c. Certè nec Paulus in navi præſidebat, nec Gamaliel in conſilio, ſed utérque quod ſibi optimum videbatur expreſſurus ſurrexit. Solent etiam ſedere præſides, alij ſurgunt honorem exhibentes, in cœtu verba facturi.

Paulus in 1. ad Corinthios epiſtola, ordinem in cœtu ſanctorum, ut convenientiſſimum, obſervandum hunc tradit: *Quoties convenitis quiſque veſtrûm canticum habet, doctrinam habet, linguam habet, revelationem habet, interpretationem habet? omnia ad ædificationem fiant &c. Prophetæ duo aut tres loquantur, & alij dijudicent. Quod ſiquid alicui revelatum fuerit aſſidenti, prior taceat.* Qui igitur judicabant ſedebant, doctrinam verò aut revelationem propoſiturus ſurgebat. 1. Cor XIV. 16.17.30.

Apoſtoli promiſſum ſpiritum & ampliora dona expectantes, coibant in cœtum ſacrum, & pietatis exercitiis ædificabantur, ut patet ex Act. cap. I. 14. Tum temporis Petrus doctrinam habés, revelationémque & interpretationem Scripturæ, in medio diſcipulorum, quod ſibi revelatum fuerat communicaturus, ſententiámque prolaturus, ſurrexit. *Sed hanc quoque*, inquit Chryſoſtomus, *declarans ſuam non eſſe, ſed è ſupernis profectam, iuxta prophetiam. Itáque recitator fuit, non præceptor.* Sic omnia ordine communi geſta, non ex imperio authoritatis ſupremæ; Et quod ſurrexit Petrus, honoris exhibiti teſtimonium erat, ut ex Paulini textûs obſervationibus conſtat. Chryſ. in Act. hom 3.

Nec repugnat quod idem Doctor obſervat his verbis: *Quam eſt fervidus? quam agnoſcit creditum à Chriſto gregem? quàm in hoc choro princeps eſt,*

& ubiq; primus omnium incipit loqui? Fervidus fuit fidelium univerſo gregi, cunctis Apoſtolis commiſſo, ædificando: Et princeps primusque extitit, loqui incipiendo, non præcipiendo; quia *recitatoris*, non *præceptoris*, partes egit. Concluſio Petri loquentis hæc fuit: *Oportet igitur ex iis viris qui nobiſcum convenerunt toto tempore, &c. unum fieri nobiſcum teſtem reſurrectionis ejus.* Illud *oportet*, quidam in conſequentiam abſoluti mandati, eoque authoritatis ſummæ trahunt. Sed & in Regis conſpectu ſententiam dicens Conſiliarius concludat etiam oportere aliquid; ex neceſſitate rei, & vi rationis ſcilicet, nō authoritate ſua. Petrus, certè, non dixit ſtatuo, præcipio; oportet igitur. Sed cùm priùs notaſſet OPORTVISSE *impleri Scripturam quam de Iuda prædixit ſpiritus ſanctus*, & Scripturę illius hęc poſtremo loco, verba recitaſſet, *& Epiſcopatum ejus accipiat alius*, ſubjungit continuò: *Oportet igitur ex iis viris, &c.*

Act. 1. 21. 22.

At enim incunctanter, nullâ deliberatione interjectâ, executioni mandatur conſilium. Reſpondeo, non dicere Lucam nullam deliberationem communem poſteà factam, nec in eiuſmodi ab authoritate negativè ſequi. Siquis ſanè hiſtoriographus narret in ſacro Regis Conſiſtorio propoſuiſſe quempiam, mittendum exercitum, & ita factum eſſe, nemo ſanus inferat non interjectam deliberationem; quin potius, ex ordine communi eorum cœtuum, ſuffragiorum numero eam ſententiam prævaluiſſe intelliget. Lucas quum poſt Petri expoſitam ſententiam, addit, *& ſtatuerunt duos &c.* juxta eam factū fuiſſe teſtatur quidem; ſed an purâ, eaque abſolutè debita

debita óbedientiâ, an verò approbatione cœtus, cui Petri ſententia recta & veritati conſentanea viſa ſit, id verò non definit. Et aduerſarij quidem primum præſupponunt, tantùm quia magis in rem ipſorum eſt. Nos autem ſecundum; ex regula ordinis cœtuum, eorum maximè quibus ab aſſurgentibus proponebatur doctrina vel revelatio, & cæteri ſedentes judicabant: Exemplo, item, ejus quod in non tanti momenti Diaconorum electione locum habuit. Nam quum Apoſtoli propoſuiſſent quod è re videbatur, *placuit hic ſermo toti præſenti multitudini, & elegerunt, &c.* *Act. VI. 5.*

Deinde, ex ipſo contextu liquidò conſtat, ad hanc electionem Matthiæ, varios fuiſſe interjectos ſermones, & formas agendi propoſitas quas narrationi ſuæ non inſeruit author. Nec enim Petrus cógregatis quicquam de uno vel duobus ſtatuẽdis dixiſſe memoratur, ſed tantùm ex ſcriptura concluſiſſe, *oportere ex iis viris qui unà cum ipſis convenerant toto tempore quo cum iis verſatus eſt Ieſus, aliquem fieri teſtem reſurrectionis ejus.* Decretum igitur poſteà factum eſt ut ad electionem unius procederetur, idque hoc ordine, ut duos quidem ſtatuerent ipſi; poſteà verò, ſortem jaciẽtes, Deo committerent judicium, qui ex eventu oſtenderet utrum ex duobus elegerat. Nihil horum dixerat Petrus; nec tamen ordine res geri, niſi prius propoſita & rata, potuit. Adverſarij verò ita argumentantur, quaſi poſt Petri ſermonem, quem expreſſit Lucas, ne verbum quidem additum fuiſſet. Id verò non omnino improbabile videretur, ſi eo ſermone quidquid poſteà actum eſt diſtincti comprehenderetur. At tan-

tùm exprimit quod fieri oportebat, ſive quod neceſſariò, ex hypotheſi prophetiæ divinæ futurum erat, non quid cœtus hac de cauſa facere deberet, vel adeò quòd fecit.

Ad factum ipſum, id eſt electionem, quod attinet, de Petro nihil nominatim narratur; ut nullam partem in ea actione, quæ juriſdictionis erat & authoritatis, non tantùm conſilij, illi niſi cum corpore congregatorum, & quatenus in iis erat, tribuere poſſimus. Hinc patet eum in electione omnes alias hominum operâ in Eccleſia factas ſuperante, & maximi momenti, non ſe ut ſupremum geſſiſſe.

Itaque ex hoc loco, cum ſuis circumſtantiis conſiderato, adverſariorum doctrina validè impetitur, Petroque non fuiſſe in Eccleſiam conceſſum ſummum imperium, ex quo ſolus quæ maximæ erant authoritatis obire poſſet, clarè probatur; quandoquidem tanti ponderis negotium à multis ſimul adminiſtratum eſt.

Unica ſupereſt difficultas, non ex contextu Lucæ, ſed ex Chryſoſtomi in eundem dictis. *Quid?* inquit, *An non licebat ipſi eligere? licebat, & quidem maximè. Verùm id non facit ne cui videretur gratificari.* Hinc colligunt adverſarij potuiſſe Petrum ſolum eligere, ſed ex modeſtia aliis libera permiſiſſe ſuffragia. Id verò hujus authoris menti planè adverſum eſt. Nam quum quæſiiſſet, *Cur non ſolus à Chriſto poſtulavit ut ipſi daret aliquèm ſubſtituendum in locum Iudæ?* Reſpondet: *Iam Petrus erat ſeipſo factus melior*; reſipuiſſe demonſtrans, eoque ſuprà alios non præſumere edoctum. Si igitur quia melior factus erat, id à Chriſto non poſtulavit,

In Act. hom. 3.

certè

certè multo minùs ſoli eligere licuit: Sic enim & vel maximè, ab emendatione, quâ ſeipſo melior factus erat, excidiſſet.

Quod igitur paulò poſt ſubjungit idem author: *Iam & illud conſidera, quàm Petrus agit omnia ex communi diſcipulorum ſententiâ, nihil authoritate ſuâ, nihil cum imperio*; Certè optimè noverat quod anteà Cyprianus & collegæ ejus, in Concilio Africano, notaverant, Petrum hæc omnia obſervâſſe *ſecundùm magiſteria divina*; illa verò tranſgredi fas non fuit.

Cyprian. lib. 1. ep. 4.

Quid igitur illud eſt, inquies, quod Petro licuit, nec tamen fecit? Certè aliud omne ab hoc primo; vel ſecũ & cum veritate pugnaret Chryſoſtomus. Potuit igitur, non ſolus quidem, ſed cum aliis, eligere, & in cujuſdam gratiam ſuffragium ferre, quod multis exemplo fuiſſet; potuit inquam, in iis eſſe qui duos ſtatuerunt. Cenſet verò Chryſoſtomus non fuiſſe Petrum in ſtatuentibus illis, ſed propoſitione factâ, deinceps abſtinuiſſe à nominatione & electione, *ne cui videretur gratificari*, vel in alicujus gratiam inſtituiſſe ſermonem. Id ex homiliæ totius ſerie clarum eſt. Et ſanè, diſtinguendum eſt id quod Petro tribuit hic author ad ſuſpicionem gratificationis amovendam ſeu declinandam, ab eo cujus cauſam aſſignat emendationem quâ melior factus erat.

Sit ordinatio legitima quæ omnium ſuffragio & iudicio fuerit examinata, quod poſteà ſecundùm divina magiſteria obſervatur in Actis Apoſtolorum, quando de ordinando in locum Iudæ Epiſcopo Petrus ad plebem loquitur.

Itaque & ex Chryſoſtomi ſententia remanet certum, Petrum *nihil authoritate ſuâ, nihil ex imperio* in hac actione geſſiſſe, & in ſententia etiam dicenda *recitatorem fuiſſe, non præceptorem*; eoque ſuprematum & imperium nequaquam inde cõ-

firmari poſſe, ſed tantùm par conſortium honoris & poteſtatis.

De ſecunda actione conſideranda, in Ananiæ & Sapphiræ vindicta, ex Actorum capite V.

Act. V. 5. SVNT qui magni faciant quod in Actis memorat Lucas; Petro Ananiam alloquente & increpante, quòd *mentitus eſſet non hominibus, ſed Deo*, illum *audientem hos ſermones, cecidiſſe & exanimatum eſſe.* Actum ſcilicet supremæ poteſtatis eſſe volunt, repentè quempiam morti tradere.

Non hîc diſputo an plectere morte, ſupremam arguat authoritatem neceſſariò; vel etiam an id generis ſuprematus, corporali punitione exhibitus, ſit ſpiritualis ille de quo quæritur. Sufficiat animadvertiſſe, Petrum in ea reprehenſione Paſtoris & Prophetæ defunctum officio, docuiſſe Ananiæ offenſam læſæ Majeſtatis divinæ crimen fuiſſe, non in hominem peccatum levius: tum vindictam hanc ſequutam eſſe; à Deo, certè, in quem peccaverat infœlix ille, non ab hominibus. Nónne fuit miraculoſa & extraordinaria punitio, cujus nihil dixerat Petrus? Quid igitur illa ad ſupremat um ejus in Apoſtolos, & ordinariam poteſtatem in omnes?

Act. V. 9. Ad Sapphiram quod attinet, poſt eam convictam, ſic denuntiarit illi Petrus: *Ecce pedes eorum qui ſepelierunt virum tuũ ad oſtium adſunt, & efferẽt te.* Unde elicias ſpiritus inſtinctu & revelatione Petrum prædixiſſe Sapphiræ mortem, non tamen eam occidiſſe vel morte affeciſſe. Sic nec filium

Iorho-

Iorhobami interfecit Ahija Silonites, qui matri ejus dixerat, *quum intrabunt pedes tui in civitate domum, ilico morietur infans.* Nec Eliſęus, itidem, ducem cui dixerat: *Ecce, tu id viſurus es oculis tuis, ſed ex eo non es eſurus.* At *Samuel dilaniavit Agagum* coram Iehova Gilgale. Elias, item, dixit præfecto, *Deſcendat, ignis è cœlo & conſumat te & quinquaginta tuos: ilico deſcendens ignis è cœlo conſumpſit eum & quinquaginta ejus.* Sic Eliſæus *maledixit pueris in nomine Iehovæ; & egreſſæ urſæ duæ è ſylva diſciderunt ex eis quadraginta duos.* Ibi plus ſimplici denuntiatione ex parte Prophetarum fuit.

1. Reg XIV. 12.
2. Reg. VII. 2.
1 Sam. XV. 73.
2 Reg I 10.
2. Reg. II. 24.

Si verò morte afficiendi miraculoſa poteſtas à Petro in eos qui ſe ejus ſucceſſores mentiuntur, ut ordinarij ſui ſuprematus dos, tranſlata eſſet, non tantus eſſet gladiorum & pugionum uſus, & occiſorum major numerus foret.

De actione tertia conſideranda, in Concilio Hieroſolymitano, ex Act. cap. XV.

QVVM Antiochiæ de circumciſione, & ritibus legalibus, orta eſſet diſceptatio, operâ Phariſæorum qui crediderant, *conſtitutum fuit ut Paulus & Barnabas,* quibus maximè repugnatū erat, *& quidam alij, aſcenderent Hieroſolyma, ad Apoſtolos & Presbyteros, ſuper hac quæſtione;* non ad Petrum ut ſupremum.

Act. XV. 1. 2. 3.

Eò *quum perveniſſent illi, excepti ſunt ab Eccleſia & Apoſtolis ac presbyteris, & retulerunt quanta bona*

Deus per ipſos effecerat; tum etiam hominum perturbationem ex qua mala & damna Eccleſiæ immi-
v.6.7. nerent. Ideò *congregati fuerunt Apoſtoli & presbyteri*, ait Lucas, *ut viderent de hac re.*

Quis eos collegerit in unum, quiſve præſederit & primus in cœtu verba fecerit, ex Actibus non conſtat: Nam hæc omnia ſilentio præteriit Lucas. Id quidem certum eſt. Quum in eo eſſent ut diſputarent de hac re, *ἰδεῖν περὶ τοῦ λόγου τούτου* hoc eſt ut deliberarent, ſententiarum miram varietatem & repugnantiam fuiſſe. *Nam poſt multam diſceptationem, ſurgens Petrus dixit &c.* Diſceptatio autem non fuit partium tantùm, ſive eorum qui Antiochia venerāt, ſed in cœtu univerſo: Siquidem poſteà dicitur *multitudinem tacuiſſe*; obſtrepebat igitur.

Surgere autem *poſt multam diſceptationem*, & loqui, non eſt præloquutoris vel præſidentis actus neceſſarius: hoc eſt, nec primum locutum eſſe, nec præſediſſe conſtat eum de quo hæc narrantur. Petrus, ſanè, ut vir pietate, donis, & vocatione inſignis & gravis, quum tum temporis ſurrexiſſet firmiſque rationibus & argumentis, ab authoritate revelationis divinæ, ſanctique ſpiritus arrhabone & ſigillo, petitis, quod optimum erat aperuiſſet, & his veritatis firmamentis fretus pro ceremoniis tantùm non digladiantes & Deum tentantes increpâſſet, compeſcendo tumultui multùm promovit. *Et tacuit tota illa multi-*
v. 12. *tudo, audiebántque Barnabam & Paulum exponentes quāta Deus edidiſſet ſigna & prodigia per ipſos inter Gentes*; hoc eſt, prolatis admirandis Dei inter Gentes operibus, Petri dictum, quo *nihil Deum diſcreviſſe*

inter

ter Iudæos *& illos* obſervaverat, confirmantes.

Non dicit Lucas ſtatim ac Petrus verba fa-ctutus ſurrexit, decretum, nempe, & controverſiæ ultimam definitionem audituram, tacuiſſe multitudinem; Sed poſt Apoſtoli eximij ſuper ea controverſia graviſſimum ſermonem, ſilentium ſecutum eſſe. Sententia igitur Petri impulit ut emollitis & inclinatis animis, remitteret contentionis æſtus, & pacatâ mente, plus quàm ſemiperſuaſi, attenderent Barnabæ & Pauli dictis. Equidem ſi poſt Petrum nullus verba feciſſet, non omnino abſurdè colligeretur fuiſſe eum, ſi non ſupremum authoritate ſingulari ſuâ definiētem, ſaltem præſidem ſynodi decretum commune pronuntiantem. Verùm poſt ipſum, ſuper eadem quæſtione diſſeruerunt Paulus & Barnabas. Poſtquam autem & ipſi cõticuiſſent, *reſpondit Iacobus dicens, viri fratres audite me.* Quamobrem verò, ſi vel ſummus definiverat, vel pronuntiaverat, nomine Synodi, præſes?

Notanda item Iacobi verba. *Simeon*, inquit, *ἐξηγήσατο, expoſuit*; non decretum ejus, ſed exegeſin memorãs, quam Prophetarum teſtimoniis quū & ipſe plenè confirmaſſet verſib. 16. 17. & 18. ſic concludit ſententiam: *Quamobrem ego cenſeo, κρίνω, non eſſe obturbãdos eos qui ex Gẽtibus ad Deum ſe convertũt.* Et hac in parte in Petri ſententiã ibat: Sed de ſuo addit, *ſcribẽdũ* ad Gẽtes *ut abſtineãt à pollutis per ſimulacra, & ſcortatione, & ſuffocatis rebus, & ſanguine.*

Neque etiam Jacobus, ut Synodi præſes, commune decretum pronuntiat, ſed ſuam ipſius ſententiam exponit. Sic enim Lucas poſteà placitum commune, ſive factam reſolutionem ulti-

v. 23. mam, enuntiat: *Tunc viſum eſt Apoſtolis & Presbyteris, cum tota Eccleſia, delectos ex ſe viros mittere Antiochiam cum Paulo & Barnaba, nempe Iudam & Silam, viros primarios inter fratres: iſtis per eorum manum ſcriptis, &c.* In ſcripto judicium de tota controverſia, nomine Apoſtolorum, Preſbyterorum &c. fratrum, plenè declaratur, his verbis ſolemnibus ratum: VISUM *eſt nobis concorditer coactis, &c.* Item, *viſum eſt ſpiritui ſancto ac nobis, ne quod amplius imponeremus vobis onus præter neceſſaria iſta &c.*

Sunt etiam inſerta in illo judicio à Petro & Iacobo non dicta quędam, ut pateat alios poſteà ſententiam dixiſſe, & prout dederat Dominus, adjeciſſe nonnulla. Certè quod ait Lucas, *tunc viſum eſſe Apoſtolis & Presbyteris*, eoſdē auditis duobus illis Apoſtolis, quid ſibi videbatur expreſſiſſe luculentum eſt teſtimonium.

Ex harum verò actionum circumſtantiarúmque deductione, de præſide Concilij ita tacuiſſe Lucam videmus, ut ex ejus hiſtoria, Petrus ne an Iacobus, vel quis alius id muneris obierit, minimè conſtet, nec ullis firmis argumentis demonſtrari queat; quidquid, ſanè, ab utraque parte dicatur, vel etiam reipſa locum habuerit. Paulus & Barnabas actorum partes egerunt, & poſtquam repugnantiam & diſceptationem vehementem Antiochiæ ſuſtinuiſſent validè, etiam Hieroſolymis ut decretum adverſus turbatores fieret, probationibus & teſtimoniis divinis pro confirmanda recta ſententia allatis, urgere non deſtiterunt. Petrus verò & Iacobus, quum gravibus dictis ſententiam ſuam probationibus munitam enuntiâſſent,

impu-

Digitized by Google

impulerunt maximè : ille quidem tumultuantem multitudinem in ſententiam Pauli & Barnabæ inclinavit : hic verò, Petri dicta confirmando, plenè perſuaſit; & ſequutus conſenſus omnium Apoſtolorum Presbyterorum & fratrum, quibus viſum eſt optimum quod poſteà factum eſt, eò recidens quo duorum ſententiæ ferebant, paucis adjectis, unà cum formulis. Ea propter Hieronymus Petrum *principem decreti* vocat, quòd fuerit ejus quæ obtinuit, & decreto communi firmata fuit, *ſententiæ princeps.* Sic enim dicebatur qui ſententiæ multorum ſuffragiis poſteà comprobatæ author erat; ut conſtat ex Varrone in Epiſt. ad Opianum, apud Gellium noct. Attic. lib. 14. cap. 7.

Atque, ut in pauca contraham, quocumque modo hiſtoriam Lucæ volvere & evolvere adverſariis libeat, nunquam efficient ex iis quæ de Petro & Jacobo narrantur, plus authoritatis vel præeminentiæ in ſacrum cœtum Hieroſolymitanum iiſdem attribui, quam ex Actorum capite quinto recitatis, Gamalieli *in ſummi Pontificis & filiorum Iſraël conſeſſum* tribuatur. Nam *quum* illi *frenderent & conſultarent de Apoſtolis interficiendis, ſurgens is in concilio juſſit ut pauliſper eos abducerent foras, & dixit illis, Viri Iſraëlitæ, attendite ad vos, &c.* Certè ſiquid in Concilio juſſiſſe Petrum diceretur, adverſarij quaſi debellatum eſſet, non facerent gloriandi finem. Quod ſi audito Petro, *tacuit multitudo* ut *auſcultaret Barnabæ & Paulo*, majus eſt quidpiam quod frendentes illi Gamalieli ſimpliciter *aſſenſi ſunt, & mi-*

αὐτὸς ἀυτῷ, ait Lucas) quam aliorum audiendorum gratia tacuiſſe.

Itaque, ex hoc etiam loco, plurium ejuſdem poteſtatis regimen, & corporis univerſi in ſingula membra authoritas, unius in univerſos ſuprematu rejecto, confirmatur. Nam cùm omnia Apoſtolorum, Preſbyterorum & fratrum nomine geſta recitentur, Petrus in primo ordine cum aliis ejuſdem dignitatis comprehenſus, haud ſeorſum nominatus eſt; nulláque authoritatis illius ſupremæ quam adverſarij obtendunt habita ratio eſt, cùm tamen inde decreta firmari, ſi à Domino inſtituta eſſet, maximè neceſſarium fuiſſet.

De actione quarta conſideranda, Pauli Hieroſolymam, Petrum inviſendi gratiâ, profectione ex Epiſt. ad Gal. cap. I.

Gal. cap. I. v. 1.2. QVVM Paulo Apoſtolo propoſitum eſſet ſui Apoſtolatus munus, ut non ab hominibus impoſitum, & Evangelium à ſe annuntiatum, ut *revelatione Ieſu Chriſti* acceptum, commendare: poſtremum illud inde commonſtrat, quòd anteà in *Iudaiſmo*, à veritate alienus, ultra modum *perſecutus* erat *Eccleſiam*. Primi verò probationem inſtituit, ex eo quòd extra ordinem *vocatus, non rediit Hieroſolymam ad eos qui ante ipſum fuerant Apoſtoli, ſed abijt in Arabiam, ac denuo reverſus eſt Damaſcum: Deinde tribus poſt annis redijt Hieroſolymam, ut viſeret Petrum, & permanſit apud eum dies quindecim.*

(Margin: v. 13. v. 14. v. 17. v. 18.)

Tribus

Tribus poſt annis hunc reditum accidiſſe dicit, ut pateat minimè ſibi maturandum duxiſſe, quaſi ad muneris ſui confirmationem, priuſquam id legitimè obire poſſet, neceſſitatem haberet Apoſtolos alios conveniendi. Deinde, hoc interjecto ſpatio, rediiſſe ſe dicit *ut viſeret Petrum*, charitatis & humanitatis actum à neceſſitatis debito officio diſcernens. Tertiò, tempus quo permanſit apud Petrum, *dierum quindecim* tantùm fuiſſe ſcribit, ut ex ſpatii brevitate, ſcholam non adiiſſe ipſum innoteſceret. Ut enim ad vocationis ſuæ neceſſariam ex lege confirmationem, non fuit in tertium à vocatione ſua annum differendum, ſic & ipſi ad pedes Petri inſtituendo quindecim dierum ſpatium minimè ſufficiens fuiſſet. Et hæc omnia propoſitioni versûs undecimi illuſtrandæ obſervavit; quemadmodum & quæ ſequente capite narrationis ſerie deducta ſunt. Propoſitio verò illa hæc eſt: *Notum vobis facio, fratres, Evangelium illud quod eſt à me Evangelizatum, non eſſe ſecundùm hominem.*

Mirum eſt tamen inde adverſarios ſuo ædificio apta ligna cædere velle, & directè adverſus Pauli mentem, in ſuprèmatus Petri confirmationem hanc hiſtoriam trahere; quaſi, nempe, Paulus ex debito neceſſitatis, ut inferior & ad ſummum Petrum dependentiam habens, eum ſibi ſuperiorem hoc facto agnoſcere properaverit. Quis verò ignorat viſitationis honorem à ſuperiore etiam inferiori ſuo, à collega æquali collegæ, ut ab inferiore illi qui

ſuperior eſt, ex humanitatis vel charitatis affectu, exhiberi ſolere? Maria, certè, Domini mater, cùm ab Angelo ſalutata, ex Spiritu Sancto concepiſſet, in montanam Iudææ, cum feſtinatione, Elizabetham *ſalutatura* profecta eſt, & manſit cum illa *quaſi tres menſes*. Númnam ideò inferior? Quinimò ſuperiorem Elizabetha agnovit: *Et unde hoc mihi*, inquit, *ut veniat mater Domini ad me?*

Luc. 1.40. & 56.

Urgent adverſarii, Non de nihilo eſſe quòd Paulus eâ tantùm de causâ ut viſeret Petrum profectus ſit Hieroſolyma; neque de eo honore pariter Apoſtolorum alteri cuiquam exhibendo cogitâſſe dicatur; ideoque ſingulare aliquid in Petro conſiderâſſe: tum illud *aliquid* idipſum eſſe quod volunt, aut nihil. Fateor equidem mirum videri poſſe quòd Paulus, ante tres annos converſus, ſacri ſepulchri viſendi, quò nunc è longinquo, & per mille pericula, Pontificii adoraturi ſe conferunt, nullâ devotione tactus, Petrum collegam tantùm ἱςορῆσαι propoſuerit. Sed nihili eſt quòd mirêre, ſi Paulus Damaſco Hieroſolymam profectus eo tempore quo cæteri Apoſtoli aberant, prædicando Evangelio diſperſi, (quod etiam quum eſſet Damaſci urbe non longè ab Hieroſolymis diſſita noviſſe poterat,) non tum illos peregrè profectos ibi ſalutandi propoſitum habuiſſe. Quod enim *alium ex Apoſtolis non vidiſſe quemquam, niſi Iacobum fratrem Domini*, teſtatur, abſentiæ eorundem argumentum certiſſimum eſt. Nam quindecim dierum ſpatio nullum vidiſſe, ſi adfuiſſent, contemptus fuiſ-

Verſ. 19.

ſet

ſet indigni, qui in Paulum cadere non potuit. An verò Iacobus frater Domini ex duodecim unus fuerit, apud veteres controverſum eſt, & negant Clemens Alexandrinus, Gregorius Nazianzenus, Euſebiuſque. Nec repugnat in textu Paulino particula εἰ μὴ quæ ſæpe adverſativæ loco ponitur, ut Matt. XII. 4. Apoc. X. 4. & alibi.

Verùm enim verò, nónne ex communi Apoſtolatûs vocatione, ad quam perſonalia Petri multa accedebant, adeò ut in iis eſſet qui *columnæ dicebantur*, & fortè primus; nónne, inquam, Paulo ſatis conſtabat ratio cur eum videre, cum illo ſermones ſerere, & dextram jungere dextræ præoptaret, ideoque Damaſco Hieroſolymam proficiſceretur?

Chryſoſtomus, homil. 87. in Ioan. XXI. poſtquam Petrum *primum & os Apoſtolorum* cognominâſſet, ſubjungit: *Propterea & Paulus eum præter alios viſurus aſcendit*; quia, nempe, ex donis perſonalibus, exiſtimatione primus eſſet. Nam authoritatem & poteſtatem muneris quod attinet, Chryſoſtomum Petrum ſupremum & ſubalternatos alios non duxiſſe, luculentum teſtimonium eſt quòd idem, ex profeſſo locum Pauli exponens, notat: Inde enim patet Paulum non obedientiâ ſuperiori debita, ſed libera voluntate (ex hujus authoris ſententia) viſiſſe Petrum. *Quid hoc animo*, inquit, *poſſit eſſe MODESTIVS? Poſt tanta taliaq; benefacta, quùm NIHIL OPVS HABERET Petro, nec illius egeret voce, ſed HONORE par eſſet ille, nihil enim HIC dicam AMPLIVS: tamen aſcendit ve-*

lut ad majorem ac ſeniorem, ſolusq; Petri conſpectus commovit illum ut eò proficiſceretur.

Quis modeſtiæ tribuat debitam inferioris erga ſuperiorem reverentiam? verùm ſiquis *bonore par* erga æqualem ſuum *veluti* in *majorem* ſe gerat; quemadmodum Paulus præcipit fidelibus ut *nihil agant per contentionem*, aut *per inanem gloriam, ſed ex ANIMI SVBMISSIONE alii alios exiſtiment ſibi præcellere*: tum, certè, ejus viri laudatur *modeſtia* & *animi ſubmiſſio*, vel maximè eo nomine quòd *bonore par* cum ſit veluti præcellenti honorem exhibet.

Phil. II. 3.

Sic ſanè, cæteris Apoſtolis dignitate & authoritate par Paulus, qui *nihil opus habuit Petro*, (nullam igitur ad eum dependentiam,) tamen, ex ſubmiſſione illa animi quam aliis præcepit, quemvis collegarum ſuorum ſe majorem duxit. *Ego*, inquit, *ſum MINIMVS Apoſtolorum, qui non ſum dignus vocari Apoſtolus, propterea quod perſequutus ſum Eccleſiam Dei.* Cæterùm ubi reſiſtendam erat adverſariis qui Apoſtolatus ejus authoritatem elevabant, ut ejuſdem doctrinæ detraherent, ſe aliis omni ex parte parem facere non dubitat. Quinetiam, poſt labores immenſos, & divinæ benedictionis in ædificanda Eccleſia admenſum canonem, neceſſitate adactus, ſe hac in parte omnibus præfert; hac tamen correctione addita, *ut imprudens loquor*, quia quod ex modeſtia ſilentio premere maluiſſet, extorquebat importuna adverſariorum maledicentia. Itaque & actio hæc Pauli erga Petrum, cum ſuis circumſtantiis & hiſtoriæ ſcopo Chryſoſtomique

1. Cor. XV. 9.

ſtomique obſervationibus, conſiderata, tam validè æqualitatem poteſtatis & authoritatis utriusque probat, quàm modeſtiam Pauli, qui æquali ſuo ut ſe majori honorem exhibuit, commendat.

De actione quinta conſideranda, Petro & Ioanne ab Apoſtolis miſſis, ex Act. cap. VIII.

PETRI & Joannis in Samariam miſſionem ſuo ordine non notavimus, quia eas actiones quas adverſarii ſibi uſui eſſe putant, & quocumque modo ad ſuæ ſententiæ probationem trahunt præmittenda duximus. Verùm cùm ex eorum attenta conſideratione, non tantùm nihil è re Pontificiorum iis ineſſe, ſed etiam ex iis veritatem cui adhæremus clarè confirmari demonſtratum ſit, fuerint ſanè nobis, pro numero ſectionum quibus pertractatæ ſunt, expoſita argumenta; ſi eam tamen excipias quæ Ananiæ & Sapphiræ mortem concernit, ut nobis minimè officientem, ſic nec ad ſententiam in hac quæſtione noſtram facientem. Itaque quam quinto loco inveſtigamus actionem, quartum ordine exemplum praxeôs Apoſtolorum, Dominicæ inſtitutioni ſupra expoſitæ conformis, cenſeatur.

Plurimi, Samariæ, prædicatione Philippi Diaconi, & ſignis operâ ejus editis, converſi fuêre. *Quum autem audiviſſent Apoſtoli qui erant Hieroſolymis, Samariam recepiſſe ſermonem Dei,* MISERVNT *ad eos* PETRVM *& Ioannem,* *Act. VIII. 14.*

Hîc ſi axioma Chriſti Domini applicemus, *Non eſſe legatum*, ſive eum qui mittitur, *majorem mittente ipſum*; ſequitur neceſſariò Petrum mittentibus ipſum Apoſtolis non fuiſſe majorem; nec in eorum collegium, cujus & ipſe erat, ſupremi nomine authoritatem habuiſſe; utcumq; donis & prærogativis perſonalibus, cuivis eorundem præferri potuerit.

Ioh an. 13.17.

Inde igitur noſtra, de præſtantia & præminentia poteſtatis & authoritatis ex munere & officio, quæſtio dirimi poteſt: Nam ex comparatione mittentis majoris, ad miſſum minorem ſeu inferiorem, propriè de hujus generis magnitudine ſive præſtantia fit judicium. Siquidem mittere actus eſt poteſtatis in miſſum authoritate minorem vel inferiorẽ, quem alioqui dotibus ingenii & ſapientiæ ſupra mittentem excellere nihil prohibet. Non poteſt Rex à ſubditis, nec ſummus judex à ſibi ſubalternatis, mitti: Sed eloquentiorem, & rerum uſu longè prudentiorem, ab eo qui authoritate tantùm præcellit amandari ſolenne eſt. Sic Petrus mittentibus, collectivè & ut corpus conſideratis, authoritate inferior erat, nulli verò ſeparatim conſiderato non par, & dotibus perſonalibus multis fortè omnibus ſuperior.

Chryſoſt. in Ep. ad Gal. cap. 2.

Gal. II. 11.

Quod excipiunt adverſarii, ridiculum eſt. Somniant (nullâ enim vel leviſſimâ conjecturâ ſtatuunt) Apoſtolos Petrum rogâſſe, eumq; ſupplicibus ipſorum precibus annuere non eſſe dedignatum. Sed orare quempiam ut eat non eſt mittere; ut nec ſuppliciter petere ut faciat

ciat mandare eſt. Conſulem, item, à Senatu mitti, aiunt, incongruum non eſt. Et Senatus, inquam, Conſule major eſt. Deinde eadem actione miſſus eſt Petrus quâ Ioannes; Ioannis autem delegatio non ſupplicatione rogantium, ſed ex authoritate decernentium commiſſione facta eſt.

De actione ſexta conſideranda, Petri & Paulo correptione facta, & ab eodem deſcripta in Epiſt. ad Gal. cap. II.

PERGENS Paulus capite II. Epiſt. ad Gal. in ſuo vocationem divinam, & Evangelium non ab hominibus acceptum, aſſerendi inſtituto; ſic adversùs Apoſtolatûs ſui contemptores authoritatem ſibi divinitûs conceſſam tuetur, ut (quemadmodùm in eum locum notat Chryſoſtomus) *ſe cæteris honore parem oſtendat, nec ſe reliquis illis, ſed ipſi ſummo comparet, declarans quod horum unuſquiſque PAREM ſortitus ſit DIGNITATEM. Ac Petri,* ait idem author, *ſolius meminit; ubi ſe cogitur cum illis conferre.* Chryſoſt. in Ep ad Gal. cap. 2.

Et illi quidem ſummo, *exiſtimatione* ſcilicet, non *dignitate* quâ *pares* habuit, *quum Antiochiam veniſſet, in os obſtitit, eò quòd eſſet condemnandus. Et quum vidiſſem,* ait ipſe, *eos* (Petrum & Barnabam) *non rectò pede inſedere, ut veritati Evangelii congrueбat, dixi Petro coram omnibus, Si tu, &c.* Ejus facti narratione ſe dignitate Petro parem voluit Paulus demonſtrare. Quidni igitur & nos idem inde inferamus; tum etiam Petrum non fuiſſe ſupremum cui obſtare nullus potuerit, Gal. II. 11.

ob poteſtatem quam ipſe in omnes, in eum verò nullus, haberet?

Stap. prin. doct lib. 6. cap. 4.

Stapletonus reſpondet, *Paulum corripuiſſe Petrum ex humanitate, non authoritate; & ceſſiſſe illum modeſtiâ non ex officio:* Sic Apoſtolo illudens ab eoque dicta ut ad ſcopum non collineantia eludens. Nam cum ſuum Apoſtolatum, ex quo ab iis qui in exiſtimatione erant nihil differebat, aſſerere vellet, Petrum elegit cui ſe compararet, hancque ideò in eum actionem memorat. Jam verò ſi ex Stapletoni mente hanc narrationis Paulinæ paraphraſin inſtituamus: *Ego Petrum corripui ex humanitate, non ex authoritate; ille verò ceſſit quia ſic voluit ex modeſtia, non quòd ex officio debuerit:* Si ſic inſtituatur, inquam, quid ad ſcopum Pauli elicere poſſis? Sic enim vel ruſticus Regi ipſi obſtare, ille etiam eadem ratione cedere queat.

Thomas Aquinas agnoſcit Pauli factum *excedere fraternæ correctionis modum*, ejus ſcilicet, *quæ ab inferioribus debetur Prælatis; Quia coram multitudine factum eſt.* Aut igitur Paulus officii ſui limites exceſſit, quod Porphyrius Chriſtiani nominis hoſtis, referente Hieronymo, aſſerebat, aut, certè, Paulus, & cæteri Apoſtoli, non habuerunt Petrum ſibi ſuperiorem & prælatum, quod adfirmamus.

CAP.

Digitized by Google

CAPUT XI.

Adventitiarum & accidentalium prærogativarum Petri, aliorúmque, conſideratio; quod inde judicium faciendum: quomodo Patres inter Petrum & Paulum comparationem inſtituant.

HACTENUS Scripturæ locos quos ſententiæ ſuæ firmamenta eſſe adverſarii falsò gloriantur, manibus ipſorum vî veritatis extorſimus: Nunc reliquum eſt ut de adventitiis & accidentalibus prærogativis, quis ſi non ut baſin quidem ædificio ſubſternunt, tamen ut ſuſtentacula adhibere ſolent, aliquid dicamus. Nam hujuſmodi multa illi, tanquam ſuæ cauſæ ſubſidia, ſtudiosè conquirunt, ut ejus generis obſervationum multitudine lectorum mentes inclinent, vel etiam obruant; cùm alioqui firmis probationibus ejus quod in quæſtione eſt, ſe deſtitutos ſentiant.

Quia, igitur, quę non proſunt ſingula, multa juvare putant, quidquid notabile eximium, aut laudãdum in dictis, factis, vel nominibus & actionibus Petri in Scripturis occurrit, accidentia, item, varia & eventus, ad ingentem cumulum coacervant. Huic operæ Bellarminus duodecim capita primi libri de Pontifice, initio facto à XVII. integra inſumit.

Digitized by Google

I. Hæc adverſùs, primò conſideranda ſunt quæ hujus partis primæ cap. vj. notavimus. Ibi enim diſtinximus *præcellentiam muneris* ab ea quæ eſt *donorum perſonalium*, & variorum in laboribus & eventibus accidentiam; quæ omnia & ſingula judicio quidem, ad æſtimationem perſonalem, argumenta ſuppeditant; ad munus verò & officium, vel ejuſdem authoritatem, non attinent. Atque adeò certum eſt eos qui, in quæſtione authoritatis & officii, illa multo labore coacervata proferunt, perinde facere ac ſi, quando agri quædam portio digito monſtranda eſt, ingens oſtendas pelagus, cujus immenſa ſpatia terræ pedem non efficiunt.

II. Quinetiam, ſi earum prærogativarum, quatenus ad æſtimationem illam præcellentiæ perſonalis faciunt, ratio ineatur; aut communes ſunt quibuſdam, vel, certè, Petro particulares. Si communes, ut inditum cognomen, & transfigurationem Domini in monte vidiſſe, (quod Jacobo & Joanni, quibus impoſitum eſt nomen *Boanerges*, hoc eſt filiorũ tonitrui, & qui, unà cum Simone, in monte ſancto fuêre,) tum prærogativæ ſunt eorum unius, tantùm comparatione aliorum quibus eadem non contigerunt,

III. Si verò particulares fuerint, poſſint etiam ex adverſo infirmitates eidem peculiares, vel exiſtimationi derogantia accidentia obſervari, quorum comparatione & compenſatione factâ, iiſdem parũ admodùm, aut nihil ſuperſit quo ſuperetur ii quibus nec ad exiſtimationem facientia ipſa, nec eidem derogantia alia contigerunt.

Sic

Sic Petro ſoli contigit ambulare ſuper aquas; ſed & idem ſolus tum timuit & cœpit demergi, audivitque: *Exiguæ fidei, quare dubitâſti?* Is ipſe cùm alios fidei confeſſione, motu à carne & ſanguine minimè procedente, anteiviſſet, ſuam laudem retulit, eoque affectus honore fuit ut, quemadmodùm unus pro cæteris reſponderat, etiam promiſſa quorum veritas ad omnes pertinebat, illi uni pro omnibus, tum temporis, directa fuerint. At cùm, paulò poſt, carnis conſilium Domino, ex non rectè ordinato affectu, præbere properâſſet, eumque à vocatione ſua, imprudens, avocare tentâſſet; Etiam ſolus adeò acriter correptus eſt, ut diſcipulorum electorum nullum æquè unquam depreſſum legamus: *Abſcede à me Satana*, ait illi Dominus; *offendiculo es mihi*. Idem cæteris vehementior, & zelo fervidior, omnium graviſſimè, ter negando, lapſus eſt. *Matt. XIV. 29.* *Matt. XVI. 16. 17. 18. & 23.*

IV. Sunt & peculiares prærogativæ quibus aliæ, alteri cuipiam propriæ, ſi comparatio ineatur, minimè cedant. Sic Petrus, cùm unà cum Joanne currens ad monumentum veniſſet, primus introivit in monumentum, & lintea conſpexit. Sed Joannes qui præcurrerat citiùs, nec *exercitio corporali ad pauca utili* multum promoverat; credidit primus & promptior fuit fide, quæ eſt *pietatis ad omnia utilis*. Petrus itaque primus vidit lintea in quibus fuerat anteà theſaurus; ſed Joannes oculos manumque fidei in ipſum immiſerat theſaurum. Petrus itidem in mare proſiliit, deſiderio occurſus Domini quem videbat in littore: Sed Joannes pri- *1. Tim. IV.* *Ioan. XX. 4. 6. 8.* *Ioan. XXI. 7.*

muſ agnoverat eum, & Petro dixerat, *Dominus eſt.* Petrus, primus vocatus, plus cæteris undecim, fortè, laboravit: Sed Paulus, poſtremus vocatus, *plus omnibus*, certè, *laboravit.* Petrus, Jacobus, & Joannes, viderunt gloriam Chriſti in monte: Sed Paulus *raptus eſt in paradiſum, & audivit ineffabilia verba.* Si miraculorum autem ineatur comparatio, cum *umbra Petri* conferenda erunt *ſudaria Pauli.*

1.Cor. XV. 10.

2.Cor. XII. 1. 4.

Act. V. 15. & XIX. 12.

V. Porrò, ad favorem Domini & propenſionem quandam ſingularem quod attinet, haud ſcio an quidquam in Petro, alióve, prærogativis Joannis æquiparari poſſit. Is enim erat diſcipulus *recumbens in ſinu Domini, quem diligebat, cui innuit Simon Petrus ut percontaretur quis eſſet de quo dixerat.* Et fuit in eo actu Joannes *os Petri.* Hic etiam diſcipulus, quum Petrus negabat & fugerant alii, Dominum continuo ſequutus eſt, ſtetit juxta crucem & oculatus fuit teſtis eorum quæ ſigillatim paſſus eſt Chriſtus. Huic è cruce pendens filius Dei matrem ſuam ut illius propriam, eundemque matri ut proprium filium, commendavit.

Ioan. XXI. 20. & XIII. 24.

Ioan. XIX. 28.

VI. Quia vero, ad exiſtimationis judiciũ hæc diligenter obſervanda ſunt, omniáque exactè, conſideranda, & abſolutè, relatè, conjunctim, ſeparatim, conferenda inter ſe & appendenda, non exigua eſt in colligenda ſumma difficultas: Atque adeo, ùtcúmque rectò ſubducere ſibi homines videantur, facilè ſubeſt calculi error reviſionem poſtulans. Et re vera in multis ejuſmodi longè ſecus erit in oculis ejus quem nihil latet, quique nullo adhi-

adhibito labore cognoſcit, & ſine difficultate judicat, ſemper in veritate. Mortales vero, judicio varii, erroribus obnoxii ſunt, & ſtudiis in partes inclinant.

Eximius ille Chriſti athleta Paulus, quam ſæpè judicia hominum parum æqua paſſus eſt? Præcipuè vero in comparatione ejus cum aliis. Nam & de ſibi facta injuria pluribus locis conqueri, & comparationem aliter inire coactus eſt. Seculis autem ſequentibus, quandóque ipſum argumentum in quo toti erant ſcriptores quidam, temporis circumſtantiæ, animique commotio & ſtudia, eorundem judicia in partem alteram inclinârunt nimium; aliis tamen, & ipſiſmet alibi, rectiùs bilances librantibus, & quod peccatum erat corrigentibus.

Haud ſcio certè an Hieronymus, virginitatis quam ipſe non habebat, ſummus encomiaſtes, & matrimonio, cujus vinculo non fuerat adſtrictus, iniquior, hoc nomine, modum non exceſſerit in ea comparatione quam libro adverſus Jovinianum primo, inter Petrum & Joannem inſtituit.

Petrus, inquit, *Apoſtolus eſt, & Ioannes Apoſtolus: maritus, & virgo: Sed Petrus Apoſtolus tantùm; Ioannes & Apoſtolus & Evangeliſta & Propheta.* Item, *Expoſuit virginitas, quod nuptiæ ſcire non poterant.*

Sic Petrum ex matrimonio non tantum exponendis à Joanne propoſitis myſteriis minus aptum, ſed velut indignum cui revelarentur, præſupponit: Neq; enim alio impoſſibilitas illa

referri poteſt. Agnoſcet autem facilè æquus lector id judicium quod à ſtudio, vel etiam ſtomacho, profectum eſt, in Petrum & matrimonium vehementer iniquum eſſe.

Alii verò adeò ſibi Petrum laudandum aſſumpſêre, ut cùm quædam damnanda excuſare vellent, manifeſtè lapſi ſint.

Clem. Alex. hypogn. lib. 5. apud Euſeb. hiſt. lib. 1. cap. 12.

Quis nunc Clementis Alexandrini commentum quo, ut Petrum culpâ liberaret, uſus eſt, probare velit? *Cepham*, ſcilicet, *Antiochiæ à Paulo correptum, unum ex ſeptuaginta diſcipulis fuiſſe, cui idem erat cum Petro nomen.*

Hil. in Matt. can. 16.

Quis item Hilarii Pictavienſis, in hæc verba Domini ad Petrum, *Vade retro poſt me, Satana*, expoſitionem defendat? *Petro*, inquit, *ait Dominus, Vade retro poſt me, id eſt, exemplum ſe paſſionis ſequatur. In eum verò per quem hæc opinio ſuggerebatur converſus adjecit: Satana ſcandalum mihi es. Non enim convenit exiſtimari Petro Satanæ nomen & offenſionem ſcandali deputari, poſt illa indultæ & beatitudinis & poteſtatis tanta præconia.*

Id. can. 32.

Idē can. 32. in Matt. miris modis ſe torquet, ut negationis Petri ſi omnino abſtergere non poſſit maculam, ſaltem in eo leviter admodum peccâſſe demonſtret. *Diligenter*, inquit, *conſiderandum eſt quâ conditione Petrus negaverit. Nam primò ait non ſe intelligere quid diceret: ſecundò, non ſe ei adhæſiſſe: tertiò verò, ſe hominem non nôſſe. Et verè propè jam ſine piaculo hominem negabat quem Dei filium primus agnoverat: tamen quia infirmitate carnis VEL AMBIGVVS extitiſſet, amariſſimè flevit, &c.*

Ambr. Comment. in Luc. lib. 10. ca. 22.

Ambroſius verò, eandem ſerram reciprocans, Petri dicta laudat, & vel ab ambiguitate purgat.

Digitized by Google

purgat. *Numquid, ait, negavit cum Dei fuiſſe ſe filio? Hoc eſt dicere; Neſcio Galilæum: neſcio Nazarenum quem Dei filium novi. Habeant homines locorum vocabula, Dei filium patria non poteſt nuncupare, cujus majeſtatem locus nullus includit. Et ut ſcias hoc verum eſſe, etiam exemplo probatur. Nam alibi cùm interrogaret Dominus diſcipulos, quem, &c. Petrus ait: Tu es Chriſtus filius Dei vivi. Numquid & ibi negavit, quia Chriſtum non hominis filium, ſed Dei maluit confiteri? Certè quid hic putamus AMBIGUUM quod etiam Chriſtus probavit?* Item, *Benè negavit hominem quem ſciebat Deum.* Tandem ſic concludit: *Error Petri, doctrina juſtorum eſt, & titubatio Petri, omnium petra eſt.*

Hæc ille quidem. Sed Hieronymus, hoc loco, in æquilibrio lancibus poſitis, affectibus abreptos, ut par erat, acriter corripit. *Scio,* inquit, *quoſdam pii affectûs erga Apoſtolum Petrum, locum hunc ita interpretatos, ut dicerent Petrum non Deum negâſſe, ſed hominem: & eſſe ſenſum; Neſcio hominem quia ſcio Deum. Hoc quam FRIVOLUM ſit prudens lector intelligit; ſi defendunt Apoſtolum, ut Deum mendacii reum faciant. Si enim iſte non negavit; ergo mentitus eſt Dominus qui dixerat: Amen, &c.* Hieronymum ſequutus Theophylactus, defenſionem illam Petri ἀνόητον ἀπολογίαν vocat. *Hieron. in Matt. cap. XXVI.* *Theoph. in Luc. c. XXII.*

VII. Ad nos quidem quod attinet, ſi rectè res æſtimentur, noſtra nihil intereſt, in hac quidem controverſia, Petri laudentur an excuſentur facta vel dicta; neque ulla, ex ſententia noſtra, incumbit neceſſitas quæ eximia de Petro narrantur deprimendi, vel infirma & culpâ non carentia exaggeratione amplificandi. Utcumq;

enim in eo primatûs genere qui ex conſideratione perſonalium, & æſtimatione, dignoſcitur, primus omnium comperiatur aut reputetur, vel alio ordine cenſeatur; noſtra quidem de inſtitutione muneris quod fuerit paris dignitatis, integra & illibata manet ſententia. Tantùm illa duo quorum adeo differens ratio eſt, clarè diſtingui, diſtinctaque intelligi, noſtra refert.

Sed ea confundentes adverſarii, ſeriò triumphant: Et cum ſibi turri Babylonicæ ædificandæ lapides à Deo in Scripturarum lapicidinis non ſuppetere videant, inventionis humanæ lateres excoquunt. At cum linguarũ cõfuſione primi moliminis opus deſerere coacti fuerint homines: nunc qui poſtremo huic incumbũt, ſentẽtiarũ à veteribus ſcriptoribus propoſitarũ confuſione, earumque extra locum proprium coacervatione, idipſum promovere nituntur.

Patribus certè Petrum *principem*, vel primum, Apoſtolorum, eo quem expoſuimus ſenſu, dici non infrequens eſt: *Os* item ipſorum, quod communi nomine ſæpius loquutus comperiatur. Præeminentiam itidem accidentalem, ex perſonalibus, eidem inter duodecim tribuunt; ex qua *verticis* & *capitis* nomina in gratiam ejus uſurpârunt; quod, ſcilicet, eorum quibus idem munus demandatum erat, maximè notandus ipſis videretur. Nec inde nobis quicquam damni emergit.

Auguſt. in Ioan. tract. 124.

Unica Auguſtini ſentẽtia, quâ breviter & dilucidè quidquid in Petro notabile occurrebat, exprimere voluit, omnium veterũ, hac quidem in parte, ſenſum & mentẽ demonſtrare poteſt.

Quod

Quod ad ipſum [Petrum] *propriè pertinet*, inquit, *naturâ unus homo erat*; *gratiâ, unus Chriſtianus*; *abundantiore gratiâ, unus idemq; primus Apoſtolus.* Quæritur verò non quid ex naturâ, vel ex gratia communi, ſed quid ex abundantiori gratia Petrus fuerit? Hîc nullum ſolitarium & peculiare munus, ſed duodecim commune, duntaxat, Apoſtolatûs memoratur officium. Verùm ex donorum Petri perſonalium & laborum ejus conſideratione, judicij æſtimatione factâ, primus inter collegas, & ejuſdem poteſtatis conſortes locatur & cenſetur.

VIII. Nec deſunt tamẽ ex Patribus qui Ioannem Petro ſocium adhibentes, ambos ſimul in hoc genere decem reliquis præferant. Gregorius Nazianzenus, quod Petro contingit ſermonem Chriſti Matth. XVI. capite comprehenſum dirigi, cum amore ſingulari quo Ioannem proſequutus eſt Dominus, ut æqui ponderis, confert & expendit, neutrumque præferens, cæteros omnes duobus illis, judicio ſuo, poſtponit. *Vides*, inquit, *quemadmodum ex Chriſti diſcipulis, magnis utiq; omnibus & excelſis atque electione dignis, hic petra vocetur, atque Eccleſiæ fundamenta fidei ſuæ credita habeat*, (nempe peculiari attributorum κοινώσει.) *illẹ impenſiùs ametur, & ſupra pectus Ieſu requieſcat*; *ac reliqui diſcipuli poſthaberi ſe tranquillo animo ferunt.* Sic duo illi duarum prærogativarum nomine, quarum quiſque ſuam habebat, cæteris præferuntur. Et ibi inſignem Bellarmini fallaciam animadvertas licet. Is cùm de cæterorum Apoſtolorum undecim tali poſthabitione quâ Petro authoritate inferiores eſſent, diſpu-

Greg. Naz. orat. de mod. in diſp. ſeru.

Bell. de Pont. lib. 1. cap. 25.

O

Digitized by Google

taret, ſuo propoſito Naziãzeni dictum ſic aptat ut poſthabitionem illam unius Petri, duntaxat, reſpectu memoratam referat. Ideò poſt illa verba, *fundamenta fidei ſuæ credita haberet*, immediatè ſubjungit, *Ac reliqui diſcipuli ſe poſt haberi, &c.* Sic callidè quæ de Ioanne inſerta erant delens; quia cùm Ioannem poteſtate cæteris prælatum nemo dixerit, ex ejus mentione poſthabitionem illam, eique oppoſitam prælationem, ad aliud genus determinari videbat.

Certè, ex orationis Nazianzeni ſerie, conſtat accidentium & particularium actuum in queis varias Dominus electiones fecit, eum habuiſſe rationem. Cùm enim ejuſmodi accidentia proponere pergeret, meminit aſſumptionis *Petri, Ioannis & Iacobi* ex qua, in montem cum Domino aſcendentes, transfigurationis ejus teſtes facti ſunt; illius item, quâ, ut Chriſto *paulò ante paſſionem preces fundenti adeſſent, adſciti fuére. Atque*, inquit, *hæc Chriſti PRAELATIO & ELECTIO fuit.* Nõ, ſanè, muneris deſtinati & permanentis officij juriſdictionem inferẽtis, ſed actualis, in facto trãſeunte, cujuſdam præ cæteris aſſumpti *electio & prælatio.* Sic Petrus ex occaſione ſuæ reſponſionis eam à Chriſto prælationem & electionem ſortitus eſt, quâ in actu promiſſionis clavium, Eccleſiæ totius perſonam gereret, eámque in epitome & capite repræſentaret, ut ſic illa una monſtraretur. Nam communis Apoſtolatûs jure integro remanente, ex *diſcipulis magnis utique omnibus & electione dignis*, ut ait Nazianzenus, in ejuſmodi occaſionibus, Domino quoſdã præferre viſũ eſt.

IX. Ita quidem habet Patrum, in comparatione

tione duodecim Apoſtolorū inter ſe, judicium. At de Paulo cum cæteris collato, certè variant ſententiæ, nec ex parte Petri cumulatas prærogativas præponderare definiverunt.

Irenæo id negotij fuit, lib. 3. contra hęreſ. cap. 13. ut Gnoſticos *ſolum Paulum veritatem cognoviſſe* aſſerentes refelleret. Et hîc locus erat exponendi quibus & quot modis, ſi fortè, ſuperior eſſet Petrus Paulo; præſertim influxu illo capitis in omnia membra, Paulumque adeò ipſum; & non defecturæ vel in ſucceſſoribus, veræ fidei puræque rerum divinarum cognitionis privilegio. Verùm ſatis habuit demonſtrare *Petrum fuiſſe Apoſtolum ipſius Dei cujus & Paulus, & quem Petrus in circumciſione annuntiabat Deum & Dei filium, hunc & Paulum in Gentibus: Neque ut ſolum Paulum ſalvaret veniſſe Dominum.* Nulla igitur in parte Petrum Paulo ſuperiorem duxiſſe ſe prodit, qui ubi maximè opus fuiſſet, inæqualitatē nullam in Paulo cum Petro collato notavit. De iiſdem Ambroſius loquitur. *Nec Paulus* INFERIOR *Petro, quamvis ille Eccleſiæ fundamentum, & hic ſapiens architectus ſciens veſtigia credentium fundare populorum. Nec Paulus, inquam indignus Apoſtolorum collegio, cum* PRIMO *quoq;* FACILE *conſerendus &* NVLLI SECVNDVS. *Nam qui ſe imparem neſcit facit æqualem.* Quid eſt quod ad æqualitatē exprimendam adjici queat? *Non inferior,* ait, *Petro, nulli ſecundus, cum primo quoq;, & facilè, conferendus*; ſic & judicandi difficultatem, ad æqualitatem illam quod attinet, removens. *Ambroſ. lib. 2. de Sp. ſancti*

Aliis quidem Apoſtolis Doctor ille facilè præfert Petrum. At ubi ad Paulum venitur, ſecus pronuntiat, ut etiam alibi videre eſt. Ergo, *Ambr. ſerm. 66. de Natal. Petr. & Paul.*

tion

inquit, *beatus Petrus & Paulus eminent inter univerſos Apoſtolos, & peculiari quadã prærogativâ præcellunt. Verùm inter ipſos quis cui præponatur* INCERTVM EST.

Leo, de Natal. Petr. & Paul. ſerm. 1. Leo, item, Epiſcopus Romanus, de iiſdem hæc enuntiat: *Quos gratia Dei in tantum apicem inter omnia Eccleſiæ membra provexit, ut eos in corpore cui caput eſt Chriſtus, quaſi geminum conſtitueret lumen oculorum.* Item, *Illos electio* PARES *& labor ſimiles & finis fecit* AEQVALES.

Epiſcopo illi Romano alij adjungi poſſunt, ejuſdem ſententiæ, Ioannes VIII. & Nicolaus I. qui ambos *APOSTOLORVM PRINCIPES* vocant, ex quo conſtat, judicio eorumdem, æquales fuiſſe; & *principis* nomen dominatum vel monarchiam, quam Paulo nemo tribuat, illis non adſignificâſſe.

Orig. contr. Celſ. lib. 1. Origenes, verò, magis in partem Pauli inclinat, qui eum *PRAECIPVVM poſt Chriſtum Eccleſiarum fundatorem* vocat; ſic Petrum & cæteros illi poſtponens.

Aug. in Pſal. 130. Ac ne forte Origenis ingenium erroribus obnoxium, hac etiam in parte ſuſpectum ſit; moderatiſſimi, etiam, ingenij Auguſtinus nihil eo minus in gratiam Pauli ſcripſit. *Paulus*, ait, *Apoſtolus, quamvis ex perſecutore factus ſit prædicator, ABVNDANTIOREM gratiam conſecutus eſt in OMNI labore Apoſtolico, quàm cæteri Apoſtoli.* Fundatio verò laboris Apoſtolici pars præcipua cùm ſit, etiam in ea abundantiorem gratiam conſecutum, fundatorem præcipuum fuiſſe neceſſe eſt.

Gregorius verò Nazianzenus, cùm Petri & Pauli meminiſſet, *ut magnorum Chriſti diſcipulorum, qui divino munere hoc conſecuti ſunt, ut rebus & verbis*

gregem

commiſſum gubernarent, paulò poſt ſubjungit: *Ac quoniam Pauli eiuſq; AEQVALIVM mentionem fecimus, relictis ſi ita videtur, omnibus aliis qui populi antiſtites creati ſunt, velut Moſes, Aaron, agmen Prophetarum, duodecim Apoſtoli, &c. his, inquam, omnibus prætermiſſis, Paulum VNVM proferamus, atque in eo quanta quámq; ardua ſit animarum cura conſideremus.* Certè qui aliis prætermiſſis unum profert, eundem etiam præfert, & quum è multis unus eligitur, inſignior & dotibus præſtantior judicatur.

Quia verò Ioannes Chryſoſtomus, qui elato & ubere, ne dicam tumido ſtylo, ſummis effert præconiis quemcumque laudandum aſſumit, inſignis etiam Petri encomiaſtes eſt: Ejus multa congerunt adverſarij dicta, quæ ſola & per ſe conſiderata, neque cum ejuſdem de Paulo enũtiatis collata, palmam Petro præ aliis omnibus Apoſtolis tribuere videãtur. At ſi quæ pro utroque ex ejus ſcriptis colligi poſſent, æquâ lance appendãtur, ex parte Pauli prolata ſuperabunt.

I. Petrum certè frequenter *os Apoſtolorum indigitat*, ea nempe quam diximus ratione, quæ Paulum Apoſtolorum collegio nondum aſcitum, quum actionibus variis hũc ſibi titulum Petrus compararet, neutiquam ſpectabat. Verùm idem Paulo longè honorificentius tribuit nomen, quum *os Chriſti* vocat. *Chryſ. lib. 2. de pœnit. cap. 7.*

II. Petrum, etiam, non ſemel *fundamentum Eccleſiæ* nuncupat: Sed ejuſdem ſignificationis titulum, multis auctum corollariis, Paulo tribuit. *Erat*, inquit, *Eccleſiæ columna, idem ferro & petrâ firmior, idem ſpiritualis ille adamas; idẽ infinitis civitatibus ſufficiens, quo pacto alieni auxilij indigens eſſe poſſit?* *Id. in Ep. ad Rom. hom. 2.*

III. Petrum, item, *Coryphæum* dicit, hom. 29. Ep. ad Rom. Et Paulum etiam antea homil. 18. in eandem epiſtolam, eo nomine inſigniverat.

IV. Petro, homil. in eand. Ep. 26. *Eccleſiam commiſſam* ſcripſit: *Paulum*, autem, *electum à Deo cui res orbis & myſteria omnia, & diſpenſationem uniuerſam concederet*, homil. ultimâ dicit.

Id. lib. de ſacerd. non longè ab init.

V. *Amor Petri* veteribus, huic præſertim, multum laudatur. At de Paulo ipſe: *Tantùm dilexit Chriſtum ut eum nemo dilexerit vehementiùs.*

hom. 29.

VI. Siquis verò volet omnibus poſt Chriſtum hominibus quẽpiam lõgè preferre, nihil his quę ab hoc authore, variis in epiſtolas homiliis in gratiã Pauli declamata ſunt, adjicere queat. *Paulus*, ait, *qui nos cõgregavit & univerſum orbem illuſtravit*. Itẽ homil. 8. de laudibus Pauli, *Alter eſt Iacob, tanquam pro unico grege totius orbis vigilans; alter Moſes, qui gentes à tyrannide Diaboli reduxit; Alter Aaron, ſanctus ſacerdos populi orbis univerſi.* Homil. item 25. in 2. ad Cor. cap. 11. *Qui non unius domûs, ſed civitatum, populorum ac gentium, & totius orbis, curam gerit; & pro tantis negotiis, & tot invalentibus, ſolus exiſtens, ac tanta ferens, & tam ſollicitus ut pater pro filiis, cogita quid ſuſtinuerit?* Item, *Quaſi unam domum, vel unam navem, totum orbem gubernans, nautis imperans, in puppi ſedens, proram obſervans, rudentes extendens, remum apprehendens, velum trahens, in cœlum ſuſpiciens, omnia ipſe exiſtens, & nauta, & gubernator, & proræ director, & velum, & navem & omnia ferens, ut omnium mala ſolvat.* Itẽ, *Paulus ſolus inter barbaros, inter gentes, ubiq; terrarum, ubique marium apparebat & invictus manebat.* Et paulò poſt. *Sicut athleta quidam, ipſe luctans, currens, & pugilem agens, vel miles muros oppugnans; in campo prælians,*

lians, & in navibus belligerans: ita omne pugnæ genus tractabat, & ignem inſpirabat, & omnibus inacceſſus erat, uno corpore orbem comprehendens, unâ linguâ omnes evertens.

An non laudum plus ſatis? Quis Pontificiorum gloriationem ferat, ſi tot tantaque illis de Petro, & ſolo, ut hîc de Paulo, dicta proferre promptum eſſet? Nunc certè conſtat cur Chryſoſtomus, quum in epiſt. ad Gal. ca. 2. ſcripſiſſet, *Paulum voce Petri opus non habuiſſe & honore parē fuiſſe*, adjecit, *Nihil enim* HIC *dicam ampliùs.* Nempe ALIBI, ubi ſupra, illud amplius expreſſerat quod *ibi* exponere noluit, ut ex producta à nobis Rhetorica patet. Et fateor modum eam excedere. Nam quum Paulum ſolū ubique marium, ubique terrarum reſiſtentem & præliantem, & orbem corpore comprehendentem facit; & collegarum ejus, qui, utcumq; ille plus cæteris laboraverit, gnaviter tamen officio functi ſunt, & ipſum hominem fuiſſe, videtur oblitus.

CAPVT XII.

De attributis ſponſi Eccleſiæ, & ſummi Sacerdotis, vel Pontificis Chriſtianorum: alteri à Chriſto niſi per blaſphemiam tribui non poſſe.

QVOSCVMQVE elationis exorbitantis Eccleſia Romana ſuo nunc Papæ, ut qui anteà Petro convenerint tribuit titulos, in illa in Eccleſiam univerſam poteſtate ſuprema; quam ex verbi divini authoritate & antiqui-

tatis teſtimoniis deſtruximus, hoc eſt in arena, fundantur. Quapropter non prolixiorem nobis inſtituendam ducimus diſputationem de cæteris vocabulis, nominibus, & loquendi formulis, quibus adverſarij idipſum enũtiare velint quod hactenus, præcipui nominis Pontificiorum verbis expreſſum, diſcuſſimus.

Quos tamen in articulis ex Romanenſium libris excerptis, ultimo loco, duos annotavimus titulos, tanti ſunt momenti ut, pro hujus partis colophone, breviter de iis tractari ſuperfluum minimè futurum ſit. Sic enim erroribus craſſis, in quibus refellendis præcedentibus capitibus laboravimus, inſuper horrendas blaſphemias adverſarios addere patefiet.

Bell. de Pont. lib. 2. cap. 21. Concilium Lugdunenſe quod generale fuiſſe dicunt, & Cimmeriarum tenebrarum tempore coactũ eſt, Papam *Eccleſiæ ſponſum* ſalutavit; quod notat Bellarminus, inde cauſæ ſuæ patrocinium quærens. Sic abyſſus abyſſum vocat; dúmque ſuos errores ejerare convicti detrectant adverſarij, eò inſaniæ prorumpunt ut adversùm ſe zelotypiam Chriſti movere videantur adfectare. Ut enim ſponſi qualitas plus præſupponit amoris in ſponſam Eccleſiam; ſic ejus reſpectu propriè zelotypia in alios eandem ſponſam ſibi aptare cupientes, vel ſic affecto auxiliantes, exardeſcit. Nam quomodo is qui amore in columbam ſuam vehementiſſimo nõ tantùm *æger* fuit, *Cantic. II. 14.* *Eph. V. 25. 26.* ſed *ita dilexit Eccleſiam ut ſe ipſum pro ea tradiderit, ut eam ſanctificaret lavacro aquæ, per verbum, & ſibi ſiſteret ipſam glorioſam*; quomodo, inquam ille abſque zelotypiæ ardore alium huic dilectæ ſponſæ aſſignari

ſignari maritum vel ſponſum videat? Nec verò πολύγαμος eſt illa ſimplex columba, ut alium, qui ipſam habeat, admittat ſponſum.

Qui habet ſponſam ſponſus eſt, (aiebat Ioannes Baptiſta:) *Amicus autem ſponſi qui ſtat & audit eum, gaudio gaudet propter vocem ſponſi, hoc ergo gaudium meum impletum eſt*. Eximius igitur ille Propheta, & plus quàm Propheta, ſatis ſe habere duxit quod amicus ſponſi eſſet, & illi famulando ſtaret. Sed hodiernæ Romę ita ſunt mores, ut ſponſę amaſium ſponſi amico præferat. *Ioan. III 29.*

Verè amicus ſponſi, non hoſtis corruptor ſponſæ, ut Romanus ψευδώνυμος) fuit Paulus, verè ipſi famulaturus aſtans, quum pro Domino, duntaxat, zelotypus eſſet. *Vos*, ait Corinthiis, *affecto æmulatione Dei. Adaptari enim vos quos VNI VIRO, ut virginem puram ſiſtam*, nempe *Chriſto. Vnus* eſt igitur Eccleſiæ *vir* Chriſtus, non Petrus Fidelium ſanè famulorum divinus zelus adfectat ut uni illi viro Eccleſia ſiſtatur: Adverſariorum verò fervor pro Pontifici ſuo ſiſtenda Eccleſia pugnat. Et matrimonij quidem ſpiritualis *in Chriſtum & Eccleſiam magnum eſt myſterium* quod ſint *DVO in carnem unam*. Adverſariis igitur in gratiam tertij cujuſdam laborantibus, nónne adulterij procurandi propoſitum eſt? *2. Cor. XI. 2.* *Eph. V. 31. 32.*

Crimen, ſuo genere, apertum eſt; factum in particulari, ex reorum non modò confeſſione, ſed etiam gloriatione manifeſtum: Tum de ejuſcemodi facto crebra in Scriptura ſentẽtia. Quid hîc faciat *ſponſi miniſterialis* commentum? Uxores certè ancillas audivimus; maritos famulos, nequaquam. Nam & Hebræis eadem vox mari-

Digitized by Google

tum & dominum ſignificat. Itaque *miniſterialis mariti* novam appellationem qui rectè interpretari velit, ſcelus ejus famuli vel miniſtri qui erga Domini ſui uxorem officium mariti impleat eâ deſignatum intelligat neceſſe eſt.

Pari etiam impietate, ſub novo Teſtamento, ad alium à Chriſto hominem, *ſummi Sacerdotis*, vel *Pontificis* nomenclatura refertur.

Sanè, quia adverſarij Miſſaticum ſuum ſacerdotium, ut novi fœderis proprium, & cujus reſpectu omnes paſtores ſint Sacerdotes, comméti ſunt; ideò etiam eum qui ſummus eſſet Paſtor, qualem conſtitutum fuiſſe Petrum volunt, ſummum itidem dici poſſe, & eſſe re vera, Sacerdotem vel Pontificem definiunt. At ſupremi illius paſtoratûs faſtigium quod imaginantur depreſſimus. Quod verò præſupponunt ſacerdotium, tractatum peculiarem, ejuſdem ſacerdotij errori & horrori demonſtrando, poſtularet. Hîc animadvertere ſuffecerit adverſarios, Paſtoratûs ſupremi hactenus everſi & Miſſatici Sacerdotij duobus ingredientibus, ad efformationem alterius à Chriſto ſummi Pontificis ſimul junctis, compoſitum Chriſtianiſmi fundamentis directè oppoſitum facere: quaſi non alio tenderet papatus quàm ut Filio Dei Redemptori noſtro proprium nihil ſuperſit. Id verò ſequentes obſervationes videre volentibus manifeſtum clarè facturæ ſunt.

Heb. 3.1. I. Paulus in Epiſtola ad Hebræos *Chriſtum ſummum Pontificem noſtræ profeſſionis* vocat; nec ſub novo fœdere alius ullus ſic nominatur. Adverſarij nihilominùs, *de ſummo Pontifice* ex profeſſo tracta-

tractaturi, quod librorum titulis profitentur, de Petro tantum & præſumptis ejus ſucceſſoribus ſermonem inſtituunt; quæſtioneſque de Chriſto, ut non ejus loci, aliò referunt. Sic Bellarmino controverſia ſecunda, in qua de perſona & officiis filij Dei diſputat, *de Chriſto* inſcribitur: tertia verò quæ de Papæ authoritate inſtituta eſt, *de ſummo Pontifice* ſimpliciter titulum habet.

II. *Non ſibi quiſquam ſumit hunc honorem, ſed qui* **Heb. V.4.** *vocatur à Deo, ſicut & Aaron. Ita & Chriſtus non ipſe ſibi hunc honorem tribuit ut fieret Pontifex, ſed is qui dixit ei filius meus es tu, ego hodie genui te.* Si Petrus ita à Deo glorificatus eſt ut eum honorē obtinuerit, quam ſibi ſumere non potuit; legem igitur & ſtatutum Dei exhiberi neceſſe eſt.

III. Iam verò ſacerdotij conſtitutiones, ſive **Heb. VII.16. & 18.** leges, duæ ſunt. Prima, quam Paulus *legem præcepti carnalis* vocat, vel *legem*, ſimpliciter: Altera, eſt *potentia indiſſolubilis vitæ*, vel *ſermo juriſiurandi poſt legem*. Et *lex* quidem, prima illa nempe, *homines conſtituit Pontifices infirmitate laborantes:* at *ſermo juriſiurandi poſt legem* concepti, *filium conſtituit in æternum conſummatum.* Potuiſſet igitur Petrus homo infirmus primâ lege conſtitui Pontifex, niſi ex eâdem mandati carnalis conſtitutione, ad certam familiam ejus dignitatis jus reſtrictum fuiſſet. Verùm abolita & antiquata eſt illa lex, ut ſacerdotium ipſum; *mutato* enim *ſacerdotio, neceſſariò quoq; legis fit mutatio.* Alterâ verò lege indiſſolubilis **Ibid. v.12.** vitæ ſuccedente, Petrus, nec alius quiſquam homo infirmus, Pontifex conſtitui poteſt, ſed tantùm filius Dei. *Talis enim nos decebat Pontifex, ſanctus, ab omni malo alienus, ſine labe, ſeparatus à* **v. 26.**

Digitized by Google

peccatoribus, & ſublimior cœlis factus.

IV. Quod ſi Petrus, aut alius ejus conditionis ſucceſſor, Pontifex noſter eſſet, tum verè dici non poſſet, quod Apoſtolus ut indubitatæ veritatis axioma enuntiat: *Non habemus Pontificem qui non poſſit affici ſenſu infirmitatum noſtrarum, ſed tentatum in omnibus ſimiliter, ABSQVE PECCATO.* Siquidem Petro aut ejus conditionis alio Pontifice dato, haberemus tentatum peccato Pontificem.

Heb. IV. 15.

Hinc, ſanè, clarè arguuntur intolerandæ audaciæ miſeri homines, qui quod ſolius Dei eſt ſibi aſſumentes, ſui ſimiles pro arbitrio glorificare præſumpſerunt, honoremque filij Dei æternum conſecrati illis tribuere non dubitaverunt. Quod ſi alterius ab eo quem ex Apoſtoli documentis didicimus, Pontificatûs ſummi diſtinctione evadere velint, ejus legem & conſtitutionem divinam producãt manifeſtam neceſſe eſt. Nam ſponte errare & ſciẽs decipi volet qui, abjectis ſummi Dei certiſſimis & indubitatæ veritatis legibus à nobis conſideratis, & è Scriptura depromptis, humanis commentis mordicùs adhærebit, ultorem Deum proculdubio ſenſurus.

* * *

DEFEN-

DEFENSIONIS ECCLESIASTICÆ LIBERTATIS

Pars ſecunda,

De ſucceſſione Apoſtolorum, Petri ſpeciatim; quomodo iis ſuccedatur.

CAPVT I.

Succeſſionis duæ ſpecies primo loco diſtinguendæ, exponuntur.

QVANDOQVIDEM (quod dictur) non entis non ſunt accidentia; & ſuprematus ille unius, poſt Chriſtum, in univerſalem Eccleſiam, quem comminiſcuntur Pōtificij, imaginatione cōfictus, ex inſtitutione Chriſti, (ut falsò obtēdere adverſarios demonſtravimus hactenus) originem non ducit; eoque non ens eſt: Certè & accidentium nullam habet conſequentiam, nulla adjuncta. Quod, inquam, quia nuſquam eſt, initió caret, nec progreſſum habet continuationis, nec ſucceſſionem quæ rei continuatæ vel continuādæ ordo eſt. Nihilominùs tamen de ſucceſſione Apoſtolorum, & Petri nominatim, tractare inſtituimus; quid, & quibus ſucceſſoribus, traditum reliquerint diſquiſituri, ut omniū earum rerum indagine, illius

qui,ſucceſſionis Petri obtentu,abſolutã & multis circumſcriptam finibus ſibi tribuit authoritatem uſurpatio clariùs oculis omnium objecta ſit;utque ejuſdem defenſorum greſſibus quaquâ pergũt obſervatis,eorundem etiam lapsûs,quos ponè pręcipitiũ eſt,annotare diſtinctè queamus.

Quia verò,nihil adeò ſcientię inimicum eſt,ac confuſio;nihil item,quod confuſionem plus invehat homonymiâ & æquivocatione, quâ ſub una & eadem appellatione latè diſcrepãtia comprehenduntur; eſtque ſucceſſionis vocabulum maximè æquivocum: Primo diſtinguemus *ſucceſſionem propagationis & multiplicationis* ad originẽ ſuã relatæ; ex qua quid certâ ſerie & ordine cauſarum ſuccedẽtium ſoboleſcit,innaſcitur & ſuccreſcit: Et *ſucceſſionem ſubſtitutionis*, ſeu in locum vel vicem alterius tranſpoſitionis:Primæ terminus ad quẽ eſt ipſum eſſe,& exiſtentia rei ſecundûm quam ſucceditur: Secundæ verò,ejuſdem collocatio, vel in certũ locum, & partem quam alius anteà ſortitus ſit,vel occupaverit,conſtitutio paſſiva.Et illa,quidem,eſt ordinis cujuſdam ejus qui vivens & agens eſt,ad alium quem activitate ſuâ ſuſcitet,ad ſpeciei ſuæ individuorum, ex multiplicatione, propagationem. Hæc verò altera ſucceſſio,nullum ejus cui ſucceditur, per ſe,in ſuccedentem actum præſupponit, ſed tantùm eodem loco vel officio antea collocatum quo ſucceſſor conſtitutus eſt,neceſſariò requirit.

Primo quidem modo univerſi homines, ſucceſſione quadã & ſerie progenitorũ, ab Adamo, quẽ immediatè ad imaginẽ ſuam creavit Deus, generatione ſuſcitati,originem ducunt.Sic item

ex vitę

ex vite propagines, etſi non abſciſſæ, peculiares acturæ radices diffundi ſolent; vel etiam palmites abſcinduntur, quibus aliò plantatis, ſucceſſione quadam, ſpecies & ordo conſervetur.

Ejus rei imaginem quandam animadvertere erat in lampadibus quos quotidiè in tabernaculo, Levitæ præparabant; ſiquidem illæ igne è cœlo delapſo, quem nova appoſita materia concipiebat, ſucceſſione quadam accendebantur.

Et ejuſmodi quidē ſucceſſio in ſuccedente poſteriore, præcedentis à quo ſucceſſio vel ſuccenſio eſt, remotionem, ex ſe, non præſupponit, cùm unà ſubſiſtere poſſint. Quod ſi unum interire accidit, aliam ejus interitûs cauſam propriam eſſe neceſſe eſt. Si enim nō peccâſſet Adam, immortalis permāſurus erat, utcumq; alios omnes ejuſdē ſpeciei immediatè vel mediatè propagaturus.

Altera verò ſucceſſio, quam ſubſtitutionis diximus, ceſſationē vel remotionē ejus cui ſucceditur præſupponit. Exempli gratiâ, avulsâ, vel emortuâ vite, in ejus locum ſuccedit altera, quæ proximæ ſubſiſtentis propago eſſe poſſit; *ex qua* quidē, originis ſuæ & exiſtentiæ reſpectu, ſuccedat: *alteri* verò emortuæ, ratione loci ejuſdē. Nam pro diverſitate earū, cōmodè mutatur cōſtructio grāmatica, ut ratione primæ *ex aliquo, vel ab aliquo ſuccedi* dicatur; ſecūdæ verò reſpectu, *ſuccedi alicui*.

Eſt etiam apud homines lōgo confirmatū uſu, vt propter ſucceſſionē originis, vel ab ea manantem proximitatē, ſuccedat quis in locū vel vicē alterius defuncti. Sic habent hæreditariæ ſucceſſiones, quæ ſunt quidē poſtremi generis, ſed ſequūtur rationē primæ illius originem ſpectātis, propter quā defūctus vivum juris ſui actu com-

potem deceſſu ſuo facit. Hinc *jura ſucceſſiva dicuntur & ſucceſſione contingentia*; non ſimpliciter ideò quid, eorum ratione, in alterius vicem & locum alius ſubſtituatur: Nam & emptor in locum vẽditoris ſubrogatur. Sed quia habetur præcisè ratio ſucceſſionis originis, quæ juris in alium traducendi fundamentum eſt. Ideò etiam dignitates & prærogativæ ſucceſſivæ, ſive ſucceſſione hæreditariâ obveniẽtes, quales ſunt Regum noſtrorum, ab electivis ſeu electione contingentibus, ut Imperiale faſtigium, & quæ Regiæ coronæ dicuntur officia, diſcerni ſolent. Primi generis nuſquam vacãt; quia cùm proximus quiſque, eo ipſo, hoc eſt ratione originis ex qua proximus eſt, potẽtiam proximam habeat ad ſucceſſionem hęreditatis, illa potentia in actum reducitur pręcedentis actu ceſſante. Secundi verò generis, vacãt & quaſi interregni hiatum admittunt; donec electionis jus novum alium compotem faciat ejus quod morte præcedentis vacabat.

Nunc, ut ad Miniſtrorũ Eccleſiæ ſucceſſiones, & juris, ſeu poteſtatis Eccleſiaſticæ cõmunicandę ordinẽ hęc applicemus; pro diverſitate Teſtamentorũ, Veteris ſcilicet & Novi, etiã ſuccedẽdi ordo differt. Et ſummi quidẽ Sacerdotes, quos ſuperveniẽs mors permanere prohibebat, perinde ac Reges noſtri, jus ſuũ, à ſanguine proximo maſculinę originis ratione devolutũ reliquebãt. Aaronis item filij omnes majores præcipui erant Sacerdotes: reliqua omnia ſacrorum miniſteria minora, etiam ad gẽtem Leviticam pertinebant.

Ad miniſterium autem Eccleſiæ Chriſtianæ & novi fœderis, ſanguinis ratio nihil confert; nec ejus reſpectu jura ſucceſſione ſortiuntur

quibus

Digitized by Google

quibus munera ſacra contingunt. Electio & ordinatio ſola eſt ex qua munera Eccleſiaſtica, cum annexa poteſtate & authoritate, collata alicui competant.

Sic autem electionum ordo habet. Chriſtus, à Patre miſſus, Apoſtolos certo numero ſelegit, quos *prout Pater vivens miſerat ipſum*, primos Eccleſiis per totū orbē fundandis, ut architectos, miſit, Iis & alios diſcipulos adjecit, qui à primis illis directi, eorum nutu cuncta adminiſtrarent, & conſtituendis, vel recenter conſtitutis Eccleſiis confirmandis, operam collocarent; aut cuidam Eccleſiæ, ut eius Epiſcopi proprii, peculiariter addicti, aut *cum Apoſtolis perſeverantes*, eorum delegati eſſent, ut fuerunt Evangeliſtæ. Iis etiam ſimul poteſtas à Domino data, prout opus eſſet ad regnum cœlorum promovendum, de Eccleſiarum quarum intereſſet conſenſu & ſententia, eligendi Paſtores & Doctores qui in conſtitutis Eccleſiis opus miniſterij peragerent, & fundationi Apoſtolicæ ſuperædificarent. *Ioan. XX.*

Electio Matthiæ in Apoſtolum, quia major erat quàm ut ſolo hominum miniſterio perfici poſſet, jactâ ſuper duos ſorte, Deo commiſſa eſt. Sed quatenus hominum operâ etiam procurata fuit, quod ordinarium debet eſſe omnibus electionibus Eccleſiaſticis, obſervatum eſt ut multitudinis ſuffragiis eligerentur duo quos ſtatui oportebat ut ſuper eos ſors jaceretur; quæ quia ſuper Matthiam cecidit, is inter duodecim συγκατεψηφίσθη. Poſteà verò Paulus & Barnabas χειροτονίᾳ, hoc eſt ex communi conſenſu Preſbyteros per Eccleſias conſtituerunt. *Act. I.* *Act. XIV. 23.*

Ex hac norma & præſcripto conſequenter eligi debuerunt Paſtores à Paſtoribus anteà electis & ordinatis, ut electionum & ordinationum ſucceſſione, vocatio & poteſtas miniſterii, quæ ab ipſo Domino Ieſu Chriſto originem ducit, latè omnibus ſeculis diffunderetur, & ſic ad conſummationem ſeculi, in legitimè vocatis & electis continuata, ad ſanctorum adunationem & Ecleſiæ ædificationem, perſeveraret.

Eſt autem ſucceſſio illa ordinantium ad ordinantes relata, ejus ſpeciei quam propagationis viventis ad viventem, in multiplicationem individuorum diximus; non autem neceſſariò ſubſtitutionis & ſubrogationis in defuncti vel ceſſantis locum: utcúmque ſæpè contingat ideò quempiam eligi & ordinari, ut defuncti cujuſdam locum impleat. Auguſtinus ipſe, ut Paulinus Alypio ſcribens teſtatur, *ita conſecratus eſt ut nõ ſuccederet in cathedra Epiſcopo, ſed accederet*. Electio igitur & ordinatio ſola, ab aliis in munere conſtitutis, *de conſenſu fraternitatis* ut loquitur Cyprianus, adminiſtrata authoritate Chriſti, Paſtores facit, in eóſque, nihil conferente defuncto, poteſtatem tranſmittit. Sic nempe Apoſtoli poteſtatem clavium cum aliis communicaverunt, & Paſtorum numerum auctum fecerunt.

In Epiſt. Aug. Ep. 36.

Cypr. lib. 1. Ep. 4.

His conſideratis, mirum ſanè videri poſſit quòd Pontificii, qui miniſterii jus univerſum ex ordine perſonali ſingularium ita pendere volunt, ut ab eo qui manus imponit, & ipſis ſolus ordinans eſt, conferatur poteſtas & ordo, quatenus ipſe ordinans legitimus eſt Paſtor, miniméque interruptâ ſucceſſione ſingularium ordinan-

Digitized by Google

dinantium, ab Apoſtolorum quodam in ſe derivatam habet quam in ordinatum tranſmittit authoritatem, ſi tamen id ipſum efficiendi habeat intentionem. Mirum, inquam, videri poſſit cur in ſucceſſionum & genealogiarum longa ſerie, cujus nomine multùm gloriantur, nullam ordinantium & ordinatorum, unde ſucceſſionem originis demonſtrent, habeant rationem. Tantùm ſubrogationum cenſum exhibent, eumque ſuccedentium texunt catalogum quorum nullus quenquam in ſerie comprehenſum ordinaverit, ſed deceſſo, duntaxat, ſucceſſerit alter; ut morbus ſanitati, morsque vitæ.

Nihil igitur prorſus faciunt, ut poteſtatem clavium, ab origine prima, legitimè, ex hypotheſi ſua, ad hodiernum Pontificem tranſmiſſam probent. Nec enim Clemens VIII à prædeceſſore ſuo ordinatus eſt, nec ipſe Leonem XI nec iſte Paulum V nec prædeceſſorum ullus ſucceſſorē ſuum, ſi Petrum excipias dicitur ordinâſſe. Certè, utcumq; probetur loco alterius conſumptæ poſitam facem vel lampada, haud conſtat tamen eodem igne, non alieno, accenſam eſſe. Nec quia in demortuæ vitis locum altera plantata eſt, ejuſdem cum illa ordinis etiam eſſe neceſſe eſt. Itaque adverſariorum obſervationes, quæ Chronographis & ſupputatoribus tempórum uſui eſſe poſſint, elucidandæ quæſtioni de legitima ſucceſſione propagationis, ex qua verè Paſtores fuerint quorum eduntur nomina, planè nihil conferunt.

Quod ſi cuipiam Pōtificio, ex ordine & ſucceſſione propagationis ordinatorū & ordinantium,

ſuam vel ſui Pontificis ab Apoſtolis continuâ eorumdem ſerie derivatam poteſtatem demonſtrare ſit animus; Certè, poſt tres gradus ſuperatos, deficient illi ſpiritûs; neque quæſtionum genealogicarum, quas etiam ἀπεράντους dicit Apo-
1.*Tim*.I.4. ſtolus, finem inveniet. Facilius enim littoris arenam numeraturus eſt, quam ut ab ordinatis, per gradus, ad ordinantes aſcendendo, cum hiſtoriæ quadam certitudine, ad Apoſtolos perveniat: Ut de non canonicis ordinationibus, & neceſſariò ab iis requiſita intentione, quæ nulli hominum comperta eſt, nihil dicamus. Ita adverſariis ad hunc modum vocationis ſuæ fundamenta ponentibus, certitudo ejus omnis adempta eſt; eóque nec ex fide munus ſuum obi-
Rom. XIV. 22. re poſſunt, *quidquid*, autem, *ex fide nõ eſt, peccatum eſt.*

Nos, verò, hæ anguſtiæ non premunt. Nec enim regni cœlorum claves & miniſterii poteſtatẽ, ut ſingularibus quibuſdam affixam, quorum vitio & defectu, tanti theſauri Eccleſia jacturam facere queat, conſideramus. Utcumque enim ordinis fuerit obſervandi, quemadmodùm anteà annotavimus, ut Paſtores, cum Eccleſia, vocent & eligant alios; attamen omnia ipſi Eccleſiæ data ſunt, Et conceſſa ut ejus ſint; *præſentia & futura, omnia, inquam, ſunt*, (ut Corin-
1.*Cor*. III. 22. thiis ſcribebat Apoſtolus) corporis fidelium propria. In iis verò omnibus ſunt teſtamenta, Sacramenta, & Miniſtri, *Pauluſque* adeò, *Apollo*, & *Cephas* ipſe, & claves regni cœlorum, regnumque ipſum & *vita*. Claves igitur, & poteſtatem earum, non habent Miniſtri ut dotem ſibi propriam, ſed ut Eccleſiæ à ſponſo Chri-

Chriſto donatum annullum, cui gerendo ipſi ſint digitus; quia conceſſæ ſunt illæ corpori, eâ lege ut ab ejuſdem membris quibuſdam, ordine à Chriſto inſtituto ſelectis, adminiſtrata, ad omnium utilitatem & conſolationem cedant. Itaque quicumque noſtrûm ad id operis eligitur, in hujus vel illius eligentis manûſve imponentis, perſona aut perſonalibus minimè hæret; ſed ordinis Eccleſiaſtici, præſertim, rationem habet, ex quo publici, veræ Eccleſiæ, ſuis genuinis notis ſibi certò cognitæ, Miniſtri eidem ordinando præficiuntur: &, ad originem quod attinet, ipſum Eccleſiæ corpus *divinâ luce* (ut ait Cyprianus) *perfuſum*, vel etiam igne vocationis divinæ accenſum, unde & illi *Eccleſiæ* nomen eſt, ſpectat & intuetur; de actionibus verò ſingularibus ſibi non cognitis variiſque horum aut illorum defectibus, quos animadvertere aut corrigere nequeat, minimè laborat; nec ullus ipſi ſcrupulus, quaſi inde vel Eccleſiæ, vel ſibi legitimo ordine vocato, quicquam præjudicii accideret, vel ex eo quòd *infideles fuerint quidam, fidei Dei inanis redderetur*. Rom. III. 3.

Primùm, igitur, electi Paſtoris fides verbum Dei, & inita cum Eccleſia fœdus, intuetur; deinde ex illo verbo fœderiſque tabulis, eam cujus membrum eſt veram eſſe Eccleſiam certò ſtatuit: tandémque proſpiciens ordine convenientiſſimo ſe vocatum, ut illi Eccleſiæ præbeat & adminiſtret quæ Chriſti dono ejus ſunt: ſibi etiam evangelizandi neceſſitatem impoſitam non dubitat, ſcitque certò, neque ſibi per nefas Verbi & Sacramentorum uſurpatam eſſe admi-

niſtrationem, neq; ad quos minimè pertineant, tanquam furto ablata, operâ ſuâ tradi.

Fuerint, ad ordinem perſonalem paſtorum ſingularium quod attinet, ſeculis præcedentibus varii hiatus & interruptiones, multi intruſi & contra ordinem admiſſi qui in aliorum electionibus præfecti fuerint, milleque caſus varii, ut uno verbo dicam; Eccleſiæ tamen quæ verbo Dei adhæret, & ex ejus præſcripto ordinem ſervandum aſſumit, jus integrum Dei beneficio & fidelitate remanet. Atque etiam, cùm ſingularibus accidentib. earum rerum, quæ conſcientiam noſtram non tangunt, minimè innitatur fides noſtra; ita nec ex obſervatis defectibus nutat. Adverſariis verò certitudinem omnem adimi neceſſe eſt; niſi hypotheſibus ſuis rejectis, & perſonarum ſingularium omiſſo reſpectu illo totali, ipſum Eccleſiæ corpus, ſive radicem quæ ramis decidentibus manet, ſpectare velint.

CAP. II.

Succeſſio ſubrogationis vel ſubſtitutionis, ex diſtinctione, in quaſdam veluti ſpecies diverſas dividitur; quomodo etiam, & à quibus Apoſtolis ſucceſſum ſit diſquiritur.

VT ad quæſtionem ipſam & rem controverſam propiùs accedamus, ejus ſucceſſionis quam *ſubſtitutionis in vicem & locum alterius* diximus, duas quaſi ſpecies obſervare neceſſe eſt. Prima eſt *ſubſtitutionis in idẽtitatem* & æqualitatem juris & officii, eundemq; titulum. Et ejus multa ſup-

ſuppetunt exēpla in iis qui ratione ſanguinis, vel electionis, eoſdem per omnia honores & titulos, quos obtinuerant anteceſſores, ſortiuntur. Iis cōditionibus, nempe, ſuccedunt Reges Regibus, Imperatores Imperatoribus, Cancellarii Cancellariis, &c. Secunda verò ſpecies eſt ejus *ſubſtitutionis* quæ *cum tituli differentia & inæqualitate authoritatis*, non ex aſſe, ſed ex parte hæredem facit ſucceſſorem. Sic architecto & fundatori, qui, poſitis fundamētis, ædificii etiam totius delineationem fecit, ſuccedit in opere latomus, qui ad præſcriptum architecti exemplar, & regulam poſitā, lapides aggerēdo, muros & reliquas ædificii partes conſtruat. Sic, item, libellorum ſupplicum magiſtro, aut ſacri cōſiſtorii ſenatori, cui Rex, delegatione ſingulari, in provinciis vel municipiis judiciarias præfecturas conſtituendi & judices ordinandi poteſtatem dederit, quòd ibi primus ipſe jus dixerit, ſuccedunt conſtitutæ ejuſdem novæ præfecturæ judices, quos Seneſchallos vel Ballivos vocant, cum manifeſta tituli differentia, poteſtateq; anguſtiorib. limitibus concluſa. Siquidem ille, ut ab ipſo Rege, immediatè, ampliſſimam. Superintendentis authoritatem nactus, ſedit: alii verò, ut judices ordinarii, iis quos ille præſcripſit finibus poteſtate circumſcriptâ, munus exercent cum differentia.

Ab ejuſmodi autem ſucceſſione nunquam affirmativè concludi poteſt, ut eandem cum prædeceſſore poteſtatem & authoritatis ſpeciē, eundemque titulum, ſucceſſorem ſortitum eſſe inferatur: Sed tantùm negativè rectè probari poteſt hoc, vel illud, in ſucceſſoris poteſtate nō eſſe,

P

quod ne prædeceſſoris quidem ordinantis authoritati annexum erat. Nihil enim habet inferior juriſdictio, quod non in extraordinarii delegati authoritate eminenter contineatur. Ex differentia autem authoritatis illius quam diximus, etiam ſpecialiter proprios differre titulos contingit; utcumque, ex ratione quadam generali, attributa quædam communia (ut Magiſtratuum, Iudicum, Regiorumque miniſtrorum, &c.) ipſis ſimul conveniant.

Iam hæc nobis ſtatuenda eſt quæſtio, An Apoſtolis, immediatis & extraordinariis Chriſti delegatis generalibus, Paſtores vel Doctores ordinarii in tituli identitatem & poteſtatis æqualitatem ſucceſſerint; ſeu, An quemadmodum in locum Iudæ qui ab Apoſtolatu exciderat, alius Apoſtolus ſuffectus eſt, & in duodecim annumeratus eſt, ſic etiam, Apoſtolorum quocumque è vivis exceſſo, munus ejuſdem vacaverit, ut electione alter in ejuſdem tituli officium illi ſingulariter ſuccederet, ſeu quocumque ſucceſſivo jure eandem poteſtatem ad ſe devolutam haberet; Sicque duodecim generales, & ejuſdem authoritatis, Chriſti Apoſtoli ſemper in Eccleſia remanſerint.

Nos, certè, negamus. Nec enim verum eſt omnibus ſequentibus ſeculis duodecim in Eccleſia militante, ſucceſſione non interruptâ, fuiſſe aut fore, actu Apoſtolico munere fungentes, & quorum nomina in duodecim muri fundamentis ſcripta ſint, quorumque etiam ſcriptis ut Canonicis, fundata ſit Eccleſia, vel quorum dicta ſint oracula, & qui teſtes oculati dominicæ reſur-

ſurrectionis fuerint, eoque nomine locum Apoſtolorum ſupplere queant, (prout ſub hac ratione, Actorum capite primo notata, Matthiam ſorte ſeligendum ſtatuerunt ii quibus notus erat, ut Apoſtoli locum impleret,) qui denique immediatè à Chriſto miſſi diſcipulas faciendi omnes gentes generale mandatum acceperint. Id nempe eſt quod adverſariis probandum eſſet, ut ejuſmodi ſucceſſio in æqualitatem juris & eundem titulum comprobetur. Sed re verâ nequnt; & certum eſt extraordinariam delegationem in rationem ordinariæ ſucceſſionis in totum non venire.

Quales igitur, inquies, ſucceſſores Apoſtoli reliquerunt? Certè, cum diſpari poteſtate, & tituli differentia, Paſtores ordinarios; prout conſtitutione regiâ delegatis generalibus ſuccedũt, in quaque municipali præfectura, judices ordinarii; ut architecto, poſtquàm ab ipſo poſitum eſt fundamentum, alius ſuccedens ſuperædificat. Sic, inquam, alio officii titulo, *Paſtores & Doctores*, quos quarto & quinto loco datos notavit Paulus, nunc miniſterii munus obeunt. Nam poſtquàm Apoſtolos, Prophetas, & Evangeliſtas, in lucem ſanctorum, à laboribus ſuis requieturos, tranſtulit Dominus, penès eos quos diximus Miniſtros, Paſtores, inquam, & Doctores, Eccleſiæ regimen & cura remanſit; idque ſecundùm portionem & partem quam in *Epiſcopatu*, qui, teſte Cypriano, *unus eſt*, in *ſolidum ſinguli* tenent & ſortiti ſunt. Siquidem & in vivis agentes adhuc Apoſtoli, collectum à ſe gregem, quum aliò ad opus Apoſtolatûs peragendum *Eph. IV.*

abſcederent, illis paſcendum committebant: vel etiam præſentes iiſdem pro menſura donorum in agro Domini laboraturis ut eo adiutoribus utebantur; ſemper cum authoritatis diſcrepantia. At poſt delegatorum generalium exceſſum, ſoli in opus ædificationis quod tantùm cum ſeculo conſummabitur, ſuccedunt poſtremi iſti, eoque quem diximus modo Apoſtolorum vices ſupplent, & in eorumdem cathedra ſedent.

Eſt igitur quædam Apoſtolorum omnibus Paſtoribus & Doctoribus, quocumque loci degant, ratione miniſterii ſui & poteſtatis ejuſdem, ſucceſſio cõmunis. Hoc animadvertens Cyprianus, prolato, in Epiſtola ad Pupianam, Domini dictos, *Qui vos audit, me audit*, &c. *id ipsũ ad* OMNES *PRAEPOSITOS qui Apoſtolis VICARIA ORDINATIONE ſuccedunt*, pertinere adfirmat.

Cypr. Ep. l. 4. Ep. 9.

Hieronymus item, in epiſtola ad Evagrium, quum dixiſſet, *Vbicumque ſit Epiſcopus ſive Romæ ſive Eugubij, eiuſdem eſſe meriti, ejuſdem & ſacerdotij*, ſubiungit: *Cæterum OMNES Apoſtolorum ſucceſſores ſunt.*

Baſil Ep 55.

Eadem ratione, Baſilius ad Ambroſium Mediolanenſem ſcribit, *Dominum eum è medio judicum terræ ſumptum, ad præſidentiam Apoſtolicam tranſtuliſſe.*

Nempe ſic ſentiebant; Quemadmodùm Apoſtolis duodecim univerſi orbis, ſeu Eccleſiæ univerſalis, cura commiſſa à Domino erat: ſic omnes unà totius orbis Paſtores, dum quiſque aſſignatam ſibi paſcit portionem, in eam curam ſucceſſiſſe; ut Herodis magni filii, qui Reges non fuerunt, tetrarchiam tamen quiſque ſuam regni

regni totius partem adminiſtrando, patri ſuo ſucceſſerunt.

Quinetiam, quia cuique Paſtori portio in toto non diviſo vel ſeparato contigit, eam in unitate & compage corporis totius coagmentatã conſervare & augere tenetur: Et, ſi fortè proximus ardet Ucalegon, ad extinguendum ignem illi, ex vocatione ſua, accurrendum eſt, ad civitatis & communitatis totius, ſuæq; portionis in eadem, conſervationem. Id ſibi præſtandum in ſummis Eccleſiæ anguſtiis agnoſcentes olim Hilarius Pictavienſis, Euſebius Vercellenſis & Lucifer Calaritanus, eò ubi plus mali erat, pro donorum Dei admenſa portione remedia adhibituri ſe contulerunt, de Eccleſiæ univerſalis conſervatione ſoliciti. Deinde, etiam, qui ſeparatim gregem ſibi commiſſum paſcere ſoliti ſunt, ex ordine Eccleſiæ catholicæ in Epiſcoporum cœtum coeuntes, unà omnes totius corporis ſaluti, quantum in ipſis eſt, conſulunt; ſemper tamen ut ſuper Apoſtolorum fundamentum ædificantes.

Præter illam, etiam, omnibus præpoſitis Eccleſiarum ad Apoſtolos relatam communẽ ſucceſſionem, eſt & alia accidentalis, quæ nec muneris ſeu officij differentiam eſſentialem inducit, nec poteſtatem majorem facit; ſed circumſtantiæ, duntaxat, externæ rationem ingerit, cujus reſpectu Paſtores nonnullos Apoſtolorum ſucceſſores, *κατ' οἰκείαν*, ſpecialiùs veteribus dici in uſu erat. Illa verò circumſtantia loci eſt; in quo Apoſtolum quempiam Evangelium prædicâſſe, & Eccleſiam fundâſſe comperiatur.

Nam ejuſmodi Eccleſiæ peculiari hac ratione, Apoſtolicæ dictæ ſunt, & earumdem Epiſcopi Apoſtolorum ſucceſſores nuncupati; ut Philippenſium, Theſſalonicenſium, Epheſiorum, Pergamenorum, & ſimilium.

Neque tamen earum Eccleſiarum Epiſcopis plus authoritatis & poteſtatis conceſſum erat, quàm aliarum poſt Apoſtolorum tempora conſtitutarum Eccleſiarum Paſtoribus. Quinetiam poſteriorum illarum nonnullæ multis prærogativis ordinis poſitivi quibuſdam prioribus prælatæ fuerunt. Eſt etiam veriſſimum earumdem poſteriorum Eccleſiarum Paſtores, ab Epiſcopis Apoſtolicarum Eccleſiarum anteà ordinatos, eandem & ejuſdem originis vocationem conſecutos eſſe. Quapropter & iidem illi, quum in Apoſtolicæ Eccleſiæ vicinia Epiſcopatum exercerent, quandocumque vacare ſedem contingebat, in electione & ordinatione ejus qui in defuncti locum ſubrogandus erat, præſidebant.

Ratione tamen illius quam expoſuimus circumſtantiæ, *Eccleſiæ* illæ priores dictæ ſunt ſpecialiter *Apoſtolicæ*, & earum Paſtores, *Apoſtolorum ſucceſſores*, ſive *in cathedra Apoſtolorum ſedentes*, nihil inde poteſtatis ſupra alios ſibi re ipſâ aſſumpturi, dicebantur. Eo ſenſu Tertullianus Corintho, Theſſalonicâ, Epheſo, Romáque memoratis, *ſuis locis cathedras Apoſtolorum præſideri* obſervabat.

Tert. de preſcript. cap. 4.

Et hæ quidem ſucceſſionum ſpecies differentes ſunt, quæ ad eam quam præ manibus habemus quæſtionem pertinere poſſunt, quibus, certè, notatis, de eo quod controvertitur facilius

erit

Digitized by Google

erit judicium. Communis autem ſucceſſio, & in globo conſiderata, Paſtorum ſeculi unius iis qui præcedentibus ætatibus vixerunt (ut Levitarum qui Judicibus Rempublicam adminiſtrantibus miniſterio ſacro fungebantur, & eorum qui Joſue temporibus idem munus obierant) ab aliis quidem diſcerni poteſt; ſed in hac diſputatione non eſt magni uſûs.

CAP. III.

Succeſſionis, & in cathedra ſeſſionis, cum diſparitate poteſtatis & tituli differentia, ex S. Scripturis confirmatio.

SI igitur Apoſtolis ſucceſſerunt non alii Apoſtoli *in identitatem tituli*, ſed *Paſtores & Doctores*, diſpari ab illis officio & poteſtate. Quidquid verò diſtinguendis ſuccedentibus ad circumſtantiam loci reſpectûs fuerit, ejuſdem inter ſe muneris & dignitatis conſortio pares extiterunt. Nec enim Smyrnenſes, Theſſalonicenſes, & Pergameni Epiſcopi, quidquam re ipſâ ſuper Burdigalenſes, Moguntinos, aut Cantuarienſes ſortiti ſunt, ſed inter ſe pares exiſtentes Apoſtolis longè inferiores omnes fuerunt. Tert. de præſcript. cap. 4.

Verùm enimverò, quia vocabula *cathedræ* & *ſeſſionis*, tanquam multò majorem emphaſin habentia quàm ut eorundem ſignificatio expoſita hactenus ſucceſſionis, ſive generalis & eſſen-

tialis, ſive particularis illius & accidentalis, finibus includatur; ſuntque qui ejuſmodi differentiam tituli, & authoritatis ab Apoſtolica diſparis, in iis quos in Apoſtolorum cathedra ſediſſe non inficias imus, ferre nequeant, ſed ut ipſis phraſi adverſantem rejiciant. Age, vocabula illa, & loquendi formulam quâ ſimul componuntur, à prima origine ſui in rebus Eccleſiaſticis usûs repetentes, ad certiſſimę ſignificationis annotationem, expendamus.

Matth. XXIII. 1. *In cathedra Moſis ſedent Scribæ & Phariſæi,* (ait Dominus apud Matthæum) *Omnia ergo quæ dixerint vobis ut ſervetis, ſervate.* Igitur in cathedra Moſis ſedendi jus, ſucceſſione quadam temporum & perſonarum, ad Scribas & Phariſæos pervenerat: Verùm non illâ ſucceſſione ſubrogationis unius ſingularis, qui in vicem Moſis totaliter ſubſtitueretur quaſi ex aſſe hæres; Siquidem plures in cathedra Moſis ſediſſe, uno eodemque tempore, dicuntur. Nec etiam illi, ad loci circumſtantiam habito reſpectu, ſucceſſores Moſis fuerunt; Moſes enim in Ægypto & deſerto duntaxat docuerat. Nec potuit illis, etiam unà conſideratis, ſucceſſio in identitatem tituli & officii convenire; fuit enim Moſes Dei internuntius cui immediatè tradita lex eſt, qui legem acceptam non tulit propriè ſed retulit, & ſcriptis conſignatam tradidit, authoritatis ſummæ, & omni exceptione majorem, regulam certiſſimam. Phariſæi verò & Scribæ *Doctores legis* Moſis fuerunt, quorum erat docere *ſecundùm os legis*, ut fert Hebraica phraſis. Cæterùm *à fermento doctrinæ eorum*, ſi quod puræ & ſynceræ maſſæ admiſcerent, imò quod

Deut. XVII. 11. Matt. XVI. 6. 12.

re

re vera admiſcebant, *cavere* jubet Chriſtus; *& intellexerunt* diſcipuli *non de fermento panis, ſed de doctrina Phariſæorum & Sadducæorum*, hæc *dixiſſe* Dominum. Quando igitur ſua vel ab aliis tradita referebant, nec tum è cathedra Moſis docebant, non erant audiendi, ſed fugiendi.

Talem etiam agnoſcimus ſucceſſionem ab Apoſtolis ad omnes Paſtores & præpoſitos Eccleſiarum devolutam: ut in eorum cathedra ſedeant, eáque de cauſa à fidelibus audiantur; neque tamen ejuſdem ſint authoritatis & dignitatis cum iis qui à Deo immediatè edocti, probandis poſteriorum dogmatibus, & à veritatis ſyncera maſſa traditionum humanarum fermentis diſcernendis, regulam tradiderunt. Agnoſcimus in Apoſtolorum cathedra ſedentes eos Doctores qui in illorum doctrina ſunt perſeverantes: ab ea verò aberrantibus & aliena docentibus, quòd in cathedra illa minimè ſedeant, ſed inde abſcedant, mandato Domini edocti, aures non præbemus.

Eſt ſanè hic locus, cum circumſtantiis ſuis conſideratus, materiæ quam præ manibus habemus elucidandæ inſignis; ut liquidò conſtet quàm craſsè hallucinentur qui ex ſeſſione in cathedra Apoſtolorum, plura pro Romano Pontifice inferre volunt, quàm agnoſcant ipſi pro Scribis & Phariſæis, eò quòd in cathedra Moſis ſederent, concludi potuiſſe. Siquidem & lata erat in titulo & munere differentia, ut in poteſtate diſparitas. Horum enim ita limitata poteſtas erat, ut nulla eſſet omnino quum à Moſe diſcedentes ſua docerent; nulla, inquam, reſpe-

Digitized by Google

ctu ejus doctrinæ per quam à regula indubitata, & recta linea, aberrabant.

Hinc & loco Paulino (Eph. IV. 11.) intelligendo clara lux nobis affulget. Chriſtus, ait Apoſtolus, *dedit alios quidem Apoſtolos. alios verò. Prophetas, alios autem Evangeliſtas: alios autem, Paſtores & Doctores: ad compactionem ſanctorum ad opus miniſteriũ, ad ædificationem corporis Chriſti, donec perveniamus nos* OMNES *in unitatem fidei, &c.* Hæc verba perpetuò ſunt in ore adverſariorum, ut Apoſtolis, vel potiùs Apoſtolorum uni, in eundem honoris titulum & prærogativam ſuccedi perſuadeant. Urgent, verò, illud DONEC, & operis, cui præſtando quæ Paulus enumeravit à Domino data ſunt, perpetuam neceſſitatem; ut & ipſa in perpetuum data eſſe evincant; eóque ſe continuò viciſſe glorientur. Sic theſeôs authores: *Quandoquidem nunquam deerunt animæ in regnum cælorum tranſmittendæ, ſucceſſores Petri hæreditario iure obtinuerunt, nunc etiam obtinent, & uſque ad conſummationem ſeculorum obtinebunt,* EOSDEM TITVLOS, *eoſdem* HONORES, *eundemq; cum ipſo* PRIMATVM. Certè, ſi ex Apoſtoli verbis Petro ſucceſſiſſe & ſuccedere quendam qui iiſdem titulis & honoribus gaudeat, rectè colligunt: eadem etiam ratione, aliorum Apoſtolorum Prophetarum, & Evangeliſtarum, paribus conditionibus, ſupereſſe ſucceſſores conſequetur. Nam cùm Paulus Petri nominatim non meminerit, ſed Apoſtolos, cum Prophetis & Evangeliſtis, ex titulis omnium cujuſq; ordinis communibus deſignaverit, idque cum relatione ad finem in quem etiamnum hodie Miniſtrorum omnium

omnium operam collineare oportet; profecto nihil de unius eorundem ſucceſſione, ejúſque conditionibus, ex hoc loco concludi poteſt, quod non omnium his titulis deſignatorum reſpectu verum eſſe præſupponatur, ut ab univerſali ad particulare legitima ſit illatio. Sed Apoſtolis, Prophetis & Evangeliſtis, iis quidem eorundem titulorum & honorum conditionibus, ſuccedi manifeſtè falſum eſt. Ubi enim, quæſo, Apôſtoli illi Prophetæ & Evangeliſtæ? Eſt igitur adverſariorum, pro tali ſucceſſione Petri, illatio haud melior quam quæ pro ſucceſſore Matthæi, Lucæ, & Agabi, in eundem honoris titulum, adverſus veritatem, traheretur.

Itaque fallax eſt argumentum illud: Chriſtus dedit Apoſtolos, Prophetas, &c. ad opus miniſterii & Eccleſiæ ædificationem, donec, &c. Ergo Apoſtoli, Prophetæ & Evangeliſtæ ſemper erunt actu in Eccleſia militãte fungentes officio, donec, &c. Hoc tantum conſequitur, Apoſtolos, Prophetas, & Evangeliſtas à Chriſto datos eſſe ut quam, dum viverent, præſtarent operam, ædificandæ, uſque ad conſummationem ſeculi, Eccleſiæ utilis eſſet, & in id conferret donec, &c. Ut enim Moſes non uni generationi, duntaxat, datus eſt, nec uni ætati, tantum, legem acceptam tradidit & ſcripſit, ſed ſequentibus etiam ſeculis doctrinæ fundamentum & regulam ordinariis legis doctoribus, & univerſo populo, futuram conſignavit, DONEC fides revelaretur: Ut Prophetæ, item, *lucernā* quę *in obſcuro loco*, etiam Petri ſeculo, *luceret*, DONEC 2.Pet.1.19.

Q

dies illuceſſerit, poſuerunt; Ex quo factum eſt ut, poſtquàm è vivis exiiſſent, *teſtarentur* tamen, & in Chriſtum non credētes *accuſarent, Moſemq; & Prophetas haberent* quos *audirent* vel divitis damnati fratres: Ita, ſanè, Apoſtoli, Evangeliſtæ, & Prophetæ dati ſunt qui omnibus ſequuturis ſeculis facē præferrent, nec poſtquàm è vivis exceſſerunt, eorū extincta lucerna eſt, aut interclusa vox. Nam ſuper ipſorum fundamentum, & ex præſcripto canonicorum librorum, quos ſpiritu dictante conſcripſerunt, continuò ædificatur Eccleſia; Atque adeò *Paſtoribus & Doctoribus* (qui ordine longè inferiores ſunt) inde fidei petenda doctrina eſt, ut ex Apoſtolorum cathedra, non ex ſua propria audiantur, quatenus ſecundùm os Evangelii, quod in Scripturis apertū eſt, ipſi loquuntur & docent; vel quatenus in ipſis Apoſtoli & Evangeliſtæ loquuntur. Nam *eorum* quidem, ut ait Tertullianus, *Voces in theſauris literarum manent, nec etiam nunc latent.*

Ioh. V.45. Luc. XVI.29. Tertull. Apolog. c.18.

Eſt igitur erroris, ne dicam furoris, intollerandi, munus & authoritatem ejus cujus cathedra eſt, cum authoritate & officio Doctorum qui in ea cathedra ſedere dicuntur, confundere; hoc eſt Scribas, Phariſæos, & Moſen, uno eodemque ordine habere. Sic, nempe, Pontificii, qui Paſtores & Doctores, quorum nunc ordinarium eſt in Evangelio miniſterium, cum Apoſtolis, Prophetis & Evangeliſtis, quorum doctrina, aliorum omnium dictis diſcernendis regula certiſſima eſt, unius ejuſdemque dignitatis eſſe volunt.

His

His autem, ad argumenti adverſariorum animadvertendam inconſequentiam obſervatis, ſubit animum & illis, in loci hujus Paulini applicatione & citatione, familiarem fraudem annotare. Poſtquàm enim Paſtores & Doctores per omnia Apoſtolis ſuccedere falsò ſuppoſuerunt, nec eorum, nec Prophetarum, Evangeliſtarúmve meminiſſe ſolent, quum media tradendæ doctrinæ & ædificandæ Eccleſiæ enumeranda ſibi aſſumunt; ſed in Paſtorum & Doctorum pura authoritate nos hærere volunt, & de induſtria decurtatum Pauli locum producunt. Is certè qui operi ſuo trium veritatum ſpecioſum titulum dedit, ſic refert: *Paulus ait Ieſum Chriſtum ordinâſſe Paſtores & Doctores in Eccleſia ad opus miniſterii, &c.* Recollectus item meus Vergerius, in confutatione ſua cujus nomine à nobis vapulavit miſer, frequenter regerit, *Dominum fideles ad Paſtores & Doctores ablegare, non ad Scripturam.* Quinetiam theſeôs authores, à ſe Pauli verba produci præfatos, haud puduit præcipuam partem reſecare, ut id quò ſolummodò, adverſus mentem Apoſtoli ſuos reſpicere volunt, remaneret ſolum. *Pauli,* aiunt, *verba notatu digna ſunt, Epiſtola ad Epheſios cap. IV. ubi dicit Ieſum Chriſtum dediſſe Paſtores & Doctores, ad compactionem ſanctorum, ad opus miniſterii, &c. En ſacrum à Domino, variarum & falſarum doctrinarum furente fœdâ tempeſtate, datum aſylum; Doctores & Paſtores.* Non libuit illis aſylum aſſignare primùm in Apoſtolis, Evangeliſtis & Prophetis; quorum dum fundamentis, hoc eſt Scripturis, nituntur Doctores,

Charron, lib. 3 cap. 4.

Diſcurſ. pag. 46.

ſicque ex eorum cathedra docent, non aliter, fidem noſtram confirmant. Perinde igitur faciunt ac qui Moſe & Prophetis relictis, in Scribis & Phariſæis certum Judæis aſylum, quum oriebantur in doctrina controverſiæ, ſtatuiſſent. Nam quæ ratio eſt illorum ad Moſen in cujus cathedra ſedebant, eadem Doctorum & Paſtorum ad Apoſtolos, Evangeliſtas, & Prophetas, quorum dum inſiſtunt veſtigiis, prout à Paulo poſt ipſos recenſentur, etiam ædificant. Quantus paralogiſmus, à conjunctis ad diviſa, & ſeparatas minoris momenti partes.

CAPUT IV.

De ſucceſſione Petri ſpeciatim, & de adverſariorum, ad eandem è re ſua ſtatuendam, præſuppoſitionibus generalibus, & particulari una pro Pontifice Romano.

AGNOSCO adverſariis minimè gratum fore, ut nec ipſis commodum eſt, ejuſmodi de Apoſtolorum ſucceſſione tractatum generalem inſtitui; quia de Petri duntaxat ſucceſſione litem, quam ſibi fœliciter ſucceſſuram ſperant, movere ſolent. Verum cum Petrus ex *abundantiore gratia* fuerit (ut ex Auguſtino antea retulimus) *unus, idemq́ primus Apoſtolus*: certè, ex iis quæ de Apoſtolatu, ſucceſſioneque ad omnes Apoſtolici ordinis relata, ut competæ

Digitized by Google

pertæ veritatis, in genere obſervata ſunt, etiam quidquid in particulari de Petro Apoſtolo, ejuſque ſucceſſione, quęri poteſt, clarè ſolvitur. Eſt enim rectè probandi ordo & ratio, à generali ad particulare deſcenſus & concluſio. Apoſtolis autem, in ejuſdem tituli officium & authoritatem, non ſuccedi manifeſtè hactenus demonſtravimus. Eſt etiam per ſe notam, & nulli controverſum, dona perſonalia, virtutes, & labores, quorum ratione, ejuſdē authoritatis cum aliis conſors primus omnium dici poſſit, in rationem juris ſucceſſivi non venire; neque præcisè, ex ſubrogatione alicujus in locum defuncti cui talia competerent, unà cum munere ipſo in ſubrogato conſequi primatum. Quinimò, de novo ſuffectum in ejus locum qui collegarum primus erat, ultimum & poſtremum collegii cenſeri ubique in uſu eſt. Quādo verò in muneris authoritatem, & officii titulum nemo ſuccedit, neq; etiam in primatum ejuſdem officii ſucceſſio ulla eſt. Nam ut primum ſenatorem, ubi ſenatores nulli ſint, quærere eſt ridiculum: Sic Apoſtolum primum, vel primatum Apoſtolatûs, quando Apoſtoli nulli ſuperſunt, ſtatuere abſurdiſſimum eſt.

Tandem vero eò redibit diſputatio, ut non de quodam inter ejuſdem ordinis & muneris collegas primatu, qui neque munus & officium per ſe, nec muneris pars propriè, ſed adventitium quid muneri accidens ſit quæratur; verum de ſingulari & ſolitario monarchico principatu, vel etiam ſupremati, ordinarii paſtoris univerſalis, à cōmuni Apoſtolatu diſcreti, controver-

tatur. At cùm primatus ille ſit imaginarius, & ut ex prædictis patet, nullo fundamento nitatur, ejus etiam ſucceſſionem fictitiam eſſe neceſſe eſt.

Verumtamen, ut clarius conſtet adverſarios, qui id muneris Petro conceſſum fuiſſe comminiſcuntur, in veritatis & rationis totalem deſpectum aſſerere à Pontifice Romano in hujus tituli fictitii honorem ſuccedi, eos etiam, hypotheſes ſuas ſtatuentes κτ̓ ὑπόϑ. ſequemur.

Illi igitur primæ præſuppoſitioni, de Petri monarchico officio & ſuprematu ordinario, quam pro fundamento ſubſternunt, ſecundam hanc adjiciunt: *Oportere Petro aliquem in eo munere, ſive univerſalis Eccleſiæ Pontificatu, ſuccedere.* Ejus verò eam rationem reddit Bellarminus, *quòd Eccleſia una & eadem omni tempore ſit; non debeat igitur mutari forma regiminis: ideoq́ ſi Apoſtolorum tempore unus erat ſupremus rector & caput Eccleſiæ, hoc etiam tempore eſſe debere.*

Ad præſuppoſitionem illam, & annexam rationem, reſpondemus, ex eo quod Petro univerſale munus demandatum eſſet, minimè ſequi non per partes cum pluribus poſteà communicatam authoritatem, quæ ad plures ſimul uni illi ſuccedentes dimanaret. Certè unius Moſis, Dei authoritate, cathedra una conſtituta eſt; poſtea tamen plures ſimul Moſes habuit ſucceſſores, qui omnes unà in cathedra ejus unica ſederent; & una eademque nihilominùs Eccleſia Iſraëlitica eſſe non deſtitit, utcúmque, ſuccedente tempore, pecu-

liarem

liarem & ſingularem Moſi repræſentando ſucceſſorem non habuerit.

Eccleſia etiam Chriſtiana una eadêmque eſt, etiamſi, ipſis adverſariis fatentibus, duodecim Apoſtolis, non totidem numero Apoſtoli, ſed quotquot ſunt Epiſcopi, & Eccleſiarum præpoſiti, ſucceſſerint; quatenus, ſcilicet, cuique gregis portio commiſſa eſt, cui generaliter illi præfecti fuerant. Haud igitur incongruum fuerit ſi uni plures ſuccederent, ut & pluſquam milleni, non limitato numero, duodecim ſubſtituuntur. Nec ſanè, illius reſpectu magis mutatum erit regimen, quàm ratione aliorum, quibus tot Epiſcopi *vicaria* (ut ait Cyprianus) *ordinatione ſuccedunt,* ita tamen ut *cuiq; portio gregis aſſignata* ſit.

Quod etiam objicitur *non debere mutari formam regiminis,* verum eſt, certè, de forma quam iis quos primos, Eccleſiis fundandis & conſtituendis, dedit Chriſtus, ejuſdem authoritate continuò obſervandam præceperunt, & in Eccleſiis à ſe conſtitutam reliquerunt: falſum verò, de forma ad extraordinariam eorundem delegationem, & formandæ Eccleſiæ initium, relata. Alia eſt enim ratio initii extraordinarii, ex quo forma rebus primùm inducitur, à rei formatæ ordinario & permanente ſtatu; ut unius Moſis, & duodecim Apoſtolorum, ad tam multos ſucceſſores collatorum, exemplis cernere eſt. Nam Eccleſia nihilominus una exiſtit, & cathedra una, & *Epiſcopatus unus, cujus à ſingulis in ſolidum pars tenetur.* *Cypr de unit. Ecleſ.*

Itaq; rectè, ex diſtinctione neceſſaria, intellecta

Bell. Contr. 5. lib. 1. de Cler. cap. 16.

Bellarmini ratio, de *non mutanda regiminis forma*, nos quidem non tangit, ſed Romanam Eccleſiam perſtringit potius, in qua, *poſtremis annis ſexcentis vel ſeptingentis*, eodem Bell. teſte, COEPERVNT *paulatim omitti Concilia Epiſcopalia, & RES TOTA REDIGI ad Senatum Cardinalium, ſicq;* (ut ipſe fatetur) *MVTATVS EST ORDO, & cœpta ſunt Cardinales Epiſcopis anteponi, & Epiſcopatus gradus eſſe ad Cardinalatum.* Ita *ſaluberrimâ Conſiliorum authoritate* omiſsâ, hac non mutatione tantum, ſed everſione ordinis, Eccleſiæ univerſalis regimen humano inſtituto, penès Romanarum parœciarũ Curiones & Diaconos, Epiſcopis de gradu dejectis, remanſit. Et tamen Bellarmino una eadémque eſt Eccleſia illa.

Paſcendarum etiam ovium mandatũ, quod univerſaliter ſumptũ, ad Petrum propriè & ratione ſingulari pertinère præſupponens id è illo profert etiam, ut ſingularem unum aliquem omnibus ovibus Chriſti paſcendis Petro ſuccedere probet; mandatum, inquam, illud minimè prohibebat; ſequentibus ſeculis, paſcendi poteſtatem, ſecundùm gregis aſſignatas portiones, cum pluribus communicari, ut unius non eſſet. Nec ſi veteres *Petrum in ſucceſſoribus ſuis perſeverare & vivere, & ſuſcepta Eccleſiæ gubernacula tenere* dixerunt, ideo unum duntaxat, uno eodémque tempore eſſe Petri ſucceſſorem voluerunt. Nam cum Paſtores omnes Apoſtolorum ſucceſſores eſſe exiſtimaverint, in omnibus præpoſitis Eccleſiarum Apoſtolos quodammodò perſeverare ſtatuerunt. Quod vero de omnibus in cõmuni ſtatuitur, de eorum uno etiam dici poteſt.

Utcúm-

Digitized by Google

Utcúmque igitur, ſecundùm primam præmiſſarum, *Petrum univerſalem Pontificem* fuiſſe (quod tamen falſum eſt) ſupponeretur, inconſequentem nihilominùs, imo apertè falſam, ſecundam præſuppoſitionem eſſe patet: Et rectè negatur à Nilo Theſſalonicenſi Epiſcopo, qui cum de Petro litem non moveat, unius ſingularis in munus univerſale ſucceſſionem rejicit & refellit, in libro quem adverſus primatum Papæ ſcripſit.

Tertia adverſariorum propoſitio præcedentes duas generales, Petrū, ſcilicet, univerſalem fuiſſe Pontificem, & illi ſucceſſiſſe quempiam, ut ex variis locis deductas aquas, in Papæ molatrinam dirigit, ſtatuitque *eum ſucceſſorem alium à Pontifice Romano eſſe non poſſe.*

Id vero inde probare nititur Bellarminus, quod in præfectura univerſali Antiochenus ſe Petri ſucceſſorem profeſſus non fuerit. Id vero vel Romanum ipſum, aut Alexandrinum, aliumve ullum ſibi, Antiocheno magis primis ſeculis tribuiſſe pernegamus: Et hæc quæſtio facti ad tertiam hujus tractatûs partem pertinet. Quod ſi ab enumeratione eorum de quibus maximè, ſi tale jus ſucceſſione alicui obveniret, eos hæredes futuros fuiſſe præſumendum fuit, argumentum ducatur, ut cæteris ratione quadam peculiari excluſis, ſolus Romanus Epiſcopus habilis ſuccedendi cenſeatur: tum vitium in enumeratione manifeſtum eſt; quia cum proximi cujuſque, ut ſine fraude fieret diſquiſitio, primùm habenda eſſet ratio, ad remotos fit digreſſio. Certè ſi quærat aliquis quis de-

Utcúm-

functo peditatûs præfecto, de univerſo exercitu, ſuccedere debuerit jure, nemo tum, omiſſis legionum præfectis, ad cohortium duces ſive centuriones enumerandos properet, ut iis inter ſe comparatis, tandem de eorum uno aliis excluſis concludat: niſi fortè in pugna, vel alio caſu, legionum præfecti univerſi occubuiſſent, aut muneri obeundo impares facti eſſent. Sic tamen omnino adverſariis procedit ratio. Nam cùm Apoſtolos, Prophetas, & Evangeliſtas, in Eccleſia Dei generalius & dignius munus Paſtorum & Doctorum officio obiviſſe fateantur, utcúmque omnibus præfectum fuiſſe Petrum putent; nihilominùs ubi defuncto Petro ſucceſſorem quærunt, omiſſis illis vel ex ipſorummet hypotheſi, ordine proximis, in Epiſcoporum duntaxat, conſideratione verſantur, ut ex iis aliquem, ſi non Antiochenum, certè Romanum, ſi dîs placet, Apoſtolorum primo ſubſtituant.

Non mirum id quidem foret, ſi omnium priorum ordinum poſtremus Petrus ultimum diem clauſiſſet. Sed, ut de aliis nihil dicam, manſerat adhuc, prout manſurum à Chriſto didicerat Petrus, dilectus Domino diſcipulus JOANNES, unus, ſcilicet, eorum qui cum Petro *columnæ* titulum exiſtimatione ſui obtinuerant. Si Petro, quoad univerſale munus, quiſpiam ſuccedere ſpecialiter debuit, quorſum, quæſo, fuerit ille *ſuccedendi* (ut dicitur) *inhabilis*? Quam in tanto Apoſtolo impotentiam, vel etiam irregularitatem, ex qua officio quo functus erat Petrus faciendo impar eſſet, notabis? Si enim in Petro Apoſtolatûs officio có-

muni, ſpecialis in Eccleſiam univerſalem præfectura adjuncta eſt; ergo, ex Pontificiorum hypotheſi, in uno eodemque, poſt Petrum, conjungi non repugnabat. At unius urbis Epiſcopum, Eccleſiæque cuidam particulari adſtrictum, & in ea vocatione permanentem præfecturam univerſalem exercere; vel qui proprius & particularis Eccleſiæ unius ſingularis Paſtor ſit, cæteris tamen omnibus communem eſſe: id verò omnino abſurdum eſt, & contradictionem implicat.

Addo nihil eſſe cauſæ cur à Paulo traditus ordo invertatur. Ait *conſtituiſſe Deum in Eccleſia PRIMUM Apoſtolos, SECUNDO Prophetas, TERTIO Doctores.* Verùm, ſi adverſariis credatur, ſtatim poſt obitum Petri, Doctorum unus PRIMUS fuerit & Apoſtolos ſuperſtites ſibi ſubjectos in Eccleſia habuerit. 1.Cor.XII. 18.

Ut autem ad Joannem redeam, Hieronymus adverſus Jovinianum, ſcripſit ideo prælatum fuiſſe Petrum ut caput (repræſentationis ſcilicet) conſtitueretur, quod *Ioannes penè puer eſſet*; & ſic, inquit, *ætati delatum eſt.*

Num igitur quum Petro ſuperſtes Joannes ſenex eſſet, isq; qui duabus Epiſtolis *ſenioris* ſibi ſimpliciter tribueret titulum, ipſi Linum, Cletum, Clementem, Anacletum, & Evariſtum præferri, ejuſque non tantum ætati, ſed dignitati etiam & authoritati non deferri decuit? Nam cùm ad tempora uſque Trajani, Irenæo teſte, vixerit, quos nominavimus omnes in Eccleſia Romana miniſterio fungentes vidit. Quàm abſurdū verò dictu, etiā cogitatu fuerit, inclytū, eximium *Apoſtolum, columnā, ſeniorem, Theologum,* Iren.lib.3.c.3.

Chriſto *dilectum diſcipulum*, ideo longęvum fuiſſe ut omnes illos ſucceſſivè ſibi prępoſitos cerneret, & ab eorum unoquóque tanquam à capite, diverſis temporibus, penderet, eorúmque imperio pareret! Imo adverſarios, ſanè, ſuarum pudeat hypotheſeωn: Nam illis, hac in parte, ratio nulla militat.

CAPUT V.

Quæ adverſarii, pro ſuprematûs univerſalis à Petro in Epiſcopum Romanum devolutione, fundamenta in particulari ſupponunt, nulla eſſe oſtenditur.

PERGAMUS verò, & quæ in particulari, pro retinenda illa ſuprematûs ſucceſſione, (ne, videlicet, ultra excurrat, ſed à Petro in Romanos, dũtaxat, derivata Epiſcopos iiſdem ſolis adhæreat,) admovent ſufflamina videamus. Si enim daretur, quod tamen à veritate alienum probavimus, & id juris quod volunt fuiſſe Petro, & ad alium quempiam devolvi, fundamenta tamen juris illius in Epiſcopum Romanum tranſmittendi particularia habeant neceſſe eſt, ut ejus nomine glorientur: Et inde non exiguus adhùc illis incumberet labor.

Bell. de Pont. lib. 2. cap. 2. §. ut autem res.

Bellarminus, dicit, *aliud eſſe ſucceſſionem quæ ex Chriſti inſtituto eſt, aliud rationem ſucceſſionis* quâ Romanus potiùs quam alius ſuccedat.

Ius

Ius autem, ait, *Pontificum Romanorum in eo fundatur quòd Petrus Romæ ſedem ſuam, jubente Domino, collocaverit, atque ibi uſque ad mortem ſederit, adeoq; fuerit Epiſcopus Romanus, & eum Epiſcopatum ad mortem uſque retinuerit*: Ideóque *quod Romanus Epiſcopus, quia Epiſcopus Romanus eſt, ſit Petri ſucceſſor, ex* FACTO PETRI *ortum habuit*, NON EX PRIMA INSTITVTIONE. Factum autem illud Petri uno verbo ſic explicat, *quod Romæ ſedem ſuam* FIXIT. Quod vero ſimpliciter dixerat Petrum, jubente Domino, ſedem ſuam collocaſſe, ſic poſtea exponit: *Quia Marcellus Papa, Athanaſius, & Ambroſius ſcribunt Petrum Chriſti juſſu Romæ martyrium pertuliſſe*, NON EST IMPROBABILE *Dominum etiam apertè juſſiſſe ut ſedem ſuam Petrus ita figeret Romæ ut Romanus Epiſcopus abſolutè ei ſuccederet.* SED QVICQVID DE HOC SIT, *&c.* Item alibi: *Licet* FORTE *non ſit de jure divino Romanum Pontificem ut Romanum Pontificem Petro ſuccedere; tamen id ad fidem Catholicam pertinet. Nec enim de jure divino fuit ut Paulus haberet penulam, & tamen hoc ipſum eſt de fide.*

Id. ib. c. 1. §. 1. & cap. 4. §. 1.

§. at verò. Et §. Iam verò.

§. & quoniã.

§. Obſervandum eſt tertiò, licet.

Fundamentum igitur & ratio ſucceſſionis illius aſſignatur, non ſimpliciter quod Petrus Romæ fuerit, & ibi mortuus ſit; ſiquidem multi Pontifices alibi mortui ſunt, nec eò jus ſucceſſionis tranſmiſerũt; & multi Avenione ſedentes, Romam ne viderunt quidem: Sed in eo FACTO propriè conſiſtere volunt, quod ſedem ſuam Romæ FIXIT & Romanæ urbis Epiſcopatum evexit ad ſummum orbis terræ Pontificatum, quemadmodum quum

Bell. ibid. §. Obſervandum eſt poſtremò.

ad

Epiſcopatus ſimplex erigitur in Archiepiſcopatum vel Patriarchatum.

Antequam autem an fundamentum illud cum verbi divini veritate conſentiat examinemus, animadvertendum eſt ipſum, prout ab artifice illo proponitur, partibus minimè cohærentibus conſtare, & ſponte ſuâ diffluere.

Primò præſupponitur Petrum, antequam Romam veniſſet, Epiſcopũ univerſalem fuiſſe, & in ditione Epiſcopatûs ejus ex æquo, & eodem modo, totius orbis Eccleſias, Hieroſolymitanam, Epheſinam, &c. comprehenſas fuiſſe, ut univerſitatis partes. Deinde, quamcunque Eccleſiam, vel Diœceſin particularem, ad proprium & peculiarem Epiſcopũ habito reſpectu, Epiſcopatum per ſe particularem fuiſſe; ita ut Epiſcopatûs particularis, & Epiſcopi proprii, ratio alia ſit ab ea quæ univerſalem Epiſcopum faciat, & illi ſubalternata ſit, hâc lege ut univerſalis Epiſcopatus particulari non præjudicet, nec particularis univerſali.

Petrus igitur, Romam adveniens, Eccleſiam quæ ibi erat, vel ut univerſalis Epiſcopus, tanquam totius ſibi commiſſi partem, *conſiderans*, nec aliâ ratione Epiſcopus factus eſt quàm prius erat, neq; univerſalis Epiſcopatûs partem illam totum ipſum, cujus pars eſt, effecit, quod etiam contradictionẽ implicat: Vel, certè, Epiſcopatum illum Romæ particularem, univerſali ſubalternatũ ſibi proprium fecerit, ſeque, quod reciproca poſtulat obligatio, Romanæ Eccleſiæ peculiariter addictum proprium Epiſcopũ conſtitui curaverit. Primo quidem modo poſito, nihil planè juris in univerſalem Epiſcopatum

Romanæ Eccleſiæ acquiri potuit: Altero verò, ſi ſupponatur, Petrus potiùs eo facto univerſali Epiſcopatui renuntiaverit, quàm ut contradictione manifeſtâ particularē univerſalē fecerit. Aut certè ſi utrumq; cōjunxit, quia eorumdem rationes diſcretæ ſunt, utcúmq; ſimul habuiſſe præſupponatur, confundere non potuit, ſed neceſſario diſtincta obtinuit & exercuit. Quę verò ſuâ naturâ diſtincta ſunt munera, ſi in uno conjungi eadem contingat, non ita eo facto ſimul connexa manent, ut dum ſemper diſtincta ſint, in aliis actu non dividantur. Id animadvertens Bellarminus, præcisè cavet ne Petrus *ſibi Epiſcopatum urbis Romæ, adjunxiſſe* putetur, *quo modo Epiſcopus alicujus loci adjungit ſibi alium Epiſcopatum, vel Canonicatum, aut Abbatiam.* Ibid.

Quod verò minus officiū in alterū majus evectum dicit, ut ſupra diximus, cōtradictoriū eſt, & quod cōſiſtere nequeat. Nec tale cōmentum à rebus planè diſſimilibus petita ſimilitudo firmare poteſt. Siquidē Archiepiſcopatus, & Patriarchatus nō ſunt, nec uſquam fuerūt, ſolitaria per ſe munera, quę ab Epiſcopatibus nōn disjungi queant, ſed Epiſcopatuum quorumdā acceſſoriæ, duntaxat, prerogativæ. Quis enim fando audivit Archiepiſcopū, vel Patriarchā, Epiſcopatui carentē peculiari, aliquē aſſumptū, ipſo facto, in Archiepiſcopatū, vel Patriarchatum, evexiſſe? Sic tamen univerſalē Epiſcopum Petrum, particularem Epiſcopatum in univerſalem totius mundi evexiſſe ſomniat adverſarius.

Sic igitur, in eo fundamento aſſignando, *ἄσυστα* & ſibi minimè conſtantia ſupponere adverſarios evicimus: Nunc etiam eorumdem

hypotheſes cum Sacrarũ Scripturarum veritate pugnare demonſtraturi ſumus. Nec adeò ſummo jure cum illis agere nobis propoſitum eſt, ut quamvis pallio facti illius, quod de fide eſſe dicunt, immane quanta, & alia omnino ab iis

2.Tim.IV.13. quæ *penula Pauli Troade apud Carpum relicta* contegeret, operire velint; tamen ſi illud factum adeò clarè ex Scriptura confirmare valeant ac Paulum habuiſſe penulã, ipſum ad fidem pertinere inficias eamus.

Sed revera, Petrum ad mortem uſque Epiſcopum Romanum fuiſſe, & Romæ ſedem fixiſſe, falſum eſt, & nullâ authoritate firmatum, manifeſtæ veritati repugnat; quod ſic demonſtramus.

Apoſtolorum, quos *primùm Deus in Eccleſia poſuerat*, omnibúſque debitores fecerat, munus ab officio Epiſcoporum Eccleſiarum ſingularium, quibus certa gregis portio aſſignata eſt, non exiguo diſcrimine diſtat. Nam (ut Eſpenſæi verbis dicam) *Apoſtolus ab Epiſcopo differt, ut docet Chryſoſtomus in Matthæum, homil.* 19. *quia erant Apoſtoli omnium Eccleſiarũm Doctores, juxta illud Pauli; Mihi incumbit ſolicitudo omnium Eccleſiarum, 2. Cor.* 11. *Hic, ſcilicet Epiſcopus, per homines vocatur,* CERTO LOCO *præeſt;* NON *SIC APOSTOLI.* Atque etiam, *In militia Chriſtiana,* ait Acoſta Jeſuita, *duo ſunt ordines, unus eorum qui* PER OMNIA *diſcurrunt & omnibus opem ferunt, quod militiæ genus Apoſtoli ſibi ſumebant: Epiſcopi ſuarum Diœceſeωn limitibus* CONCLVSI *erant.*

Eſpenſ. Epiſ. Com. in 1. Tim. 1. cap. 4. ex Chryſ. refer.

Morton. Apol. part. 2. lib. 3. cap. 11

Acoſt. de proc. Sal. Ind. lib. 5. cap. 21 eod. refer. Mort. ibid.

Abſit

Abſit igitur à nobis, ut Petrum ſui in ea militia ordinis ſic oblitum dicamus, ut quum per omnia DISCVRRENDVM ipſi eſſet, *certo loco* præeſſe & CONCLVDI voluerit: *Non* enim *ſic Apoſtoli. Diſcurrere* autem per omnia certis limitibus *concluſum* potuiſſe, nemo ſanus dixerit.

Verum eſt tamen Apoſtolos certis in locis, prout regni Chriſti promovendi res requirebant, longas feciſſe moras, & aliquandiu in quibuſdam Eccleſiis docentes perſeveràſſe, unde & commodiùs aliis multis, in proximo, & in longinquo, conſtitutis providerent; ex quo etiam ibidem ſediſſe dicuntur, iiſque Eccleſiis ſedes Apoſtolicæ tribuuntur: nunquam tamen ſe ulli Eccleſiæ particulari, ut proprii earum eſſent Epiſcopi, addixerunt; ſed, ex Apoſtolico officio, ſemper ultra progrediendi, *καὶ εἰς τὰ ὑπερέκεινα ὑμῶν*, habentes propoſitum, quibuſdam in locis, prout neceſſarium eſſe animadvertebant ipſi, vel divinitùs monebantur, diutiùs remanſerunt; non ut qui ibi ſedem fixam haberent, ſed ut qui Epiſcopis ordinariis rectè conſtitutas Eccleſias, ſedémque in iis fixam, tradere vellent, legationem ſuam, ex quâ per omnia ipſis diſcurrendum eſſet, perſequi meditantes.

Sic Paulus Epheſi *biennium* commoratus eſt, ut *omnes qui habitabant in Aſia, tum Iudæi, tum Græci, audierint ſermonem Domini*, & donec *fortiter creſceret ſermo & invaleſceret*; & *his impletis, induxit in animum peragratâ Macedoniâ & Achaiâ proficiſci Hieroſolymam, dicens; Poſtquàm illic fuero, oportet me* *Act. XIX. 10. 20. 21.*

Rom.XV.24. *Romam etiam videre.* Romanis etiam ſcribit ſibi eos videndi propoſitum eſſe, *quando profecturus eſſet in Hiſpaniam.* Atque ſic Apoſtoli generalis, non Epiſcopi particularis, officium faciebat, etiam quum in Eccleſiis aliquandiu ſederet. Falluntur enim qui ex diuturniore mora, ſive ſeſſionis actu, continuò Epiſcopatum ſpecialem, tanquam ex proprio exercitio, ſibi inferre poſſe videntur.

Unicus eſt in Scripturis, ſi bene obſervavi, locus in quo ſedendi actus, ad quandam Eccleſiam reſpectu habito, alicui tribuatur; nempe Act. XVIII. 21. *Ibi* (Corinthi ſcilicet) *ἐκάθισε, ſedit Paulus annum unum & ſex menſes,* ait Lucas. Númnam ideò Corinthiorum proprius & peculiaris Epiſcopus Paulus? Minimè, certè; quia ibi ut fundamenta ponens & Eccleſiam conſtituturus, non ut conſtitutæ curam ordina-
1.Cor.III.10. riam gerens, vel *ſuper* fundamentum *ædificans*, quod ab *alio* præſtari docet ipſe, ſedebat. Ibi, inquam, *architecti* & Apoſtoli *opus* peragebat, cujus nomine ſe non Epiſcopum, ſed Apoſtolum infert. *Si aliis,* ait, *Apoſtolus non ſum; at certè vobis*
1.Cor.IX.2.3 *ſum. Nam Apoſtolatûs mei ſigillum vos eſtis in Domino. Defenſio mea adverſus eos qui me inquirunt hæc eſt.* Infirma verò fuiſſet defenſio, ſi Corinthi ſedens particularis Epiſcopi feciſſet officium, ex quo Apoſtolatûs dignitas minimè conſequatur.

Ad eundem planè modum & Petrus, ibi ſedens ubi eum manere commodum fuit, indéq; diſcedens ut aliò, eodem fine, ſe conferret, ſui Apoſtolatûs, his mutationibus locorum, conſtantiſſima

Digitized by Google

ſtantiſſima edidit exercitia; quatenus muneris ipſius ratio eundem ad tempus tantùm uno loco ſedere, non autem in una Eccleſia ſedem figere, ferebat. Nec verò aliter, vel alio nomine, potuit Petrus Antiochiæ vel Romæ ſedere, quàm *ſedit* Corinthi Paulus. Et inde earum Eccleſiarum Paſtoribus nihil præ aliis contigit, ſi unam illam excipias ſucceſſionem accidentariam, ratione loci, quam hujus partis capite ſecundo, circa finem, diſtinximus.

Et hæc clara & convenientia ſunt: At adverſariis omnia hac in parte confuſa. Nam cùm ex Apoſtolis, ſicubi ſedere eos contigerit, omiſsâ Apoſtolatûs ratione, Epiſcopos uni Eccleſiæ affixos faciant. Poſteà demum, ſi quando ipſis ſolum vertere commodum viſum ſit, alióque concedere ubi aliquandiu cõmorarentur: tum retractâſſe, & inde ubi ſedem collocârant, aliò eam, veluti mutato propoſito tranſtuliſſe præſupponunt.

Hîc etiam animadvertendum eſt Apoſtolis omnibus, ex vocatione nullis locorum finibus eos includẽte, ubiq; Evangelium annuntiandi jus fuiſſe; eos tamen, ex compacto & conſilio quod inter ſe, ad commodiorem fidei ubiq; terrarum propagationem, iniverunt, quaſdam veluti generales totius portiones ſortitos eſſe in quibus maximè laborarẽt. Sed & inde Romanę Eccleſiæ Epiſcopatus à Petro removetur; quia circumciſionẽ collectam & diſperſam docendã aſſumpſit ſibi peculiariter; Paulo verò Apoſtolatûs pręputii, vel Gentium in queis primi erant Romani rerum domini, peculiariter ceſſit.

Præter certiſſima hæc è Scripturis argumenta adverſus Epiſcopatum Romanum Petro peculiarem, quem ſuſceptum ad mortem uſque tenuerit, unde Romano Epiſcopo ſucceſſionẽ in jus Pontificatûs univerſalis contingere volunt adverſarii: Suppetunt etiam teſtimonia profundiſſimæ antiquitatis Eccleſiaſticorum ſcriptorum, à quibus poſteros ordinem ſucceſſionis Romanorum Epiſcoporum accepiſſe neceſſe fuit.

Iren. li. 3. c. 3. Horum primus Irenæus eſto. Is quum *Romanam à glorioſiſſimis duobus Apoſtolis Petro & Paulo fundatam & conſtitutam Eccleſiam* dixiſſet, ſic ordinem ſucceſſionis Epiſcopatûs ejuſdem deſcribit: *Fundantes igitur & inſtruentes beati Apoſtoli Eccleſiam, Lino Epiſcopatum adminiſtrandæ Eccleſiæ tradiderunt. Succedit autem ei Anacletus; poſt eum tertio loco ab Apoſtolis Eipſcopatum ſortitur Clemens, &c. Huic Clementi ſuccedit Evariſtus, & Evariſto Alexander, deinceps ſextus ab Apoſtolis conſtitutus eſt Sixtus.*

Petrus igitur & Paulus, idem munus obeuntes Romæ, Eccleſiam fundarunt & inſtruxerunt, quod erat operis Apoſtolici eorumdem communis. Ad fundatam autem & inſtructam ipſorum operâ Eccleſiam adminiſtrandam quod attinet, non id ſibi negotii, quod adverſarii falsò ſupponunt, Petrus aſſumpſit; ſed ambo ſimul Apoſtoli illi ejus adminiſtrandæ Epiſcopatum Lino tradidêre.

Neque Linus defuncto Petro in Epiſcopatum Romanæ Eccleſiæ ſucceſſit, ſed à Petro & Paulo quum eſſent *Eccleſiam fundantes* Epiſcopus conſti-

conſtitutus eſt. Ex quo ſequitur eundem Linum, qui ab Apoſtolis vivis & Apoſtolatu fungentibus vocationis ſuæ originem immediatè duxit, in ſucceſſionem æqualitatis & ejuſdem tituli, ut Petro defuncto ſubrogatum, non veniſſe. Quod ſi, poſt obitum Apoſtolorum, qui ab iis ordinati erant jus aliquod novum, quaſi hæreditario jure conſecuti eſſent, certè Epiſcopi in aliis Eccleſiis ante Linum ab iiſdem conſtituti, primogenituræ jure illi præferendi fuiſſent. Quandoquidem etiam ab Anacleto, qui Lino ſubrogatione ſucceſſit, nihil Clementi contingere potuit, neque à Clemente aliis poſteris, niſi quod Linus ab Apoſtolis acceptum ſucceſſoribus ex electione conſequndum reliquit: Certè, Epiſcopos Romanos in univerſalis Pontificatûs jus non ſucceſſiſſe manifeſtum eſt. Neque enim Paulus conferre potuit quod ipſe non habuit; nec ſi Petrus habuit Pontificatum illum univerſalem, vivus adhuc, & Eccleſiæ fundandæ laborans, in alium tranſmiſit.

Quod, autem, Apoſtolos primos Romanæ Eccleſiæ Epiſcopos fuiſſe, ex eo colligit Bellarminus, quòd Clemens tertio ab illis loco Epiſcopatum ſortitus dicitur, inconſequens eſt. Nam cùm ab illis Apoſtolis fundantibus, & non Epiſcopis ſuperædificantibus, ſortitus ſit tertio loco Epiſcopatum, ipſe tertius eſt ordine Epiſcopus. Sic qui primus à delegato regio præfecturam judicialem in municipio inſtituente, ex munere ſibi eiuſdem delegati opera iniuncto, ius dicit, primus ab eo Senechallus

Digitized by Google

vel Judex ordinarius eſt. Alter enim primo loco conſideratur ut extraordinariè conſtituens præfecturam, non ut conſtitutæ præfectus. Id etiam teſtimonio ſequente elucidabitur.

Tertullianus, in libro de præſcriptionibus, hæreſes refellere inſtituens quæ ſe interferêre ætati Apoſtolicæ auderent, ut videantur ab Apoſtolis traditæ, quia ſub Apoſtolis fuerant, ut hunc illis traditionis prætextũ eriperet, earum profeſſores ſic provocat; *Aedant ergo origines ſuarum Eccleſiarum, evolvant ordinem ſuorum Epiſcoporum, ita per ſucceſſiones ab initio decurrentem, ut PRIMVS ille Epiſcopus aliquem ex APOSTOLIS, vel Apoſtolicis viris, qui tamen cum Apoſtolis perſeveraverit, habuerit AVTHOREM & ANTECESSOREM. Hoc enim modo Eccleſiæ Apoſtolicæ cenſus ſuos deferunt: Sicut Smyrnæorum Eccleſia habens Polycarpum ab Ioanne conlocatum refert: Sicut Romanorum Clementem à Petro ordinatum edit.*

Tertull. de praſc. cap 11

Ibi duo poſtulat ille author, originem Eccleſiarum, & ordinem Epiſcoporum; & originem quidem ab Apoſtolis vel Apoſtolicis viris vult duci. Ordinem verò Epiſcoporum talem præſcribit, in quo non Apoſtolus quiſpiam ſit *primus Epiſcopus*, ſed is qui *authorem & anteceſſorem Apoſtolum habeat*. Admittit etiam pro primi Epiſcopi authore *virum Apoſtolicum* non quemcúmque cum Apoſtolis converſatum, ſed *qui cum Apoſtolis perſeveraverit*; quales, nempe, fuerunt Evangeliſtæ, qui non habuerunt fixas ſedes, ſed fundandis Eccleſiis Apoſtolorum fuerunt coadjutores, diſcurrentes & ipſi,

Digitized by Google

ipſi, ex eorundem tamen præſcripto, eóque çum Apoſtolis perſeveráſſe dicti. Tales fuerunt Timotheus, Titus, Marcus, & alii, quos ordinandis Epiſcopis per varia mittebant Apoſtoli. Hæc autem anteceſſorum, ſive authorum, à primis Epiſcopis diſtinctio, ſententiæ adverſariorum quà Petrum primum Romæ Epiſcopum fuiſſe ſtatuunt, ex diametro oppoſita eſt; cenſuſque Apoſtolicarum Eccleſiarum, prout à Tertulliano editur, adverſariorum ordinem evertit. *Tit. I. 5.*

Id cùm animadverteret Bellarminus, truncatum & falſatum locum ſic produxit: *Evolvant ordinem Epiſcoporum ſuorum ita per ſucceſsiones decurrentem, VT PRIMVS ILLE EPISCOPVS ALIQVIS EX APOSTOLIS vel Apoſtolicis viris fuerit.* Imò contra Tertullianus: *ut PRIMVS ILLE EPISCOPVS ALIQVEM EX APOSTOLIS, &c. anteceſſorem habuerit.* Inſignis certè corruptio. *Bell. de Pont. lib. 2. cap. 4. §. Tertullianus.*

Notandum eſt ſecundò Tertullianum Polycarpum à Joanne Smyrnæ collocatum, & Clementem Romæ à Petro ordinatum, ut exempla parallela referre. Quemadmodum igitur primus Epiſcopus Smyrnenſis Joannem habuit anteceſſorem, non ut Epiſcopum qui ibi ſedem ſuam fixiſſet, ſed ut Apoſtolum qui inſtruxerat & fundáverat Eccleſiam: Ità & Petrus primi Epiſcopi fuit anteceſſor; non Epiſcopus ipſe, ſed Apoſtolus primi Epiſcopi ordinator. Atque in hoc optimè conſentiunt duo teſtes noſtri, utcúmque de primi Epiſcopi perſona inter ipſos non conveniat

Nunc igitur quod Cyprianus Eccleſiam *Cypr. lib. 4. Ep. 2.*

Digitized by Google

Romanam *cathedram & Eccleſiam Petri principalem* vocat, *& locum Petri & gradum cathedræ ſacerdotalis vacaſſe* dicit, *quum Fabiani locus vacaret, & factus eſt Cornelius Epiſcopus*; id certè, ex Irenæi & Tertulliani dictis intellectu facile eſt. Nam *ſuis locis cathedræ Apoſtolorum præſidebantur*, quod ait Tertullianus, & *vacabant* ut ſcribit Cyprianus, non quòd illarum Eccleſiarum Epiſcopi fuerint Apoſtoli, ſed quia eaſdem fundantes & inſtruentes primos in illis collocârunt, quorum ſic authores & anteceſſores fuerunt, Epiſcopos. Ideò etiam Eccleſiam Romanã, quam *maximam, antiquiſſimam, & glorioſiſſimam*, vocat Irenæus, earum quas fundaverat Petrus præcipuam cenſentes veteres, *primam & principalem ejus cathedram* dixerunt; alias etiam Petri cathedras & Eccleſias agnoſcentes, ſed non uſque adeò populoſas, florentes & illuſtres.

Nec inde in Eccleſia Romana alio munere functus probatur Petrus quàm eo quod obierũt Joannes Smyrnæ, & Paulus Corinthi, ubi *ſederunt*, in cathedra utique, ut & *Petrus in Cathedra Romanæ Eccleſiæ*; quod ex Auguſtino proferens Bellarminus, nos minimè lædit.

Epip. hær. 27. Epiphanius paulò aliter cenſum Epiſcoporum Romanorum refert, ſed non alio ſenſu: *Epiſcoporum*, inquit, *in Roma ſucceſſio hanc conſequentiam habet; Petrus & Paulus, Linus, Clemens, &c.* Nempe, quia nomen Epiſcopi latâ ſignificatione, ex qua Actorum cap. I. Apoſtolatus *Epiſcopatus* dicitur, uſurpat, ideo uno vocabulo, quos differente ratione & modo Epiſcopos fuiſſe noverat, comprehendit. Nam Paulum Eccleſiæ Romanæ

Romanæ proprium & peculiarem Epiſcopum, reſtrictiore ſignificatione, non fuiſſe omnibus in confeſſo eſt; Epiſcopus igitur Romæ fuiſſe dicitur quod ibi Apoſtolatûs officio functus, Eccleſiam fundaverit; ut æquivocè, rationibusque differentibus, Paulo & Lino Epiſcopi Romani tribuatur titulus. Quia verò Petro & Paulo conjunctim unâ eadémque ratione id tribuit Epiphanius, ac ſi unus fuiſſent ambo illi Epiſcopus, certum eſt ad Pauli rationem reducendum potiùs in ea appellatione Petrũ, quàm ut à Paulo divulſus, cõtra Epiphanii mentem, in Lini & ſequentium ordine cenſeatur. Siquidem de utróque anteà ſic ſcripſerat ille idem author: *Romæ primi fuerunt Petrus & Paulus*, Apoſtoli ipſi & *Epiſcopi, deinde Linus, &c.* manifeſtè Apoſtolos & Epiſcopos ipſos fuiſſe notans, ut Apoſtolatûs Epiſcopatum ab Epiſcopatu inferiore quem alii obtinuerunt diſcernat. Eſt & in eodem Epiphanii loco notatu dignum quod docet, ἔτι περιόντων τῶν ἀποστόλων, adhuc *ſuperſtitibus Apoſtolis, alios conſtitutos fuiſſe Epiſcopos, quia frequenter in alias regiones*, propter Chriſti prædicationem, iter facerent, μὴ δύνασθαι δὲ τὴν τῶν Ῥωμαίων πόλιν ἄνευ ἐπισκόπου εἶναι, *non potuiſſe autem Romanorum civitatem ſine Epiſcopo eſſe: Nam etiam Paulus*, inquit, *in Hiſpaniam pervenit, & Petrus* πολλάκις Πόντον τε καὶ Βιθυνίαν ἐπεσκέψατο. Hæ verò ἐπισκέψεις, inſpectiones & viſitationes diſcurrẽtium Apoſtolorum, fuerunt Epiſcopatûs Apoſtolici propria exercitia; propter quæ neceſſum fuit proprios fixosque Eccleſiis conſtitui Epiſcopos, ut & Romæ, vivis Apoſtolis, factum eſſe memorat

Digitized by Google

Epiphanius; ſic ſedi Petri ad mortem uſque Romæ affixę clarè repugnans.

Eodem modo quo & Epiphanius potuit Euſebius Cæſarienſis Petro Romæ Epiſcopatum tribuere, nullo adverſariorū emolumēto. Verùm ſi ſcripſit idem quo in Chronici ſui verſione Latina, quæ Hieronymi eſt, legitur, *Petrus cùm primùm Antiochenam Eccleſiam fundáſſet, Romam proficiſcitur, ubi Evangelium prædicans XXV. annis ejuſdem urbis Epiſcopus perſeverat*: Si id inquam ſcripſit, certè in exploratum errorem incidit, & ex hallucinatione, contra hiſtoriæ à Luca conſcriptæ certiſſimam veritatem ivit. Hieronymus, in Catalogo, Euſebium ducem ſequutus, eadem de XXV. annorum Epiſcopatu Petri habet. Sic etiam eorumdem oculis proſpicientes univerſa ferè poſteriorum hiſtoricorum & chronicographorum turba. Epiphanius verò, etſi poſt Euſebium vixerit, ab eo errore ſibi cavit. Nec adverſarii ipſi noſtrorum hominum argumentis obruti, nunc id præſtare audent. Sed ex capite ſequente, ubi an Petrus Romæ fuerit, & quandiu Scripturis non refragantibus ibi commorari potuerit, diſquiſituri ſumus, ille Euſebii lapſus manifeſtior erit.

His omnibus addimus, neque ex Epiſcopatu quem vel XXV. annis continuò Romæ geſſerit Petrus, factum Bellarmini propriè probatum iri. Nec enim ipſo facto Epiſcopatûs Romani à Petro aſſumpti erectum ſupponit eum ad univerſalem Pontificatum, ſed ex peculiari inſtituto Petri quo *ſtatuerit ita ſedem ſuam*

ſuam Romæ figere, ut Romanus Epiſcopus abſolutè ei ſuccederet. Hujus verò inſtituti probationis nullā ſpeciem vidimus hactenus. *Non eſſe improbabile id apertè Dominum juſſiſſe* aſſerit quidem, ut anteà notavimus, Bellarminus; ſed vel Dominum juſſiſſe, vel ſaltem Petrum ita conſtituiſſe, nullis argumentis nititur demonſtrare. Ita adverſariis hunc cerebri ſui Mercurium fixum facere impoſſibile eſt.

Nos verò nihil prohibet ex deductis concludere, ædificium ſucceſſionis Pontificiæ, in ipſa compage & partibus non cohærens, ſponte ſuâ ruere; fundamentumq; adeò ipſum quod ſubſternitur nullum eſſe; cumq; verbi divini veritate, cum muneris Apoſtolici dignitate & conditionibus, & maximè venerandæ antiquitatis teſtimoniis, pugnans & adverſum exiſtere.

CAPUT VI.

Diſquiritur an Petrus Romæ fuerit, ibidémq; per multos annos manſerit, Eccleſiam fundaverit, & martyrio coronatus ſit.

HACTENUS ſolutâ quæſtione principali; Deóque ipſo in Scriptura ſua judice, & adſtipulantibus veterū ſuffragiis, ſecundùm Eccleſiarum noſtrarum ſententiam diremptâ controverſiâ; ipſoq; adeò fundamento Romæ affixæ ſedis Epiſcopatûs univerſalis Petri, veritatis tridente quaſſato: Nobis quidē nulla, pro cauſa noſtra tuenda, incumbit neceſſitas hæc ab adverſariis præ-

Digitized by Google

ſuppoſita facta negandi: 1. Petrum Romam veniſſe. 2. Ibi multos annos commoratum eſſe. 3. Romanam Eccleſiam fundâſſe. 4. Et Romæ mortuum eſſe. Verumtamen, ſi quæ ſecundo & tertio loco ſupponuntur, clarè falſa; quæ primò & ultimo dicuntur, adeo dubia eſſe ut nihil eorum ad fidem faciendam certò ſtatui queat, demonſtrari poſſit: Certè, omnes præcluſi erunt adverſariis aditus; ipſiſque Petri Apoſtoli prætextu quicquam ſibi aſſumendi, ne minima quidem rationis ſpecies ſupererit. In id ipſum obſervationes certiſſimas præmittemus.

I. Quod Scripturarum Canonicarum teſtimoniis factum clarè cōfirmatur, adeo verum eſt & certum, ut fide divinâ, quâ ſcilicet Deum veracem eſſe in cordibus noſtris obſignamus, credendum ſit neceſſariò.

II. Par etiam eſt neceſſitatis ratio, quæcumq; in ſcriptis quorumcumque hominū veritati illi divinæ adverſātia narrātur, vel præſuppoñūtur, rejiciēdi; quatenus, nēpe, & in genere humanum eſt falli, & in ſpecie, etiam, exquiſitiſſimi ingenii & pietatis eximiæ viris, Spiritu Sancto extra ordinem non afflatis, vel memoriæ lapſu, vel judicii ex inadvertentia defectu, ſæpè errare contingit. Nec enim ſemper in omnibus æquè attentos habent animos, & aliquando ſomnus obrepit.

III. Quod tamen ab ejus temporis, quo res geſta eſt, hiſtoricis compertæ fidei narratur, & in quo omnes conſentiunt, pro certo & indubi-

dubitato habetur, & fide humanâ, ad humanum teſtimonium relatâ, creditur.

IV. At ubi variant hiſtorici, vel rumoribus diverſis tantùm, aut famâ variè ſparsâ, nituntur; aut non eo ſeculo quo res geſtæ ſunt vixerunt ipſi, vel ejuſdem temporis authorum certa non proferunt teſtimonia; quando etiam narrationibus circumſtantias admiſcent compertæ veritati repugnantes: Tum revera, ſi quod narratur non certò falſum eſt, ſaltem incertum eſſe, & dubiæ veritatis certiſſimum eſt.

V. Eſt etiam notandum, prǣter ſacrorum librorum ſcriptores, nullos probatæ fidei nobis ſuppetere Apoſtolici ſeculi authores, qui ut oculati teſtes, vel cum talibus verſati, earum rerum de quibus Scriptura tacuit, vel humanæ, quam diximus, certitudinis fidem faciant. Illa enim tempeſtate, veri fideles afflictionibus tolerandis & actibus fidei edendis, potiùs quam factis ſuis deſcribendis occupabantur. Alii verò fabulas, quæ populo placerent, in angulis texuerunt, & libellos erroribus ſcatentes, quos ut apocryphos priſca damnavit Eccleſia, conſcripſerunt. Ita ſequentium ſeculorum authores, vel in ſtercoribus ejuſmodi ſcriptorum aurum legere conati ſunt, vel ex rumoribus, pro ſtudiorum diverſitate, variè ſparſis & diſſeminatis, nonnulla eo ſeculo geſta, ut potuêre, collegerunt.

VI. Hinc in nonnullis illius ſeculi factis, de quibus maximè conſtare debuit, & faciliùs potuit, mira occurrunt dubia. Nam, exempli gratia, quid certius & notius eſſe debuit ordine

ſucceſſionis Epiſcoporum ejus urbis in quam confluebant ex univerſo orbe fideles, ubi erat Eccleſia notiſſima & omnium florentiſſima; ut conſtaret quis primus vel ſecundus Epiſcopatum geſſerit? Attamen IRENÆUS natione Græcus, & Gallus Epiſcopus, Linum primo, Anacletum ſecundo, & Clementem tertio loco recenſet. EPIPHANIUS autem, Græcus, de primo & tertio cum Irenæo conſentiens, Cletum, Anacleti loco, Lino & Clementi interſerit.

Iren. cont. hær. lib. 3. c. 3.

Epiph. hær. 7. vel 27.

OPTATUS verò, Epiſcopus Africanus, Linum quidem primum in catalogo ponit, ſed Clementem ſecundum, Anacletum verò tertium facit. Verùm TERTULLIANUS, & ipſe Africanus Presbyter, Epiphanio & Optato antiquior, Lini, Cleti & Anacleti nuſquam meminit, & Romanæ Eccleſiæ primum Epiſcopum Clementem à Petro ordinatum recenſet. HIERONYMUS item, in Catalogo ſcriptorum Eccleſiaſticorum, ait *plurimos Latinorum putare ſecundum poſt Petrum Epiſcopum fuiſſe Clementem.* Idipſum & Clementi, in fictitia Epiſtola ad Jacobum fratrem Domini, affictum eſt. Quis nunc pro Irenæo, & aliis ipſum ſequentibus, contra Tertullianum, alioſque ab eo ſtantes, pronuntiet? Quis item ex Tertulliano adverſus Irenæum definiat? Nam qui pugnantia conciliare conetur, laterem laverit.

Opt. lib. 2.

Tertull. de præſc. cap. 11.

Hier. in cat. in Clem.

Bellarminus dicit Clementem à Petro ordinatum, ex modeſtia, ceſſiſſe Lino, deinde Cleto; quia, in vivis agentibus Apoſtolis, Eccleſiam adminiſtraverant. At Irenæus contra, Apoſtolos Epiſcopatum Lino tradidiſſe, eique ſucceſ-

ſucceſſiſſe Anacletum, & Anacleto Clementem, refert. Certè ſi Clemens ordinatus à Petro Epiſcopus, ceſſit Lino, jam Linus ab Apoſtolis traditum Epiſcopatum non accepit: Si verò Linus accepit, Clemens non ceſſit, nec primus ordinatus fuit. Deinde, Bellarminus, præter contradictionem manifeſtam illam quæ uſque manet, ſub modeſtiæ prætextu, Clementem muneris & officii demandati deſertorem, adverſus vocationis divinæ neceſſitatem injunctam, facit. Linum etiam, ut alieni muneris (quod ad ipſum, ex ceſſione modeſtiæ adverſus vocationis divinæ neceſſitatem, pertinere non poterat) uſurpatorem traducit; & Anacletum pariter. Atque adeò, ex illa hypotheſi, tandem Clemens illis ſuccedens, non ſucceſſerit Petro, ad cujus ordinationem non habuerit reſpectum, ſed uſurpatoribus; & ſic ſequentes.

Nos quidem, quæ pugnant conciliare minimè ſtudemus; repugnantiæ tamen ſive variationis occaſionem, rectiùs conjicientes, ex Scripturæ & veterum doctrina cum miris hiſce cenſuum diverſitatibus comparata, animadverſuri veritatem ipſam aſſequemur. Plures erant tempore Apoſtolorum in una Eccleſia *Epiſcopi*, ut ex Epiſtola ad Philippenſes conſtat. Sic, nempe, vocabantur *Presbyteri, quorum communi conſilio* (ut in Ep. ad Tit. cap. 1. obſervavit Hieronymus) *Eccleſiæ gubernabantur*. Poſteà verò, ut *Schiſmatum occaſio tolleretur*, factum eſt *Eccleſiaſticâ conſuetudine, non Dominicæ diſpoſitionis veritate, ut unus cæteris præficeretur* & *Epiſcopus* diceretur.

Phil. I. I. Omnibus ſanctis in Chriſto Ieſu qui ſunt Philippis, cum Epiſcopis & Diaconis.

Itaq; fama indiſtinctè Linum, Cletũ, Anacletũ, Clementemq;, primos Epiſcopos, poſt Apoſtolos fundatores, vel Clementẽ, Anacletum, Linum, &c. non certo ordine, publicaverat; quia, nempe, ſimul & eodem tempore, ex ordine illo primo, Eccleſiæ Romanæ Epiſcopi erant. Poſteri verò, ſub altero illo cõſuetudinis Eccleſiaſticę ordine cõfirmato, nati, ad ejuſdẽ normam Epiſcoporũ Romanorum Catalogum texẽtes, collegas illos cõmuni conſilio Eccleſiã regẽtes, ut anteceſſores & ſucceſſores, ordine ſubrogationis recenſuerũt. Et quia diverſis locis degentes id conati ſunt, in eundẽ cenſûs ordinẽ, cùm non cõtuliſſent, convenire illos haud contigit. Inde quibuſdã ordo non idem, perſonis non diverſis in ordine cõprehenſis. Sed alii, cùm viderẽt non cõvenire cũ rationibus temporũ tot ſibi ſuccedentes eo ſeculo Epiſcopos, quoſdã è ſerie expũgere maluerũt. Hęc ſua ſe cõnexione cõfirmãt, ut & rerũ eo tẽpore geſtarũ incertitudinẽ.

Ut autem quatuor illis de facto propoſitis quæſtionibus, obſervationes ſubjunctas applicemus, animadverſione dignum eſt. I. Earum rerũ omnium nullã ex S. Scripturis probationẽ ſuppetere, nec poſſe ab adverſariis veras confirmari, quemadmodùm Paulũ habuiſſe penulã, (unde exemplum petere Bellarmino placuit) ex Epiſtola ad Timotheum ſecunda, verum eſſe conſtat; ideóq; nec fide divinâ eas credi poſſe.

Ne tamen omnino nihil conari videantur Pontificii, è Scripturis proferunt ſalutẽ quam Petrus, Epiſt. 1. cap. ultimo, nomine *Eccleſiæ quæ eſt in Babylone*, dicit; indeq; Romã eum ſcripſiſſe inferunt.

inferunt. Et verum eſt, ſanè, quod aſſumunt, in Apocalypſi Babylonis nomine Romam myſticè deſignari, ut ex plurimis circumſtantiis evincitur. Sed in Epiſtolæ, ſimplici ſtylo conſcriptæ, Epilogo myſteria captari non eſt in uſu; nec ullæ circumſtantiæ loci, vel rationes propoſiti, à propria & literali nominis acceptione diſcedere cogunt, vel etiam ſuadent. Itaque illa ex myſtica ſignificatione vocabuli, hoc loco, argumentatio, inopiæ probationis profeſſio eſt potiùs quàm rei confirmandæ probatio.

II. Utrum, verò, Scriptura illis facti præſuppoſitionibus, ab adverſariis poſitis, conſentanea vel diſſentanea habeat, ex iis quæ de Petri actis & peregrinationibus, aliiſque ad hanc quæſtionem pertinentibus, continet, judicium faciendum eſt.

Certiſſimum eſt Petrum Cæſareæ primùm, apud Cornelium, qui eum ex civitate Ioppe accerſiverat, Gentibus, ex revelatione Dei, Evangelium annuntiâſſe, Act. 10. Idque eo tempore quo *Eccleſiæ per totam Iudæam & Galilæam, & Samariam, habentes pacem ædificabantur*. Nam hac tran- *Act. IX. 31.*
quillitate notatâ, Lucas immediatè poſt ſubjungit, *factum eſſe ut Petrus, per omnes tranſiens, deveniret etiam ad ſanctos qui habitabant Lyddæ*, unde rogatus, *v. 32.*
Ioppen petiit, *manſitque ibi diebus non paucis*. Inde à *v. 42.*
Cornelio vocatus, Cæſaream venit; & quum *Act. X. 48.*
permanſiſſet ibi *aliquot dies*, aſcendit Hieroſolymam, *& XI. 2.3.*
ubi facti ſui rationem reddens, ordine omnia expoſuit. Hæc Act. XI. cap. uſque ad verſ. 18. narrantur. Subjungit Lucas, immediatè poſt, Antiochenorum converſionem, non quòd in

eos dies præciſè incidiſſet, ſed quia viſum eſt ipſi quæ alibi evenerant notatu maximè digna, à temporib. diſperſionis ex oppreſſione Stephani factæ, (quam pax illa Eccleſiarum commemorata ſubſequuta erat,) quaſi regreſſu quodam hi-
Act XI. 20. ſtoriæ, narrare. Quidam igitur *Cyprij & Cyrenen-*
21. *ſes*, eâ de causâ diſperſi, *Antiochiam ingreſſi, loquuti ſunt Græcis Evangelizantes Dominum, multúſque nu-*
v. 21. *merus converſus eſt*. Id quum reſciviſſet *Eccleſia quæ erat Hieroſolymis, emiſerunt Barnabam ut pergeret Antiochiam*; unde etiam ille *abiit Tarſum ut requireret Saulum, quem inventum duxit Antiochiam: factúmque*
v. 26. *eſt ut annum totum congregarentur in Eccleſia, docerentque turbam multam, & diſcipuli nominarentur primùm*
v. 27. *Antiochiæ Chriſtiani*. Per id tempus, ab *Agabo præ-*
v. 28. dicta *fame*, quæ *etiam fuit ſub Claudio Cæſare*, miſerunt Antiochenſes diſcipuli *ſubventionem fra-*
v. 29. 30. *tribus qui erant in Iudæa per manum Barnabæ & Sauli*.

Fuit is ſecundus Pauli, poſt converſionem ſuam, in Hieroſolymam aſcenſus, quando cum Petro, Ioanne, & Iacobo contulit, ut ipſe refert Epiſt. ad Gal. cap. 2. Petrus igitur tum Hieroſolymis erat, Cæſareáque & aliis locis omnibus, quos pertranſire propoſuerat, redierat. Accidit autem id, eodem Paulo teſte, *interjectis quatuordecim annis*, poſt primum aſcenſum, cujus meminerat anteà, id eſt anno Chriſti LII. & Claudii X. vel, certè, XIV. annis poſt converſionem Apoſtoli, id eſt anno Domini XLIX. & Claudii VII. Porrò, tum laborum & fructuum præteriti temporis rationem habentes Petrus, Ioan-
Gal. II. 7. nes, & Iacobus, *viderunt* Paulo *concreditum Evangelium præputij*, *ſicut Petro circumciſionis*; & notat ipſe

ipſe Paulus, *eum qui efficax fuerat per Petrum ad Apoſtolatum circumciſionis, efficacem fuiſſe etiam per ipſum apud Gentes.* v. 8.

Petrus igitur, qui Cæſareæ in familia Cornelii ſpicilegium Gentium fecerat anteà, non tamen plenam eorumdem meſſem, cujus gratiâ Romam ipſam caput Gentium ſe contuliſſet, aggreſſus erat: Nec etiam tum ſe facturum in poſterum recepit. Quinimò, *cùm cognoviſſent gratiam* Paulo *datam, Iacobus & Cephas, & Ioannes, dexteras ſocietatis dederunt Paulo & Barnabæ, ut illi apud Gentes, ipſi verò apud circumciſos Apoſtolatu fungerentur.* v. 9.

Hîc autem obiter, & in tranſcurſu, ex Antiochenæ Eccleſiæ, Paulique in ea converſationis, hiſtoria quam uſque ad ſecundam Apoſtoli Hieroſolymam profectionem deduximus, falsò Eccleſiæ illius fundationem Petro tribui notabimus; quia quam à diſperſis quidem inchoatum fuiſſet converſionis Antiochenorum opus, Paulus & Barnabas inſtruxerunt & fundârunt Eccleſiam, & conſtituto firmatóque ordine, eam ſtabiliverunt exquiſitiſſimè, tum temporis quo Petrus vel alias Eccleſias pertranſiens Cæſaream venerat, vel Hieroſolymã regreſſus, ibidem permanſit, donec in carcerem conjiceretur. Patet etiam cum veritate non conſentire Leonis I. illud de Petro dictum: *Iam Antiochenam Eccleſiam, ubi primum Chriſtiani nominis dignitas eſt orta, fundaveras;* quaſi prædicante, & Eccleſiam illam fundante Petro, Chriſtiani primùm dicti fuerint, quod docente Paulo re vera factum Scripturâ teſtatur. Ibi tamen Leo, qui Petrum poſtquàm fundaſſet *Eccleſiam Antiochenam,* *Leo, de nat. Petr. & Paul. ſer. 3.*

Pontúmque, Galatiam, Cappadociam, Aſiam atque Bithyniam legibus Evangelicæ prædicationis implevißet, trophæum crucis Romanis arcibus intuliſſe dicit; Leo, inquam, confirmat quod hactenus notavimus; ante hæc à nobis ex hiſtoria Sacrarum Scripturarum huc uſque relata, Petrum Romæ Evangelium non annuntiâſſe; ſicque Euſebii & ſequacium de XXV annis errorrem manifeſtum eſſe.

Poſt Petri & Pauli conventum, & inter eoſdem diſtributas operas, Petrus apud Iudæos remanſit, & Hieroſolymis cuſtodiæ traditus eſt,
Act. XII. 17. unde ab Angelo liberatus, *ſeceßit in alium locum*, quæ verba non longæ peregrinationis, aut magni operis novum propoſitum ſonant, ſed Petrum ſibi fugâ conſuluiſſe, indicant, receſſúmque quæſiiſſe, ut in tuto degeret, donec res in Iudæa miteſcerent, ut repentinâ morte tyranni accidit. Potuit tum temporis Antiochiam veniſſe Petrus, non ut Eccleſiam quæ rectè conſtituta erat fundaret, ſed in fuga ſua conſolationem & ſecuram ad tempus ſtationem quærens. Paulus etiam & Barnabas, qui anteà ibi *Spiritûs Sancti*
Act. XIV. 26. mandato *ſegregati fuerant* ad opus Domini, & poſt peragratas provincias *enavigaverũt Antiochiam unde commendati fuerant*, redeũtes Petrum ibi offendere potuerunt, eidémque tum Paulus *in faciem obſiſtere quod eſſet damnandus.* Siquidem, ex Epiſto-
Gal. II. 2. la ad Galatas, & narrationis Paulinæ ordine, hæc reprehenſio poſt ſecundum aſcenſum Pauli in Hieroſolymam facta indicatur. Nec tamen poſt ipſam in Concilio, in quæſtione obſervationis legalium ceremoniarum, certam & publicam definitionem, potuit ejuſmodi difficultatibus

bus ſupereſſe locus; ut neque poſt Barnabæ à Paulo ſeparationem, quæ paulò poſt Concilium accidit, hæc reprehenſio, cujus partem habuit, ille facta eſt. Spatio igitur inter ſecundum Pauli aſcenſum & celebratum Concilium interjecto, poſt evaſionem Petri hæc neceſſariò acta ſunt.

Inde conſtat non diu Petrum Antiochiæ commoratum, falſò ſtatui integrum ſeptennium ibidem ſediſſe. Nam & ſpatium temporis quod ab iis geſtis in Concilium ſequens ſupererat, breve fuit; & antequam excurreret, Petrus Hieroſolymam redierat; ſive ab iis *qui à Iacobo Antiochiam venerant*, quorum occaſione Petrus *ſe à Gentibus ſubduxerat & ſeparaverat*, acceſſitus; ſive alia de cauſa. Nam Antiochiæ *conſtitutum fuit ut aſcenderent Paulus & Barnabas ad Apoſtolos & Presbyteros Hieroſolymam, ſuper orta quæſtione.* Petrus verò Apoſtolorum, ad quos conſultendos itum eſt, unus fuit, & nominatim in iis qui ſententiam dixerunt recenſetur. Quum igitur Antiochiâ miſſos *ab Eccleſia & ab Apoſtolis & Presbyteris exceptos fuiſſe* dicit Lucas, Petrus in excipientibus, non in exceptis, cenſendus eſt. Et hæc in annum Chriſti L. vel LIII. & Claudii VIII. vel XI. incidunt.

Gal. II. 12.

Act. XV. 2.

v. 4.

Poſteà demum in Actis nulla Petri mentio eſt. Sed ex ejus epiſtolis patet illi curam diſperſæ circumciſionis fuiſſe, poſtquam collectam ædificâſſet; & Babylone, ubi [illegible] Iudæorum, ex tranſportatione, ingens erat numerus, *electam ſimul* Eccleſiam pavit. *Secundam* etiam diſperſis Iudæis *ſcripſit Epiſtolam ut eorum* (ait ipſe) *ſynceram mentem per ſubmonitionem expergefaceret,*

1. Pet. V. 13.

2. Pet. III. 1.

quod & ſibi, *quandiu in hoc tabernaculo eſſet*, iuſtum facere ducebat, *ſciens citò futurũ ut ipſum deponeret.* Illorum igitur commonefaciendorum *ſemper* (ſic ipſe, cap. I. 12.) & ad mortem uſque, ſive quandiu in tabernaculo eſſet, ſibi partes aſſumpſerat, & proculdubio ſedulò fecit; ſicq; in cõpacto inter ſe & Paulum inito permanſit. Et hæc quidem de Petro ex Scripturis ſacris. Paulus ab alia parte, Spartam quam nactus erat, in Gentibus Apoſtolatum exercendi, ſtrenuè exornavit. Siquidem, poſt Concilii *redditas* ubi congruum erat literas, & expoſita Apoſtolorum mandata, in Macedonia, & Theſſalonicæ, Athenis, Corinthi, Epheſique ſedulò Evangelium annuntiavit, *ita ut fortiter creſceret ſermo Domini & invaleſceret. His verò impletis induxit in animum Paulus, peragrata Macedoniâ & Achaiâ, proficiſci Hieroſolymam, dicens, Poſtquam illuc fuero, oportet me Romam etiam videre.*

Ibid. cap. I. 13. 14.

Act. XV. 30.

Act Cap. XVI. & XVII. XIX. 20.

v. 21.

Tum etiam hoc ſuum propoſitum Romanis ſcribens notum fecit, & *expetere ſe eos videre* teſtatus eſt, *ut impertiretur ipſis donum aliquod ſpirituale quo ſtabiliretur. Nolim enim* inquit, *vos ignorare, fratres, me ſæpè propoſuiſſe venire ad vos, ut fructum aliquem haberem inter vos quoque, ſicut & inter reliquas Gentes; Sed ſæpè inhibitus ſum venire ad vos. Quando verò proficiſcar in Hiſpaniam, veniam ad vos. Nunc autem proficiſcor Hieroſolymam, miniſtrans ſanctis*, Rom. XV. 22. 24. 25.

Rom. I. 11. 13.

Quorſum verò tanto Romam videndi deſiderio captus fuiſſet, ſi tum Petri tam inſignis Apoſtoli miniſterio fruebatur? Nam Petrus & Paulus in diverſa abire conſtituerant; nec ſuper alie-

alienum fundamentũ ędificare volebat Paulus. Verùm, ſanè, hæc eum cupido inceſſerat, quia ſe Romanorum Apoſtolum noverat, quibus *audaciùs ſe ſcripſiſſe* teſtatur, *veluti cōmoneſaciens eos, propter gratiam quæ data ipſi erat à Deo, ad hoc ut eſſet Miniſter Ieſu Chriſti apud Gentes.* Unde, itidem, ex proportione, agnoſcamus ideò Petrum ſibi diſperſos *ſemper commonendos* duxiſſe, propter gratiam ipſi à Deo datam ad hoc ut eſſet Miniſter Ieſu Chriſti apud circumciſos. Sic etiam in eadem Epiſtola Paulus, *Vobis dico Gentibus, quatenus ſum Apoſtolus Gentium; Miniſterium meum illuſtro.* Rom. XI. 13.

Hæc verò ſcribebat circa annum Chriſti LVI. & Neronis I. Nam *Priſcillam & Aquilam* nominatim in Epiſtola ſalutat. Atqui eos Claudii edicto, quo *Iudæos omnes Roma excedere juſſerat*, pulſos & *nuper ex Italia venientes*, Paulus Corinthum adveniens offenderat, & *quia ejuſdem erant artificij*, *apud eos manſerat*, ibidem. Quum igitur, poſt aliquot annorum ſpatium Hieroſolymam petens, ad Romanos ſcriberet, eorumdem ut iterum Romæ degentium, multorumque aliorum Iudæorum quos unà ſalutat, mentione factâ, poſt Claudii Iudęorum perſecutoris obitum, & Neronis regni mitibus initiis id fieri debuit. Rom XV. 2. Act. XVIII. 2.

Quod verò utriuſque ſexus plures nominatim ſalutat Paulus, & Petri quem ſalutandi gratiâ olim Hieroſolymam aſcenderat, nuſquam meminit, argumentum eſt certiſſimum illum non ibi tum fuiſſe, multóque minùs ſedem ſuam fixiſſe. Nam ridiculum eſt Baronii, aliam ſe-

paratam ad Petrum ſalutandum, unà cum hac publica, miſſam Epiſtolam comminiſcentis effugium. Dicas id in aurem illi dixiſſe tabellarium; quod neque conveniens fuit ut privatim tantùm ſalutatus, in publica ad Eccleſiam Epiſtola innominatus eſſet, ſi ibi tùm fuiſſet.

Poſt illam autem ad Romanos ſcriptam Epiſtolam, Paulus Hieroſolymam profectus eſt, ubi captivus factus, & Cæſareæ etiam, aliquot annos ſubſtitit; nec exiguum temporis ſpatium, inde in Italiam navigans, Romámque pergens, emenſus eſt. Romam igitur pervenit tandem circa annum Chriſti LVIII. & Neronis III. & ibi *manſit biennium integrum in proprio conducto*, prædicans regnum Dei, Act. XXVIII. 30. 31.

Narrat Lucas, *fratres* qui Romæ erant ad *Appii forum & tres tabernas* Paulo & comitibus obviam iviſſe, ſed à nullo Apoſtolo exceptos dicit, prout Antiochiâ Hieroſolymam advenientes Paulus & Barnabas ab Eccleſia & Apoſtolis excepti dicuntur, Act. XV. Quinetiam, ſi nihil aliud occurreret, ad probandum Petrum nondum tùm Romæ fuiſſe, nec ibi Eccleſiam fundâſſe, hæc obſervata ſufficerent: Iudæos, nempe, qui Romæ habitabant adeò ignaros fuiſſe Religionis Chriſtianæ, ut ejus non aliam haberent notionem quàm illi undique contradici. *Æquũ*, aiebant, *cenſemus ex te audire quid ſentias, nam de iſta hæreſi notum eſt nobis ubiq; ei contradici.* Num verò Petrus circumciſionis Apoſtolus, Romæ agens, ſuæ gentis homines erudire neglexiſſet, ut tandem ab Apoſtolo Paulo de Chriſto & ejus doctrina primùm edocerentur?

Act. XXVIII. 22.

Re-

Reſpondent quidam Claudii edicto ſolum vertere coactos omnes primo adventu Petri inſtitutos, alios deinde ſucceſſiſſe. Verùm hæc illis divinatio ſuccedere non poteſt. Nam improbabile eſt omnino, poſt aliquot annorum durum exilium redeundi poteſtate factâ, non ipſos expulſos, maximâ quidem ex parte, in proprias vel conſuetas ſedes rediiſſe, ſed alios continuò è propriis ſedibus eò conceſſiſſe.

Annis duobus, ex Luca commemoratis, elapſis, id eſt anno Neronis V. vel VI. Paulus arctiore cuſtodiâ detentus, *nullum in prima ſua defenſione ipſi aſtitiſſe, ſed* OMNES *ſe deſeruiſſe* conqueſtus eſt. Non igitur ibi tum Petrus, qui nihil ſublevando collegæ intentatũ reliquiſſet; quod neque Paulus tacuiſſet. Verumtamen, ita *Deus* famulum ſuum *corroboravit ut per eum certioraretur præconium, quod audirent omnes gentes.* Itaque Petrum per decurſum nobis hiſtoriæ deductione, ſpatium Romæ non fuiſſe conſtat; eoque factum ſecundum, quo plurimos annos, vel XXV. vel ejus ſpatii dimidium, vel etiam quadrantem, ibi Petrum docuiſſe præſupponitur, cum Sacræ Scripturæ veritate manifeſtum eſt pugnare. Cõſtat etiam, adversùs facti tertii præſuppoſitionem, eum non fundâſſe Eccleſiam Romanam, ſed Paulum credentes nonnullos, quorum anteâ fides laudata erat collegiſſe, multóſque alios, prædicatione ex Dei beneficio efficace, illis adjeciſſe, Eccleſiámque ſtabiliviſſe, in optimáque forma inſtructam reddidiſſe: prout Antiochiæ, anteà, ab ipſomet unà cum Barnaba, poſt

2. Tim. IV. 11.16.17.

Re-

Digitized by Google

quorumdam diſperſorum ex occaſione præparationem, actum fuerat. Sic, ex obſervationis noſtræ, ſecundo loco præmiſſæ, lege, certitudinem fidei, ad hæc quidem quod attinet, habemus contra humana ſibi parum conſtantia dicta, quorum nulla eſt adversùs claram Dei veritatem authoritas.

Reliquum eſt ut quæramus, num primi, & quarti, facti certitudo quædam humana ſit; ſive, an non ſaltem circa imperii Neronis finem, non ut Eccleſiam Romanam optimè à Paulo inſtructã fundaret, ſed aliâ occaſione, Petrus Romam venerit ibique anno Neronis XII. mortuus ſit.

Hier. in Cat. in Petr.

Hieronymus, in Catologo, *ad expugnandum Simonem Magum Romam perrexiſſe Petrum* dicit. Euſebius, item, *Petrum Romam verſùs ad ejuſmodi peſtiferam vitæ humanæ corruptelam delendam Dei providentiâ quaſi manu ductum.* Et, paulò poſt, exitum ſic exponit: ἡ μὲν τοῦ Σίμωνος ἀπέσβη καὶ παραχρῆμα σὺν καὶ τῷ ἀνδρὶ καταλέλυτο δύναμις. i. *Simonis extincta eſt actutum, & diſſoluta, unà cum viro poteſtas.*

Euſeb. Hiſt. lib. 2. cap. 13.

Epiph. hær. 27.

Baron tom. 1. ann 6. num. 13. & 10.

Epiphanius etiam, ante mortem Apoſtolorum extinctum Magum dicit; Unde conjicit Baronius *occaſionem* crudelitatis Neronis, fuiſſe *Magi amici interitum*; Petrumque *anno XII. Neronis Romam veniſſe.*

Sic Petrum Romam advenientem ad perdendum Magum, quem ſtatim extinxerit, quâ de cauſâ Nero in eum ſævierit, paucis tantùm diebus ibi vixiſſe, ex his unà conjunctis circumſtantiis præſupponitur. Nec etiam illa cum Petri, ad profligandum Magum anno Claudii II. adventu, vel adventus ille cum his, ſtare poſſunt.

ſunt. Ideò Baronius, ubi ſupra, ut ea quocumq; modo concilier, ſicq; hiſtoriæ authoritatē tueatur, dicit duos fuiſſe advētus: Unum, anno Claudii II quo Petrus Magum proſtraverit, duntaxat, non extinxerit: Alterum Neronis anno XII. quo eundem penitus deleverit. Sed commentum eſt purum, ipſis authorum ab adverſariis allegatorum dictis repugnans. Nullus enim eorum bis conflixiſſe Petrum ſcripſit; & omnes Magi extinguendi causâ veniſſe dicunt, & Euſebius ſtatim extinctum narrat.

Porrò quòd ille & poſt eum Hieronymus aliique multi, adventum Petri, & cum Simone conflictum ejus, anno Claudii II. contigiſſe notant, inde factum videtur, quòd apud Iuſtinum Martyrem, Irenæum, & Tertullianum, qui Petri cum Mago conflictûs nuſquam meminerunt, legerent *Claudii tempore erectam Simoni ſtatuam*, & famâ accepiſſent occaſione Magi Romam veniſſe Petrum ut cum eo confligeret, ea ſimul conjungentes, Petrum tempore Claudii veniſſe & conflixiſſe ſcripſerunt. Nam quo tempore ſtatua Simoni erecta fuerat, viſa eſt illis neceſſaria illa rumoribus diſſeminata Petri oppoſitio. Quia verò Apoſtolos ſub Nerone ſupplicio affectos fuiſſe fama erat conſtantior; hinc illis XXV. vel XXIII. annorum ſpatium Epiſcopatus Petri in urbe Roma decurrebat. *Iuſt. Apol. 2. Iren lib. . c. o. Tertull. apol. cap. 13.*

Iam verò, ſi ex prædictis duobus illis præſuppoſitis judicium faciendum eſt: Cùm tot annorum Epiſcopatus & Eccleſiæ Romanæ Petro attributa fundatio, ut & Antiochenæ inſtructio, dictùmque eâ de re Leonis, à veritatis luce,

falſi clarè convincantur; Cùm etiam ea de quibus ultimò quæritur, tandem in adventum Petri admodum ſerum, & eâ quâ dictum eſt occaſione, non firmis probationibus, & multis cum variationibus, præſuppoſitum recidant: Certè cauſæ ſubſunt non paucæ, nec pauci, cur valde ſuſpicemur falſa eſſe iſthæc omnia, & fabulæ quam hiſtoriæ propiora.

Mirari ſanè ſubit cur è locis remotiſſimis, ab ipſo ſcilicet Oriente, Petrum acciri neceſſe fuerit, qui furentis Magi veſanam potentiam, Eccleſiam Romanam, in qua præſidebat Paulus, perturbantem, ſolus reprimeret. Nempe, quia eundem Petrus Samariæ increpuerat, non alius Magi illius Dæmoni reſiſtere potuit? At Paulus
Rom.XV.19. Romanis ita ſcripſerat. *Non ſuſtinuerim quicquam loqui quod non effecerit Chriſtus per me, adducendis ad obedientiam Gentibus, verbis & factis, virtute ſignorum ac prodigiorum, virtute ſpiritûs Dei.* Nũ igitur quum Romæ eſſet, in Gentium conſpectu, & profligandus erat Magus, *potentia ſpiritûs* & virtus ſignorum ei hac in parte defuit, ut *ſuſtineret* id *loqui* & audire quod *Chriſtus factum per* ipſum noluerit? Quod idem ait ſe *nullâ in re inferiorem fuiſſe*
I.Cor. XII.5. *ſummis Apoſtolis*, & *indicia Apoſtolatûs ſui edita* apud Corinthios *cum omni tolerantia, per ſigna, & prodigia & virtutes*, num apud Romanos non eſt conſequutus? An *hac in re* Petro Apoſtolo minor compertus eſt; ut quia impar eſſet ipſe, alterum illum, ut longè ſuperiorem, accerſere neceſſum fuerit?

Hæc animo volventi mentem inceſſit earum fabularum, quas *Romanas* vulgus nuncupat, recor-

cordatio. In iis enim incantata fingitur ſylva, è qua ligna comportare nemo valeat, donec *Renaldus* quidam, (ſive is quem laudibus evehendum ſibi fabulator aſſumpſit,) varietate prodigiorum pavore concuti neſcius, primus cædendo aliis viam apetiat, ad id operis è longinquo accerſitus; utcumque exercitus ſylvæ proximus, & lignorum egens, heroibus invictiſſimis ſcateat. Certè qui rationes quibus Paulus Romanos videndi deſiderio ſe flagrare dicebat, cum iis quibus ductus Petrus dicitur ut Romam pergeret, contulerit, ab una parte divinum ſpiritûs Apoſtolici affectum ſuſpiciet, ab altera fingentium vanitatem deprehenſam averſabitur.

Torquati Taſſi argumentum.

Eſto verò, inquies, Fortè non fundaverit Eccleſiam Romanam Petrus, non in ea per multos annos Epiſcopatum geſſerit, nec ab Oriente etiam ad confligendum cum Mago, Paulo Romæ degente, eò advolaverit; fac circumſtantias non convenire, in earum annotatione authores non conſentire, nec admodùm cum veritate cauſam aſſignatam congruere: Attamen Romæ fuiſſe Petrum, & ibi mortuum eſſe uno ore aſſerunt omnes. Reſpondeo, eos omnes qui id affirmant, nullis primi ſeculi authorum certis teſtimoniis niti, iiſque rationib. quibus Petrum Romam adveherent ductos eſſe; quæ non tantùm parùm firmæ, ſed etiam incongruæ ſint, ideóque nullam vel humanæ certitudinis fidem facere poſſe. Equidem ſi hoc illis narrationis & aſſeverationis præcipuum eſſet, Petrum Romam veniſſe & ibi mortuum eſſe, eò inclinandum videretur. Verùm non ita eſt: Quod enim narratione

ſuâ præcipuè intendit Irenæus, illud eſt: Petrum & Paulum fundantes Eccleſiam Romanam Lino Epiſcopatum tradidiſſe; ex quo conſequens hoc elicias, Petrum fuiſſe Romę. Sed antecedente, ad fundationem quod attinet ex parte Petri, falſi convicto, & quoad Lini electionem, à Tertulliano & aliis contrariâ affirmatione negato, quid conſequente facias? Eadem ratio dicti eorum qui ad expugnandum Magum Petrum pergentem inducunt. Nam ſi fabuloſus fuerit ille conflictus, & fictitius erit eo nomine adventus, indéque præſuppoſitum à tyranno ſupplicium.

Nec tamen negamus abſolutè Petrum Romæ fuiſſe & ibidem mortuum eſſe; ſeu, non dicimus non fuiſſe eum Romę, nec ibi mortuum; ſed ejus probationes ſuppetere negamus, minimeq́; conſtare rationes cur eò veniſſe dicitur affirmamus. Et re vera, tot falſa, Scripturę adverſantia, in Paulũ Apoſtolũ injuria, vel de laudib. ejus iniquè demẽtia, eius sũt originis quę cętera omnia, vel inde pẽdentia, vel annexa, plus quàm ſuſpecta reddãt.

Atque adeò, omnib. expenſis, valde verendum eſt ne qui adverſus Archangelum, pro corpore Moſis quod latere voluit Dominus, decertavit, pari iniquitatis propoſito, & myſterio τῆς ἀνομίας promovẽdo, per Apocryphos authores, qui primis ſeculis nimiùm quàm multi fuere, de Petri ſupplicio & loco narrationes falſas ſparſerit; ſic cum Deo ipſo, cum Angelis, & Dei hominibus, decertans, ut ex iis quæ Deus nos latere voluit (quatenus nec in Scripturis tradidit, nec ullum primi ſeculi authorem ſuſcitavit ἀκίβδηλον, qui poſteris eorum fidem faceret) ſuperſtitioni alimen-

ta,

ta, regnóq; ſuo munimenta ſubminiſtraret: Verédum, inquam, ne malorum ille inventor falſos rumores diſſeminaverit, ut opus, aliquot poſt ſeculis interjectis excluſum, foveret; quod alioqui fundamento caret, neque etiam inde, apud eos qui omnia probãt, firmatum eſt: Atq; in id etiam ſuam operã ſtudio & affectu quodã, contulerint nonnulli quorũ mens non adeò iniqua fuit; alii verò, nihil mali ſuſpicatis purâ ſimplicitate, præeuntes ſecuti ſint; qui omnes, imprudentes, promoverint quod minimè ſtabilitũ cuperent, dum quiſq; ſibi lecta vel audita, nullo ad normam veritatis adhibito examine, referebat, eóque, authoritate ſuâ, à ſe non expenſa & contradictoria confirmabat. Sic autem ejus mali originem & progreſſum, res ipſa indicare videtur.

Paulus eximius ille Chriſti pugil, qui *impietatis myſterium* ſuo, etiam, tempore *peragi* præſenſit, prout ſupra alios omnes in tenebrarũ regno deſtruendo laboravit, ſic ſibi maximè infenſum, acriúſque reſiſtentẽ, Diabolum expertus eſt. Nullum iniquus ille non movit lapidẽ ut tanti Apoſtolatû dignitatẽ, quòd uberiores fructus produceret, depreſſam & vilem faceret. In id multos fraudulentos ſuſcitavit operarios, quorũ artibus, dum ſummis laudib. & præconiis aliorum, Petri inprimis & eorũ qui inter δοκοῦντες erant, eveherẽt Apoſtolatũ, contemptus miniſterii & doctrinæ Pauli ſenſim gliſceret. Et ii quidẽ in eo propoſito uſqueadeò promoverunt, ut vivo ipſo, etiá in iis Eccleſiis in quibus Apoſtolatûs ſui maxima reliquerat indicia, (ut Corinthi, & in Galatia,) ea perſuaſio prævaleret. Apoſtolus autem ſibi factam 2. Theſſ. II. 7.

injuriam, quam alioqui æquo animo tuliſſet, quò tenderet animadvertens, pro gloria Dei & Eccleſiarum ædificatione, ſuum Apoſtolatum, ejuſque dignitatem & fructus, cum fervore animi & zelo, doloſis illis reſiſtens, tuetur & defendit; ut in ejuſdem epiſtolis videre eſt.

Verùm, utcumque iis defenſionibus adverſariorum conatus pro tempore repreſſi ſint; poſteà demum, Apoſtolo è vivis exceſſo, ejuſdem illius hoſtis artibus, eò uſque recruduit malum, ut nobiliſſimæ & maximè inſignes totius orbis Eccleſiæ tres, Antiochena, Corinthiaca, & Romana, quaſi eas ſui puderet Apoſtoli, de Petro fundatore, adversùs manifeſtam ſacræ hiſtoriæ veritatem, gloriatæ ſint, & in hoc ſibi mutuas tradiderint operas. Inde ſedis Petri in eis conſtitutæ ſparſi ſunt rumores, qui unà cum ſplendore Eccleſiarum, ſeculis ſequentibus increbreſcentes, invaluerunt.

De Eccleſiæ Antiochenæ initiis & inſtructione, ut & de Romanæ fundatione, ſatis ſuperque diximus. Eas etiam Petri nomine ſuperbire notius eſt quàm ut probatione indigeat. Sed admodùm notabile eſt præcipuum maximæque authoritatis, ut & antiquitatis, teſtimoniũ quod profert Euſebius, ut probet Petrum Romę mortuum eſſe; Dionyſii nempe, Corinthiorum Epiſcopi, viri ſcilicet docti, & ex pietate ſuo ſeculo commendatiſſimi, qui in hæc verba ad Romanos ſcripſerat: *Petrum & Paulum iſti Romanos & Corinthios primùm in Eccleſiam Chriſti inſeruerunt, prudenti quadam admonitione impulſi, in unum locum concluſiſtis. Nam ambo cùm & noſtram Corinthi & veſtram Romæ*

Euſeb. lib. 2. cap. 24.

Romæ Eccleſiam fundâſſent, & ejuſdem doctrinæ præceptis tum veſtros animos, tum noſtros imbuiſſent, eodem tempore pariter martyrium ſubierunt. At ſcripſerat Paulus Corinthiis: *Etſi decem millia pædagogorum habeatis in Chriſto, at non multos Patres habetis, in Chriſto enim Ieſu per Evangelium ego vos genui.* Huic tamen Corinthiorum Epiſcopo non perſuaſit, cùm originem ſui Epiſcopatûs non tantùm ad Paulum unicum in generatione Corinthiorum in Chriſto Ieſu parentem, ſed etiam ad Petrum autorem & anteceſſorem referre, ad ſuam dignitatem pertinere duxit, & Romanis eodem morbo laborantibus pariter obtrudens palpum, avidè exceptus eſt. 1. Cor. IV. 15.

Hoc præcipuum & antiquius dixi teſtimonium Euſebii, quia quæ primo loco producit Caî verba, in diſputatione adverſùs Cataphrygam Proclum ſcriptis prodita, de Petro nihil formaliter exprimunt. *Ego*, ait ille, *Apoſtolorum trophæa perſpicuè poſſum oſtendere. Nam ſi lubet in Vaticanum proficiſci, aut in viam quæ Hoſtienſis dicitur, te conferre, trophæa eorum qui iſtam Eccleſiam ſuo ſermone & virtute ſtabiliverunt, invenies.* Petri nominatim non meminit, & potuerunt alii Apoſtoli Romæ ſupplicio affici, & Apoſtoli nomen generaliùs ſumptum latè extendi non eſt infrequens. Deinde quis credat Zephirini temporibus, quibus in Eccleſiam perſecutiones invaleſcebant, martyrum trophæa erecta, locis celebrioribus, in oculis Ethnicorum permanſiſſe? Aut igitur Caïus ille recentior eſt quàm Euſebio viſum ſit, aut confictum fuit & Caïo affictum quod ſcriptum reperit Euſebius.

Digitized by Google

Infirma, certè, ejuſmodi teſtimonia, ſuſpicionem falſi inducunt potiùs quàm ut rem probent; & circumſtantiis à narratoribus propoſitis, idipſum quod adfirmant pariter infirmatur. Siquem omnino abſurdè dicitur I. Petrum morti proximum eum Eccleſiæ Romanæ primum Epiſcopum ordinâſſe qui tertio tantùm loco Epiſcopatum geſſerit. II. *Capite deorſum ſtatuto, quia ſic perpeti cupiebat, cruci ſuffixum fuiſſe.* III. Poſtquàm Româ exceſſiſſet, ultro ſupplicium expetentem rediiſſe, quia illi occurrens Dominus dixiſſet, *Vado Romam iterum crucifigi.* Imò verè, poſt reſurrectionem, Petro manifeſtus factus Dominus dixerat, *Amen amen dico tibi, quum eſſes junior, cingebas te, & ambulabas quo volebas: quum autem ſenueris extendes manus tuas, & alius te cinget & transferet QVO NOLES. Hoc autem dixit ſignificans quâ morte glorificaturus eſſet Deum.* Quomodò quò noluerit, ſi ex perſecutorum manibus elapſus, ultro ad ſupplicium venit? Si eo etiam quo voluit modo ſuffixus eſt? Omitto rationis, cur ſic voluiſſe perhibetur, inſulſitatem, quâ pius Chriſti martyr, ſe cum Chriſto in cœlis regnaturum certiſſimè credens, pro ejuſdem nomine capite erecto ſuffigi, quòd ita Dominus paſſus eſſet, inconveniens duxiſſe, & de induſtria cum Chriſto in morte conformitatem vitâſſe, præſupponitur. Taceo, etiam, ineptias ſtatuentium ex arbitrio damnatorum formam ſupplicii præſcribi. Sic ſanè iniquitatis myſterium fabulis mendacibus peragi debuit; nec tamen ejuſmodi commentis & ineptiis quicquam promotum foret, niſi hominibus oculos claudere, ne veritatem perſpicerent, conſtitutum fuiſſet.

Euſeb. Hiſt. lib 3. cap. 1.

Platina in Petro.

Ioan. XX. 18 19.

Digitized by Google

Primae et secundae partis concluſio.

Ex his quæ hactenus tractavimus evidentiſſimè patet, I. Petrum nullum munus ſeorſim & ſeparatim à cæteris Apoſtolis collatum vel demandatum à Domino habuiſſe: II. Apoſtolorum nulli, ſubrogatione æqualitatis, in eundem honoris titulum, vel ejuſdem officij ſpecialitatem, à Miniſtrorum Eccleſiæ quoquam ſucceſſum eſſe: III. Omnibus verò illis, cum differentia & diſparitate, ab omnibus Eccleſiarum præpoſitis in communi, & à ſingulis in particulari pro aſſignata ſibi portione, ſuccedi: IV. Succeſſionem ſpecialem, citra ullam in authoritate & poteſtate eſſentiali prærogativam, ratione loci, earum Eccleſiarum Paſtoribus quas ipſi Apoſtoli inſtruxerant, attributam fuiſſe: V. Atque utut Petrus quidpiam ſupra collegas in quod ſuccederetur reliquiſſet, id Romanum Epiſcopum nullo proprio jure ſibi vendicare poſſe: VI. Petrum Eccleſiam Romanam non fundâſſe; prout nec erat in portione in qua ſibi peculiariter ex compacto laborandum aſſumpſerat: VII. Admodùm incertum eſſe an etiam Romam viderit: VIII. Ex ſtudiis iniquis, à primis authoribus, de Petri in urbem Romam profectione, & rebus ibidem geſtis & paſſis, falſos rumores diſſeminatos eſſe, quos in cordis ſim-

plicitate collegerunt, aliiſque tradiderunt, viri boni hac tamen in parte non ſatis cauti: IX. Tandem ex eo quòd, iis poſitis fundamentis, horrendum ædificium invectæ in Eccleſiam tyrannidis ſuperſtructum eſt, Satanæ patris mendacii, & fabularum in hoc argumento multiplicatarum authoris præcipui, pateſcere dolos & artes, quibus quod occultè initio peragebatur iniquitatis myſterium confectum reddidit: & illi quidem promovendo multos minimè malos aliquam operam contuliſſe imprudentes, eòque utcúmque excuſandos eſſe; Nunc verò, quando res in propatulo eſt, id operis quocúmque modo foventem, ut apertum veritatis divinæ & libertatis Eccleſiaſticæ hoſtem θεόμαχον videri.

LIBER-

Digitized by Google

LIBERTATIS ECCLESIASTICAE DEFENSIONIS

Pars tertia,

in qua demonſtratur

Quæ priſcis ſeculis, poſt Apoſtolorum tempora, de Romani Epiſcopi authoritate ſententia fuerit.

PRAEFATIO.

INGENS illa Papatûs arbos, quæ in hac ſæculorum fæce, exitialem planè, utcúmque gratam, ſub ea recubantibus infert umbram, terræ habitatorib. admirationis præbet argumentum. Siquidem, proceritate eximiâ, & ramis porrectis, ſpecies oculis carnis perelegans mirum in modum eos afficit queis ejuſdem ignota eſt origo, ménſque caligine obducta haud animadvertit illam

-Quantum vertice ad auras
AEthereas, tantùm radice in Tartara-

tendere, ex ipſóque adeò abyſſo aſcendere. Nam cùm nec à principio, ut anteà demonſtravimus,

Digitized by Google

Chriſti conſtitutione in agro Dominico plantata ſit, nec ſermonis divini ſementi reſpōdeat, ab hoſte ſatam, eòque tandem, juſtiſſimo Dei judicio, excindendam exurendámque eſſe neceſſe eſt.

At quibus eam commendare cordi eſt, ab ipſius initii prætextu & authoritate Dominicæ inſtitutionis, quam falsò obtendunt, dejecti, ad patres Apoſtolorum ſeculó proximos provocant, & eos *de Romani Epiſcopi authoritate paria cum hodierna Romana Eccleſia ſenſiſſe clamitant.*

Atque etiam certè, quòd Scripturæ ſacræ authoritate, ut fundamento fidei unico nitimur; quod illi arctè, ut par eſt, adhærentes, ex ejus teſtimonio, ab eóq; quod ab initio factum inſtitutúmq; docet, adversùs omnia quęcumque ut antiquis dicta, imo & quę ut ab Angelo è cœlis annunciata, Scripturis illis clarè repugnantia adverſarii ipſi, vel alii quicumque, proferre poſſent, cōfidenter & intrepidè præjudicamus: Quod, inquam, hūc divinis Scripturis honorem deferendum cenſemus, ab ignaris rerum ita accipi ſolet, quaſi nobis adverſantes priſcæ Eccleſiæ Doctores ſentiamus, & quæ iis tribuunt Pontificii ſcripſerint credideríntque certiſſimè.

Quinetiam quia adverſariis notum eſt ſaltus ſylvásque veterum ſcriptorum, quò ſe proripiūt illi, è vulgo nullos, & ex aliis admodùm paucos, peragrare; ideò audaciùs ſibi omnes Patres, & ubique, favere jactitant, quia nempe, verum an falſum ſit explorare hominum maxima pars nequeunt; multi verò qui poſſunt, illis dicentibus malint adhibere fidem, quàm examinis ſubire laborem.

Eſt

Eſt ſanè Scripturæ canon firmandis verâ fide animis ſufficientiſſimus, & notiſſima certiſſimáque omnibus præſto norma. Inde *non quid aliquis ante nos faciendum putaverit, ſed quid, qui ante omnes eſt, Chriſtus prior fecerit*, hoc eſt, *non hominis conſuetudo, ſed Dei veritas*, cui *debemus attendere*, *dicitur*; ut *nobis curioſitate non ſit opus poſt Chriſtum Ieſum*, *nec inquiſitione poſt Evangelium*. Nam Chriſtianorum fides certa & fixa, limitibus ſuis à tempore Apoſtolorum concluſa fuit; nec ultra eos excurrere, vel temporibus ſuccedentibus accreſcere aut decreſcere potuit, cùm poſteris in Apoſtolorum & Evangeliſtarum luce incedendum fuerit. *Cypri. lib. 2, Ep. 3.* *Tertull. de praeſcr. cap. 3.*

In caſum igitur qui ſuum, de Pontificis Romani ſuprema authoritate, dogma è cœlo eſſe demonſtrare nequeunt, idipſum firmare nituntur teſtimoniis eorũ hominum, qui cùm à Deo revelationem novam non acceperint, haud aliter quàm iis quę à principio conſtituta ſunt nihil adjiciẽdo, aut detrahẽdo, fideles eſſe potuerunt.

Quamobrem etiam, quum in ſuas partes adverſarii Patres trahere conantur, non tam ſui dogmatis contra nos probationem, quàm adversùs veteres Eccleſiæ Doctores accuſationem inſtituere eos notandum eſt; quaſi in eo quod peccant ipſi, ex conſortium multitudine conſolationem quærere, aut ſibi applaudere, vel ex errantium multitudine errori authoritatem conciliare, vellent.

Cæterùm ex iis quæ nobis hactenus, primâ & ſecũdâ hujus tractatûs parte, dicta ſunt, patet quàm de attributorũ Chriſti proprietate, de cõmuni Apoſtolorum poteſtate, de locorũ è Scri-

ptura productorum interpretatione, orthodoxè & ex analogia fidei ſenſerint; quomodo item ſucceſſiones Epiſcoporum omnium ad Apoſtolos retulerint, & rationem loci, nullâ de cætero eſſentiali in munere exiſtēte differentia, habuerint: Hæc, inquam, omnia clarè obſervata ſunt, ut Doctores illos à ſibi agnitis veritatis certiſſimæ fundamentis continuò deſciviſſe, Romanumque Epiſcopum Apoſtolis ſuperiorem, Chriſto ferè per omnia æqualem, feciſſe eos planè ſit impoſſibile.

Ne igitur de Eccleſia optimè meriti Doctores hanc contraxiſſe labem putentur, iiſque iniquè injuſta adhæreat macula; ut etiam iis qui ex falsò præſumpta ſententiæ eorumdem opinione erroribus imbuantur, adimatur mali occaſio: horum quidem præcipitium, cum illis verò factam injuriam commonſtrantes, larvam ementitæ antiquitatis detracturi ſumus, ut aſpicere volentium oculis novitatis turpitudo retegatur.

Hiſtoriam tamen *Papatus* integram, hoc eſt poſt Apellem pingere Venerem, ut inutile ſic temerarium foret. Non igitur mali, quod in immenſum tandem excrevit, progreſsûs, & omnibus ferè ſeculis renitentium oppoſitiones, minutatim perſequemur. Nobis impræſentiarum demonſtrare ſufficerit, *Proximo poſt Apoſtolorum tempora ſeculis ab Eccleſiarum præpoſitis regenda à pluribus ſimul, cum æqua poteſtate Eccleſia Catholica jus conſervatum fuiſſe; Neque tum unius ſingulare faſtigium, vel ſupremam in omnes authoritatem, vel poteſtatem, invaluiſſe.*

Capi-

CAP. I.

Quænam fuerit eorum Patrum qui ſecundo ſeculo, hoc eſt poſt centum à Chriſto nato annos ad ducenteſimum uſque, ſcripſêre, ſententia.

APOSTOLICI ſeculi ſcriptores nullos, præter ipſos Apoſtolos & Evangeliſtas, nobis ſuppetere notavimus hactenus. Verùm ex officina mendacii, in ſeculorum fæce, quando quorumdam improbitas & nequitia aliorũ ſimplicitati & ignorantię facillimè imponere potuit, multa primorum Eccleſiæ Romanæ Epiſcoporum nomine conficta prodierunt, Epiſtolę, nęποι, ineptæ, & talibus viris omnino indignæ, rudi ſtylo, & ſermone Barbaro Gotticóq; conſcriptæ, ut ex dictione ſola, hominum, pro temporũ & perſonarum ratione fingendi minimè aptorum, impoſtura ſit evidens. Ad rem verò quod attinet, priſcos illos Epiſcopos, quaſi in Hildebrandi ſchola edocti fuiſſent, loquentes inducunt; induſtrii, ſcilicet, juxta cum illo qui Alexandro Macedoni pronuntiatam orationem referens, Cæſareæ Majeſtatis compellationem inſerebat.

Non defuêre etiam in ipſa Eccleſia Romana, vel craſſioris ignorantię tẽporibus, antequàm veritatis exorta lux torpentia excitâſſet ingenia, qui emũctioris eſſent naris, quàm ut ipſis pro germano veterũ partu obtrudi poſſent ſuppoſititia illa: In queis Cardinalis Cuſanus, cõſcriptas Clementis nomine Epiſtolas, patribus incognitas fuiſſe *Cuſan. de Concord. Cath. lib. 3.*

annotavit. Hoc verò ſeculo, utcumque Turrianus, pro ejuſcemodi ſcriptorum authoritate & veritate tuenda, ſudaverit, ne ſuis quidem, quas magno conatu nugas nobis obtrudere voluit, perſuadere valuit. Baronius ſiquidem, omnibus expenſis & attentè conſideratis, ſcribit *iis non indigere Romanam Eccleſiam, ut ſi falſi arguantur, ſuis ipſa deſtituatur iuribus & privilegiis.* Et adbibuit, *ſe conſultò cùm agendum eſt nobiſcum de Eccleſiaſticis controverſiis, ab illarum* (Epiſtolarum) *citatione abſtinere, ne unis his armis indigere credatur quorum acies noſtris obiectionibus retuſa videri poßit*; addita in margine literis majuſculis hac admonitione, NON INNITENDUM APOCRYPHIS.

Annal. tom. 9. ann 865. §. 5. 6. 7. Id. tom. an. 102. §. 6. & 7.

SIC nunc quidem adverſarij nobiſcum litigantes à ſe eas quibus innitantur non produci aſſerunt, ne illarum falſitate detectâ, causâ cadant. Verumenimverò quod olim in eum uſum confictæ, etiam à pleriſque earum partium, ut authoritatis maximæ fideique indubiæ, productæ fuerunt, antequam noſtrorum argumentis earum acies retuſa eſſet; ipſius cauſæ quæ ſic defendi amat, iniquitatem manifeſtè prodit. Veritas, certè his armis non gaudet, ſed ea abominatur potiùs. Qui autem poſtquam ea induerunt, quia ſe iis nec ſatis tectos nec tutos eſſe experiuntur, illa deponunt & abjiciunt, ii, ſanè, non continuò malæ fidei crimine purgati ſunt. Nec de nihilo eſt quòd Papatûs zelatoribus adeò familiaris impoſtura ſemper fuerit.

Iis igitur omiſſis authoribus quorum prudentiores adverſarios pudet, à ſecundi ſeculi, ſive poſt Apoſtolorum tempora primi, probatis autho-

thoribus Ignatio Juſtino Martyre, Irenæo, Clemente Alexandrino & Tertulliano, ducendum nobis principium eſt. Et in eorum quidem ſcriptis notatu dignum eſt, ſupremæ illius Romani Epiſcopi authoritatis nullam factam eſſe mentionem, utcumque eam hodie tāti faciant Pontificii ut ex ejus fide, vel potiùs falſa præſumptione, Chriſtianum verum & orthodoxum ab hæretico & ſectario diſcerni velint.

Iis temporibus Eccleſia diverſi generis hæreſean fluctibus ſic agitata fuit ut nunquam magis. Gnoſtici latè ſub Baſilidianorum, Carpocratianorum, Valentinianorum, Cerdoniorum, variis ſectis diffundebantur; Et iis malis altera peſtis Marcion acceſſerat. Omnibus autem erat in more poſitum *cùm ex Scripturis arguerentur, in accuſationem converti ipſarum Scripturarum*, & dicere, *Non poſſe ex iis inveniri veritatem ab his qui neſciant traditionem*; cujus traditionis ſe etiam ut ſibi propriam venditabant, *traditionem quæ erat ab Apoſtolis & per ſucceſſiones presbyterorum in Eccleſiis cuſtodiebatur* nihil morati; & ſic *eos neque Scripturis neque traditioni conſentire* contingebat. Iren. lib. 3. cap. 2.

Tum, certè ſi unquam, gladius ille ſupremæ poteſtatis Romani præſulis, reſecādis hęreſibus, evaginandus fuit; tum authoritas illa Scripturis traditionibúſque, ſcilicet, potior, ex qua blaſphemis illis, nec Scripturis nec traditionibus cōſentientibus, iretur obviam, adhibenda erat, ut tanquam fræno injecto furentes reprimerentur, vel deſperatæ malignitatis homines petito jugulo conficerentur. Tum, inquam, neceſſarium fuit maximè patribus pro veritate ſtantibus,

Digitized by Google

de poteſtate illa ſuprema quæ Scripturis & traditionibus authoritatem conciliet, ex qua etiam, ubi de fide naſcuntur controverſiæ, judicia infallibilia, quibus adverſari nefas ſit, emanent, apertè & clarè tractare.

Nec ſanè doctis & piis Eccleſię Doctoribus defuit voluntas vel induſtria quâ blaſphemis opponerent quod iis ſiſtendis erat aptiſſimum.

Id. ibid. *Adversùs tales*, ait IRENÆVS, *certamen nobis eſt, more ſerpentum lubricos, VNDIQVE fugere conantes. Quapropter VNDIQVE reſiſtendum eſt illis.* Nihil, profectò quod uſui eſſet omittendum ratus. Videamus igitur quam in adeò urgente neceſſitate, *undique* utilia conquirens, opponat authoritatem. Nam ab eo ne latum quidem unguem recedere ſtatuimus.

Iren. lib. 3. cap. 5. & 1. Duos profert probandi modos, quos *oſtenſiones* vocat, quòd ex iis veritatem oſtenderet. Prima illi neceſſaria & fundamentalis oſtenſio, eſt *ex Scripturis eorum qui & Evangelium conſcripſerunt Apoſtolorum, quia non per alios diſpoſitionem ſalutis noſtræ cognovimus quàm per eos, per quos Evangelium pervenit ad nos quod quidem tunc præconiaverunt poſtea verò per Dei voluntatem IN SCRIPTVRIS nobis TRADIDERVNT FVNDAMENTVM ET COLVMNAM FIDEI noſtræ futurum.* Inde ſolidè doctrinam veritatis probat, plurimáſque ſpeciales primi generis oſtenſiones, ſive probationes, in omnibus ſuis libris ducit; Et hoc etiam libro tertio, unde dicta hæc nobis deſumpta ſunt, cùm capite primo ſic probare orſus eſſet, interjectis tribus tantùm capitibus ſecundariâ oſtenſione alterâ apertâ & breviter deductâ, capite quinto

ad

ad eam quæ eſt ex Scripturis oſtenſionem redit. Porrò ſecundaria illa oſtenſio *traditionis* eſt, ſive *vivæ vocis* & *prædicationis*, quæ continuâ Presbyterorum ſucceſſione ab Apoſtolis, in Eccleſiis quas inſtruxerant, obtinuerat; quatenus ſic tradita doctrina obſervari & notari poterat. Inde *ἀνασκευὴν* ſive negativam duntaxat, inſtituit, ut quia doctrina per vivam vocem in Eccleſiis Apoſtolicis prædicatione verbi, communiter tradita nihil haberet *quale ab his delirabatur*, inde & eorum hæreſes redarguerentur.

Hanc verò probandi rationem, ex hæreticorum hypotheſibus, ut apud eos valeret, maximè confirmat. Quia enim *iis ignotam dicebant veritatem qui neſcirent traditionem, quòd non tradita eſſet per literas ſed per vivam vocem, ob quam cauſam & Paulum dixiſſe, ſapientiam autem loquimur inter perfectos*, ideò ſubjungit Irenæus: *Si recondita myſteria ſciſſent Apoſtoli quæ ſeorſim & latenter ab reliquis perfectos docebant his vel maximè traderent ea quibus Eccleſias ipſas committebant, quos valdè perfectos & irreprehenſibiles volebant*. Atqui, inquit, *habemus annumerare eos qui ab Apoſtolis Epiſcopi inſtituti ſunt in Eccleſiis, & ſucceſſores eorum uſque ad nos, qui* NIHIL TALE DOCVERVNT, *neque cognoverunt quale ab his deliratur*. Ex quibus verbis ipſa concluſio evidens eſt, deliria fuiſſe hæreticorum quæ ipſi pro traditionibus venditabant Apoſtolorum.

Neque verò ſubſcribebat Irenæus hæreticorum, de traditionibus, & Paulini loci ſenſu, dictis & concluſionibus; ſed inde urgens adverſarios, aſſumit Apoſtolos, ſi ſeorſim & latenter per-

fectos, ut illi hæretici volebant, perfectos docuiſſent, cum vel maximè docturos fuiſſe eos quibus Eccleſias cõmittebant; tãdemque, perquiſitione factâ, concludit inanem eſſe erronũ iactantiam.

Reverà, etiam, utcumq; traditio vivæ vocis non ſit principium ex quo articuli fidei, citra Scripturam, ſtatui queant, ut tum quidem hæreticis illis, & nunc etiam Pontificiis, viſum eſt: eſt tamen optima traditionem obtendentes vanitatis arguendi ratio, quando ex veterum & Apoſtolis ſuccedentium, per quædam ſecula, Doctorum ſcriptis & monumentis, vivam nobis eorundem vocem & doctrinam exprimentibus, oſtenditur vel contrarium ſenſiſſe eos, vel certè nihil docuiſſe ejus quod ut traditione acceptum obtrudere nituntur ii quibus reſiſtimus. Sic hæreticis ſui temporis Scripturarum lucifugis Irenæus traditionis ademit prætextum. Sic & nos Pontificiis, qui dum ex Scriptura, fundamẽto & columna veritatis, arguuntur, à patribus per manus acceptis traditionibus dogmata ſua cõfirmari gloriantur; iis, inquam, ejuſmodi oſtenſione reſiſtimus, quum, ordine productis veterum Doctorum teſtimoniis, *nihil eos tale docuiſſe neq; cognoviſſe quale ab his* de Romani Pontificis ſuprematu *deliratur*, manifeſtum facimus. Tantùm igitur abſumus ab ejus generis rejicienda oſtenſione & diſputandi ratione, ut hac tertiâ diſſertationis noſtræ parte hoc ſolum agamus, poſtquã primam ex Scripturis oſtenſionem, in ſecunda, ex patrum monumentis, ad *ἀνασκευὴν* eorum quæ falsò traditioni Apoſtolicæ adſcribuntur, perſequenda laboremus.

Por-

Porrò hæc agendi ratio, inquiſitionis eſt factorum, ſive dictorum; ex queis conjunctim cõſideratis, de facto traditionis ſive doctrinæ traditæ fiat judicium, nõ autem ſimpliciter de jure ſic tradendæ. Ideò ſinguli teſtes producti, ſive Paſtores ſint, ſive Eccleſiæ, non conſiderãtur quaſi ipſorum dicta eſſent per ſe judicia, vel, ex privilegio quodam infallibilitatis, rei ipſius quæſitę definitiones. Eccleſiarum etiam ab Irenęo maximè habita eſt ratio, quatenus promptum erat earum ab Apoſtolis ſuccedentes annumerare, & per ſuccedentium gradus, in tradita ab iiſdem ſucceſſivè doctrina inquirẽda, ad Apoſtolos aſcendi poterat: Authoritatis verò definiendi ſpecialis nulla habita ratio eſt. Nam ex hypotheſi adverſariorum, ad Romanam duntaxat, ob ſucceſſionem Petri, attendendum fuiſſet, nec ejus ordinis plures eſſe poterant. At Irenæus agnoſcit multas fuiſſe Eccleſias quarum teſtimonium in hoc genere inquiſitionis produci potuiſſet, ad eámque quam inſtituebat oſtenſionem aptum erat.

Verumtamen, prolixitatis vitandæ cauſâ, compendium quæſivit Doctor hic noſter. Et *quoniam*, ait ipſe, *valde longum* fuiſſet, *in tali volumine, omnium Eccleſiarum enumerare ſucceſſiones*, ideò cap. 3. quaſdam ſelegit notabiles & inſignes, ex queis ſuam inductionem faceret: Romanam inprimis ut *maximam, antiquiſſimam & omnibus cognitam, à glorioſiſſimis duobus Apoſtolis fundatam & conſtitutam: ut annuntiatam hominibus fidem & quam habebat ab Apoſtolis traditionem, per ſucceſſiones Epiſcoporum ad ſua tempora pervenientem, indicans confunderet eos qui præterquam quod oportet colligebant;*

Et indicandę traditioni quę in Eccleſia Romana obſervari poterat, aliquot implet paginas.

Verùm, immediatè poſt, & eodem capite, in Eccleſiæ Smyrnenſis traditione, quam Polycarpus à Joanne & alii à Polycarpo didicerant, indicanda æquè prolixus eſt: Tandémque, ut in ore trium teſtium firmaretur verbum, concludit: *Sed* ET *quæ eſt Epheſi Eccleſia à Paulo quidem fundata, Ioanne autem permanente apud eos uſque ad Trajani tempora*, TESTIS EST *verus Apoſtolorum traditionis.*

Selecti igitur ex multis aliis tres tantùm teſtes in ea perquiſitione Irenæi fuêre, quia ob famam & notitiam præſto erant, & ſufficiebat numerus. Romana verò Eccleſia quæ nunc ſingularitatis faſtigium ſibi arrogat, alias hîc habet adjunctas, quæ omnes unà in quæſtione facti producuntur ut *teſtes*; nulla ut judex in controverſia juris ad fidem pertinentis auditur. Ubinam igitur Eccleſiæ Romanæ infallibilitatis privilegium ſingulare, judiciorúmque ejus authoritas ſumma, ſeu Epiſcopi Romani ſupremacus? Nam qui ſic oſtenſiones ſuas perſecutus eſt, ut undiquáque ſive *undique* adverſariis reſiſteret, nullum inde veritati quærit præſidium Irenæus; quia, certè, & nuſquam & nullibi terrarum eam quam ſomniant adverſarii authoritatem fixam noverat.

Hîc verò Pontificij ad rem ipſam non attendentes, vel ad propoſitum authoris, & genus probationis ejus, quod authoritatem judiciariam & poteſtatem ſummam minimè ſpectat, in duarum vocum homonymia idipſum quod

quæ-

quærunt, quantumcumque ſit, aucupatur. Nam quia ejus dicti quo *omnibus cognitam* Eccleſiam Romanam aſſeruerat, unde etiam *indicatâ* ejus *traditione confunderet eos* qui in angulis, & inter privatos, communicatas hæreſes pro Eccleſiaſtica traditione excipi volebant; quia, inquam, dicti illius hanc rationem reddit Irenæus, *Ad hanc enim Eccleſiam, propter potentiorem principalitatem, neceſſe eſt omnem convenire Eccleſiam, hoc eſt, eos qui ſunt undique fideles*: Ideò Eccleſiam Romanam in alias principatum habuiſſe, eóque omnes Eccleſias idem cum ea in fide ſentire neceſſariò debuiſſe colligunt.

Primum vocabulum homonymum, ſeu æquivocum, eſt *conveniendi* verbum quod ſignificat propriè *ſimul venire, coire*, & aliquando, per tranſlationem, *concordare* & *conſentire*. Et illi quidem tralatitiam arripiunt acceptionem, cui locus eſt tantùm ubi propria non congruit; hîc autem optimè propria acceptio quadrat. Deinde *convenire* quum *congruere* ſignificat, ex uſu linguæ Latinæ nomini Dativi caſûs, vel etiam Ablativi, interveniente præpoſitione *cum* vel *in*, jungi ſolet. At ubi, interpoſitâ præpoſitione *ad* vel *in*, jungitur nomini Accuſativi caſûs, tunc non conformitas in re aliqua, vel conſenſus aliquorum, ſed motus ad locum vel rem, deſignatur. Perinde, utcumque varia ſit verbi ſignificatio, tamen ex conſtructione textus Irenæi determinatur ad propriam; ut *convenire ad Eccleſiam*, ſit *confluere*, vel *ſimul adire locum*; aut id quod in loco ſitum eſt, ſeu rem locatam. Sic omnis Eccleſia Romam adibat, quatenus undiquáque fideles Romam

petebant, eoque & Eccleſiam, cum qua ibi degentes communicarent conveniebant, & ſic maximè cognitam habebant.

Id clarè exprimit author; Nam quia Eccleſiæ prout unum corpus ſunt, propriè non migrant, nec ad alias conveniunt; etiamſi ipſis cum aliis cõveniat, ideò quod de *omni Eccleſia* dixerat Ireneus, de ſingulis Eccleſiarum exponit: *HOC EST*, inquit, *qui vndiq; ſunt fideles*; quatenus communiter fideles ſucceſſivè ferè omnes, vel omnis conditionis fideles, ob negotia Romam petere cogebãtur. Sequitur etiam, immediatè poſt: *In qua* (Eccleſia Romana) *ſemper ab his qui ſunt undique conſervata eſt ea quæ eſt ab Apoſtolis traditio*; Ex quo patet fideles illos, non tantùm ſuis locis remanentes, & in propriis Eccleſiis converſantes, cum Romana in fide conſenſiſſe, ſed etiam, ex mente Irenæi, Eccleſiam illam adeuntes, in eadem traditionem Apoſtolicam conſervâſſe, & ædificationi ejus inſerviiſſe. Non ergo legem dedit illa omnibus ad ſe convenientibus, ſed illi ea utilitas rediit, ut excellentium virorum concurſu ædificaretur ipſa, ſicq; in ea veritas à multis conſervaretur. Et certè negotiorum neceſſitas ipſi Paulo, alioqui Romanos vidẽdi cupientiſſimo, eam Eccleſiam ædificandi occaſionem dedit. Ne, etiam, longiùs abeamus, hoc eodem capite, exemplum inſigne proponit Ireneus POLYCARPI, qui cùm *ſub Aniceto adveniſſet in urbem, multos hæreticos convertit in Eccleſiam Dei, unam & ſolam hanc veritatem annuntians ab Apoſtolis percepiſſe ſe quam & Eccleſia tradidit*. Sic ab eo in Eccleſia Romana potenter conſervata eſt traditio, non ex illius

illius authoritate à qua acciperet traditionem, ſed ex propria ſua, ex qua ipſe vir Apoſtolicus tradebat Eccleſiæ quod ab Apoſtolis acceperat; unde multi ad veram fidem converſi fuêre. Atque hactenus de primo vocabulo & priore mébro ſententiæ Irenæi.

Alterum vocabulum æquivocum eſt *principalitas*; ſi tamen æquivocum eſt: Nam pura eſt adverſariorum, vel in ſenſu Irenæi aſſequendo hallucinatio, vel in conſultò depravando loco corruptio, quòd ejus authoris dictum de *potentiore principalitate*, propter quam fidelium ex univerſo orbe ad Eccleſiam Romanam concurſus fieret, ſic interpretantur ut ad principatum quendam univerſalem illius Eccleſiæ, & Epiſcopi ejus ſuprematum, referatur. At non ait *propter principalitatem ejus*, ſed abſolutè *potentiorem principalitatem memorat*; hoc eſt totius mundi potentiorem principatum, ſive Imperium, *quo* (ut eleganter Tertullianus) *major principatus hujus ævi Romana dignitas præſidebat*. *Tertull. adv. Marc. lib. 4. cap. 11.*

Paulus, certè, quum fideles præcipit ſubjici ἀρχαῖς καὶ ἐξουσίαις, *principatibus & poteſtatibus*, ad Eccleſiam minimè reſpectum habuit, ut nec ad ejus Miniſtros quibus dictum eſt οἱ ἐξουσιάζοντες (id eſt *poteſtatem exercentes*, qui & idem ἐξουσίαι, *poteſtates*, nuncupantur) *benefici vocantur*; *vos autem non ſic*. Ex ſtylo igitur Scripturæ ipſius *potentiæ & principatûs*, conſequenterque *potentioris principalitatis*, nominibus Magiſtratûs Politici deſignantur, quorum cùm quidam ſint aliis potentiores, ideò Regi, ſive Imperatori, parendum eſſe dicebat Petrus ὡς ὑπερέχοντι; *præſidibus verò, ut ab eo miſſis*. Erat *Tit. 3. 1.* *1. Pet. II. 13.*

Digitized by Google

autem τῆς ὑπερεχούσης ἐξουσίας, hoc eſt, *potentioris principalitatis*, cui ſuberant minores poteſtates Magiſtratuum inferiorum, ſedes tum Romæ fixa. Inde eſt quod eo undique conveniendum fuit. Nam ſi in metropolin, id eſt urbem in qua Magiſtratûs inferioris præfectura erat, & Proconſulis Romani ſedes, oportebat πανταχόθεν συντρέχειν πάντας τοὺς τὰ πράγματα ἔχοντας, ut Antiocheni Concilij canone nono annotatur; quanto magis Romam undique proficiſcendum fuit, ubi erat imperij, ſive *majoris ævi principatûs*, ſedes? Sic aperta eſt Irenæi mens, ex ejus propoſito, & conſtructionis lege, vocabulorumque nativâ ſignificatione, tum etiam Scripturæ uſu, & ratione ipsâ. At adverſariorum interpretatio propriâ ipſorum, duntaxat, voluntate nititur, non Scripturâ, vel ſcriptore Eccleſiaſtico ullo, aut adeò Irenæo ipſo, vel ex ejus contextu deductis rationibus.

Quamobrem nihil eſt planè quod nos, ex inſignis illius Doctoris dictis & diſputationibus, prohibeat concludere; *Nihil eum cognoviſſe quale ab hodiernis Romanis deliratur, de Pontifice Romano perpetuo fundamento fidei omnium Chriſtianorum, judicéque controverſiarum ſupremo, &c. Eóque nec ea dogmata tùm temporis in Eccleſia recepta fuiſſe.* Alioqui, ſanè, vel Irenæus Eccleſiæ fidem ignoraverit, vel veritatis proditor fuerit, qui ſe undique hæreticis reſiſtentem profeſſus, à firmiſſima defenſione & quæ intellectu facillima fuiſſet, conſultò abſtinuerit. Nuſquam enim meminit ſupremæ illius authoritatis, nec in oſtenſionibus quas undique conquiſivit ejus

ullam

ullam habuit rationem; tantum ex Scriptura veritatem probat, & ex traditione hæreſes refellit ejus nomine glorıantes; traditionis verò teſtes advocat ab Apoſtolis inſtructas Eccleſias, & cum aliis, ſub eadem ratione conſideratis, Romanam producit, additis, ad ipſam quod attinet, rationibus quibuſdam accidentalibus, & unà cum Imperio mutationi obnoxiis, quibus adductus fuit, ut quum in tali volumine compendia quærere cogeretur, eàm inter alias ejuſdem ordinis Eccleſias præeligeret, ex qua, nec tamen ſola, factum clarius oſtenderet. Id ex prædictis eſt evidentiſſimum; nec ex hoc authore quicquam proferre potuerunt, adverſarij, niſi quod ab ipſis obtorto collo trahi manifeſtum fecimus.

Ex Iuſtino Martyre, & Clemente Alexandrino, nihil pro Romano Pontifice obſervant illi. Quod autẽ Ignatium Eccleſiam illius loci perhibent hac periphraſi expreſſiſſe, *Quæ præſidet in regione Romanarum*, univerſalitatem potiùs deſtruit, reſtrictâ ad unam regionem Eccleſiæ illius ſive Epiſcopi præſidentiâ, (prout Metropolitanum quemque in ſua provincia præſidere in more erat,) quàm ut ſupremam in omnes Epiſcopi Romani authoritatem ſtabiliat: Eſt autem adversùs hujus temporis Romanorum, non fidem, ſed præſumptionem, quod de dogmate ab iis tanti facto horúmce Patrum theologia nihil habeat; ut etiam *nihil tale cognoviſſe quale ab iſtis deliretur* agnoſcendum ſit.

TERTULLIANUS autem adversùs eoſdem hæreticos, in quos Irenæus, ſtrenuè & cum ani-

mi ardore decertavit. Sed *Scripturarum teſtimoniis lapidandos hæreticos* duxit, quibus, inquit, *hæreticis aufer quæ cum Ethnicis ſapiunt, ut de ſcripturis ſolis quæſtiones ſuas ſiſtant, & ſtare non poterunt.* Ab adverſario etiam poſtulabat ut quod aſſerebat *doceret ſcriptum ejus officina. Si non eſt ſcriptum,* inquit, *timeat Væ illud adjicientibus aut detrahentibus deſtinatum.* Nempe quia *Scripturam* ſacram adeò perfectam fidei & doctrinę normã exiſtimavit ut ejus *plenitudinem adorare* ſe profiteretur. Sed & præſcriptionum jus, de quibus librum integrum ſcripſit, ſolitus eſt novatoribus opponere, *compendij gratiâ, hæreticis de poſteritate præſcribens, inquantùm veritatis regula prior*; ſeu quatenus *regulam fidei immobilem & irreformabilem, credendi in unicum Deum omnipotentem mundi conditorem,* & filium ejus, &c. hoc eſt, ut variis locis exponit, articulos communes, Symbolo comprehenſos, oppugnabant. *Hæc,* ait, *regula nullas habet apud nos quæſtiones niſi quas hæreſes inferunt & quæ hæreticos faciunt.* Eam in quæſtionem venire, aut in dubium revocari, non patitur. *Aut quieſcant,* inquit, *aut non obſtrepant adverſus regulam. Quæramus verò in noſtro & à noſtris & de noſtro quod ſalvâ regula fidei poteſt in quæſtionem devenire.* Siquidem, *hac lege fidei manente, cætera jam diſciplinæ & converſationis novitatem correctionis admittunt*; & *hæreſes non tam novitas quàm veritas revincit. Quodcumque adversus veritatem ſapit, hoc erit hæreſis, etiam vetus conſuetudo.*

Tertul de reſurr. carn cap. 3. Id. adv. Hermog. c. 22. & 33.

Adora ſcripturæ plenitudinem.

Ibid cap. 1.

Id. de velãd. virg. & de præſ. cap. …

Regula eſt autem fidei, ut iam quid defendamus profiteamur, quâ creditur unum omnino Deum eſſe, &c

Id de Virg. veland cap. 1.

Neque ſanè quidquam repugnamus præſcriptionibus ex regula illa immota, quam à nobis moveri abſit. De cætero, conditiones ab authore appoſitæ obſerventur; & ex ejus

dictis

dictis nobis obſtrepere deſinent adverſarij. Notat tamen Tertullianus non ita ex præſcriptione regulæ, compendij gratiâ, excludendos hæreticos quin, *ſalvâ præſcriptione, ubique tamen, propter inſtructionem & munitionem quorumdam, dandus ſit etiam retractatibus locus; vel ne videatur unaquæque perverſitas non examinata, ſed præjudicata damnari*; & hæreticos, *ex conſcientia infirmitatis, nunquam ordinariè tractare aſſerit*. *Id. adverſ. Prax. cap. 1.* *Id. de reſur. carn. cap. 2.*

Idem etiam, adversùs eos qui cùm in accuſationem Scripturarum venirent, traditionis inani jactantiâ ſe efferebant, *præſcribit quid Apoſtoli prædicaverint non aliter probari debere niſi per eaſdem Eccleſias quas ipſi Apoſtolicis condiderunt; ideóque omnem doctrinam quæ cum illis Eccleſiis Apoſtolicis, matricibus & originalibus fidei, conſpiret, veritati deputandum eſſe; de mendacio verò præjudicandum quæ ſapiat contra veritatem Eccleſiarum.* Et hæc ille in ratione *præjudicandi*, quam ab *ordinaria tractandi* diſtinxit; & ad articulos communes notaſque regulæ, non ad alias quæſtiones, reſpectum habens. Addit enim continuò: *Supereſt ergo uti demonſtremus an hæc noſtra doctrina cujus regulam ſuprà edidimus de Apoſtolorum traditione cenſeatur, & ex eo ipſo an cæteræ de mendacio veniant.* In ea autem oſtenſione *Eccleſias Apoſtolicas* ſub ratione communi, & ſemper plures ſimul, recenſet. *Videamus*, inquit, *quod lac à Paulo Corinthij hauſerint, ad quam regulam Galatæ ſint recorrecti, quid legant Philippenſes, Theſſalonicenſes, Epheſij; quid etiam Romani de proximo ſonent quibus Evangelium & Petrus & Paulus ſanguine ſuo ſignatum reliquerunt. Habemus & Ioannis alumnas Eccleſias.* *Id de præſcr. cap. 15.* *Id. adverſ. Marc. lib. 4. cap. 4.*

Omnes, certè, uno ordine habet; nec ex privilegiis ullam ſimpliciter aliis præfert. Tantùm, ratione proximitatis & viciniæ, unde facilius & commodiùs quid in Apoſtolicis Eccleſiis doceretur indagari poſſet, pro ratione loci in quo degeret is *qui eam curioſitatem exercere vellet*, hanc vel illam Eccleſiam præeligendam eſſe demonſtrat. *Proxima eſt*, ait, *tibi Achaia? habes Corinthum. Si non longè es à Macedonia, habes Philippos, habes Theſſalonicenſes: Si potes in Aſiam tendere, habes Epheſum: Si autem Italiæ adjaces, habes Romam unde nobis* (Africanis) *quóque authoritas præſto eſt.* Sic quemque ad proximas amandat. Quia verò adjacebat Italia Africæ, eoque Africanis Romanæ Eccleſiæ teſtimonialis illa authoritas præſto erat, ideò in exponenda ejuſdem fide ſpecialiter inſiſtit, illámque certorum accidentium exaggeratione collaudat & honore afficit, nihil inde aliis quibus ſimilia convenirent derogans. *Fœlix*, ſubjungit, *Eccleſia cui totam doctrinam Apoſtoli cum ſanguine ſuo profuderunt; ubi Petrus paſſioni Dominicæ adæquatur, ubi Paulus Ioannis exitu coronatur, ubi Apoſtolus Ioannes, poſteaquàm in oleum igneum demerſus nihil paſſus eſt, in inſulam relegatur. Videamus quid didicerit, quid docuerit, cum Africanis quoque Eccleſiis conteſſerârit.* Fœlicem dicit Eccleſiam, non ob ſummam quam illi tribuat authoritatem, ſed ob hiſtorica quædam facta de quibus inter veteres omnes non convenit. Et in ejuſmodi, Hieroſolymitanam Eccleſiam cæteris omnibus longè ſuperiorem fuiſſe, inficiari nemo queat.

Quandoquidem igitur, præter has obſer-

vationes & Eccleſiæ Romanæ laudes, nihil ex Tertulliano proferre potuerunt adverſarij, & nihil illis neque ſeritur neque metitur; quinimò, ex tractatoris hujuſce oſtenſionum enumeratione, patet eum, vel in periculoſiſſimis Eccleſiæ temporibus & urgente neceſſitate, nullam authoritatis ſupremæ Romanæ cathedræ, & judiciorum ejus infallibilitatis, habuiſſe rationem; ideoque nec *cognoviſſe quod ab his deliratur, nec inde ab orthodoxo hæreticum diſcernendum putâſſe.*

Eſt & in libro quem adversùs Praxeam ſcripſit minimè honorifica Epiſcopi Romani mentio. Siquidem *illum agnoſcentem prophetias Montani, Priſcæ, & Maximillæ*, hoc eſt Montaniſtam factum, *Praxeam coegiſſe* dicit *literas pacis jam emiſſas* (Montaniſtis ſcilicet,) *revocare, & à propoſito recipiendorum chariſmatum conceſſare: Sic duo negotia Diaboli Praxeam Romæ procurâſſe, Prophetiam expuliſſe & hæreſin intuliſſe, Paracletum fugâſſe & patrem crucifixiſſe.* Sanè ſi tantùm judicio ex hæreſi lapſus eſt, nec etiam in facti hiſtoria mendax fuit, Epiſcopo illi à Montano ad Praxeam tranſeunti haud fuit doctrinæ & fidei annexa infallibilitas; nec certè Tertullianus credidit uſquam.

CAPVT II.

Ejuſdem ſeculi ſententia ex rerum eo tempore geſtarum hiſtoriis, ab authoribus non

ejuſdem ſeculi, ſed veteribus tamen, conſcriptis, declaratur.

PRÆTER Irenæi & Tertulliani diſputandi rationes expoſitas, & aliorum ejuſdem temporis Doctorum de Epiſcopi Romani ſuprema & abſoluta authoritate ſilentium, duæ nobis illius ſeculi ſuppetant hiſtoriæ, ex quibus Eccleſiæ Romanæ hodiernæ praxin, nihil aliud eſſe quàm ordinis priſci everſionem, liquidò conſtet.

Epiph. hær. 22. vel 42. Prima eſt Epiphanij. Marcion quum *virginem corrupiſſet, à proprio patre*, qui Epiſcopus erat, *Eccleſiâ pulſus fuit*; & poſtquàm multùm ſupplicâſſet, *pœnitentiæ & veniæ locum quærens*, αἰτήσας μετάνοιαν, non obtinuit, οὐκ εἴληφε, *à proprio patre*. Ille verò ignominiam ſibi à multis impreſſam, vel *cachinnos plurium*, χλεύην, *non ferens*, exceſſit urbe in qua habitabat, & Romam poſt obitum Hygini, circa annum 145. adiit. Ibi cùm Romanæ Eccleſiæ communionem poſtularet repulſam paſſus eſt, & à Preſbyterio Romano hæc illi repulſæ ratio reddita eſt: *Quia id*, aiebant, NON POSSVMVS *ſine permiſſione venerandi patris tui. Eſt enim una fides & una concordia*, NEC POSSVMVS ἐναντιωθῆναι, τῷ καλῷ συλλειτουργῷ, *contrarium ſtatuere à præclaro Comminiſtro noſtro, tuo autem patre.* Ex fidei igitur & concordiæ lege & ordine, nulli erat Eccleſiæ, ne Romanæ quidem, conceſſum alterius Eccleſiæ, ſive Epiſcopi, reſcindere cenſuram; nec poterat quiſquam ab alio excommunicato communionem decernere: id eſt, nullus Epiſcopus in alium autho-

authoritatem ſibi arrogat judicij. Conciliorum alia ſemper fuit ratio. Nam ſpiritus Prophetarum Prophetis ſubjiciuntur; & unum Epiſcopum ſingularem collegarum cœtui, ſive collegio, ſubdi, perpetuo uſu receptum fuit.

In patre Marcionis, certè, notat Epiphanius ὑπερβολὴν δι᾽ εὐλαβείας, *& malè habuiſſe digniſſimum ſenem* ait, non tantùm factum Marcionis, ſed etiam, ὅτι καὶ αὐτῷ τὸ αἶσχος ἔφερεν, *quòd & ipſi dedecus inferret*. Potuit igitur optimus ſenex ſeverus eſſe hac ratione κατ᾽ ὑπερβολήν, eoque judicium ejus aliorum quodammodò poſtulare recognitionem. Verùm ſe poſſe negarunt Romani; nec quia circumſtantiarum ratione peculiari quadam inducti eſſent, ſed lege communis fidei & concordiæ vinctos ſe agnoſcentes.

Ideò etiam Cyprianus, & pari ratione, ab Epiſcopis Africanis damnatos arguebat audaciæ quod *AVDERENT navigare, & ad Petri Eccleſiam principalem literas à ſchiſmaticis ferre*; nempe quia adversùs ordinem receptum, cum Marcione, præſumebant quod expetebant obtinere. Taxat etiam eoſdem incogitantiæ, quòd *nec cogitarent eos eſſe Romanos quorum fides, Apoſtolo prædicante, laudata eſt, ad quos perfidia habere non poſſit acceſſum.* Eſt tamen admodùm proclive bonâ fide & ex cordis ſimplicitate agentibus, ab hominibus fraudulentis & perfidis, in ratione facti, decipi, & ipſis non infrequenter contingit. Neque etiam ex fide propriè inde tuti ſunt, ſed ex prudentia

Cypr. lib. 1. Ep. 3.

Digitized by Google

ſibi cavent. Itaque Cyprianus quum fidem perfidiæ opponeret, ſtatuebat per fidem & concordiam Eccleſiarum unam, quam ſine perfidia violare impoſſibile eſſet, ab excommunicatorum ſchiſmaticorum accipiendis litteris, prohiberi Romanos, ut & ipſi in Marcionis cauſa anteà cenſuerant; ideoque nec ſine perfidia, quam ex charitatis ſancta præſumptione ab iiſdem removet, in illorum cauſa quidquam ſibi aſſumere poſſe ſupponit. Ut enim in prænotatis *fidem* commemoravit, ſic ſequentibus *concordiam* notat: *Cùm ſingulis*, inquit, *Paſtoribus portio gregis ſit adſcripta quam regat unuſquiſque & gubernet, rationem ſui actûs Domino redditurus, oportet utique eos quibus præſumus non circumcurſare, nec Epiſcoporum* CONCORDIAM *cohærentem ſuâ ſubdolâ & fallaci temeritate collidere.*

Hæc Cypriani, anticipatione quadam, hîc inſeruimus, quia Presbyterij Romani rationem valdè illuſtrant; & ex ejuſdem cum Cypriani dictis comparatione, patet eum ſuo tempore obſervatum voluiſſe tantùm id quod in cauſa Marcionis Romani anteà optimè animadvertentes ſequuti erant. Verùm hujus temporis Romanorum judicio, negare Eccleſiæ ſuæ abſolutam & infinitam poteſtatem, ex qua quocumque loci agitatas & definitas cauſas cognoſcat & judicet iterum, quandocumque libuerit, ſummæ perfidiæ fuerit. Sic, nempe, quæ Cypriano perfidia erat, quam apud Romanos acceſſum habere poſſe in animum inducere non poterat, præſentis Eccleſiæ Romanæ

manæ pura puta fides eſt, & ſuæ cum aliis Eccleſiis concordiæ lex; Ideoque, qualis nunc eſt, tantùm mutata diſtanſque ab illa priſca, cujus fidem & concordiam laudamus, quantùm à luce tenebræ, à fide perfidia, & à concordia ſchiſma.

Altera hiſtoria eſt Euſebij. *Omnes Eccleſiæ Aſiæ*, inquit, *antiquâ quadam traditione adductæ, cenſebant decimoquarto die Lunæ cum Iudæis feſtum Paſchatis celebrandum: Reliquæ autem per univerſum orbem Eccleſiæ, non alio die quàm eo quo Servator à mortuis reſurrexit jejunia diſſolvenda exiſtimabant.* Atque etiam eâ de cauſâ, conciliis Epiſcoporum per provincias in unum coactis, *decretum Eccleſiaſticum in eam ſententiam, per literas ad omnes Eccleſias ſcriptas, ratum faciebant. In Palæſtina* quidem, ubi *Theophilus Cæſarienſis & Narciſſus Hieroſolymitanus præſides fuerunt. In Ponto, Palmas antiquiſſimus & venerandus; in Galliarum, verò, concilio regebat Irenæus. Fuit etiam aliud Epiſcoporum qui Romæ ſimiliter conveniebant de eadem controverſia ſtatutum, quod quidem Victorem id temporis Epiſcopum fuiſſe declarat.* Euſeb. hiſt. lib. 5. cap. 22.

Et earum quidem diverſarum provinciarum conſentientibus decretis, Aſiaticos ut idem ſentirent adduci poſſe ſperabant ij qui numero ſuperiores erant. Sed cùm in Concilium conveniſſent illi, nihil de ſententia mutare decreverunt. Id eorum nomine *Polycrates*, qui in cœtu præſidebat, ad *Victorem* Romanum ſcripſit; & Epiſcoporum, quos *ab eo rogatus* accerſiverat, *multitudinem* notat: tum ſe, *qui ſcripturas ſtudioſè evolverit, his quæ ad terrorem ipſis ob-* Euſeb. l. 5. cap. 23.

jiciebantur minimè conturbari profitetur ; *majores quippe ſuos dixiſſe, magis Deo quàm hominibus obtemperandum.*

Equidem ſatius fuiſſet illis, ſententiis aliorum ſubſcribere, quàm pro diei unius obſervatione contendere. Sed quia vt à recepto more (quem *à Philippo Diacono, Ioanne ipſo, & Polycarpo* accepiſſe ſe dictitabant,) diſcederent, adduci non poterant, nec eos etiam vî cogi æquum fuit. Siquidem charitas infirmorum rationem habet, & in ἀδιάφορεις, vt ſunt ciborum dierumque delectus, cedit potiùs, ex præſcripto Apoſtoli, quàm ut offenſionis anſam præbeat.

Verùm *Victor, qui tum Romanæ Eccleſiæ præerat,* ἐπὶ τούτοις, *his de cauſis, totius Aſiæ Eccleſias, cum aliis finitimis, unà ſimul, à communi unitate Eccleſiæ,* ὡς ἑτεροδοξούσας, *tanquam alterius fidei, amputare conatus eſt*; ſcriptis, nempe, *literis quibus in eos graviter invehebatur*, & prorſus ἀκοινωνήτους, *ad communionem non admittendos,* hoc eſt, excommunicatos, *edixit. Sed iſta cæteris omnibus* NON PLACEBANT *Epiſcopis; quinimò* ἀντιπαρακελεύονται δῆτα αὐτῷ, *magnopere illi contra* INIVNXERVNT *ut pacis & concordiæ diligenter curam haberet. Etiam ipſorum Victorem acrius & acerbiùs coarguentium verba* φέρονται. *Inter eos Irenæus, &c.*

Euſeb. ubi ſupr.

Hæc hiſtoria eſt facti Victoris, quem non ideò culpandum cenſemus quòd ſuæ juriſdictionis limites ſit prætergreſſus, atque conatus quod nullâ ratione potuiſſet. Siquidem poſſit quivis Epiſcopus, urgente neceſſitate, in caſu hæreſeos & à fide apoſtaſiæ, quantùm

in ipſo eſt, Epiſcopos populorum, in quos alioqui juriſdictionem non habet, ἀκοινωνήτους ἀνακηρύττει; quod eſt palam teſtari nolle ſe cum iis communicare, nec à verè fidelibus communicandum cenſere. Eſt etiam ejuſmodi factum, non actualis ab univerſa Eccleſia amputatio, ſed, ut ait Euſebius, ad effectum illum amputationis *conatus*, ex quo aliis etiam omnibus Eccleſiæ Catholicæ Epiſcopis tali exemplo, pariter inductis, perficiatur incœptum. Hoc modo Hilarius *Liberio* Romano, ob Arianam hæreſim, *anathema dixit*, plurimique Epiſcopi ſuos æqualis heterodoxos excommunicaverunt; Et poſteà Cyrilli Alexandrini ad dictum deſcribemus, quo teſtatur *nihil prohibuiſſe* quin Neſtorio Conſtantinopolitano *anathema diceret*, etiam antequàm ſibi Romani Epiſcopi haberet *adjunctam authoritatem*. *Hil in frag.* *Cyrill. ep. 5. & ep Cal. ad Cyrill.*

Fuit igitur in judicio Victoris vitium, & in conatu irrito defectus poteſtatis, causâ non æquâ. Nam heterodoxos pronuntiavit, hoc eſt à vera fide devios eos qui ab aliis in diei duntaxat obſervatione diſſidebant. Siquidem ἑτεροδοξία, abſolutè dicta, fidei, quæ una eſt, opponitur: neque opinionem problematicam vel ceremoniam, & ſuâ naturâ indifferens quid, ſpectat; nec etiam propter diverſas in ejuſmodi rebus ſententias amputari Eccleſias juſtum eſt. At ejus poſtremi generis fuiſſe quæſtionem illam diei quo Paſcha celebraretur, & res ipſa clamat, & Euſebius lib. 5. capit. 24. Irenæi verbis ad Victorem ſcriptis copioſè declarat.

Digitized by Google

Iudicium igitur Epiſcopi Romani ad univerſas Eccleſias ſcribentis, id eſt, nomine publico agentis, etiam in cauſa heterodoxiæ, ex ſententia Irenæi & aliorum Patrum, iniquũ eſſe poteſt, & inde conſequens amputationis conatus; ut minimè cõſequens ſit heterodoxum eſſe re verâ, & ab Eccleſiæ communione arcendum, quem talem Romanus pronuntiat Epiſcopus.

Sic fuit erroneum judicium Victoris, qui nec in conatu ſuo victor fuit; quia, nempe, ejus judicio, quaſi à ſuprema & infallibili authoritate manaret, cæteri Epiſcopi non acquieverunt, ſed *contrarium injunxerunt*. Euſebius enim non utitur verbo ἀποπαρακαλεῖν, quod *adhortari cõtra* rectè vertiſſet Chryſtophorſonus, ſed ἀντιπαρακελεύειν, quod eſt *contra præcipere*, vel *injungere*. Re verâ etiam, Eccleſiæ Aſiaticæ in communione aliarũ, in ſuaſententia perſeverantes, ad Concilium Nicenum uſque permanſerunt, ubi tandem, eodem teſte Euſebio, omnes Epiſcopi de uno die obſervando conſenſerunt.

Euſeb. de vita Conſtant. lib. 3. cap 13.

Ideò Victor dicitur *conatus* quod re ipſa, aliis obnitentibus, non potuit; quia reliqui Eccleſiarum præpoſiti factum ejus prò regula non habuerunt, ſed ex regula de eo judicium facientes, improbarunt. Nullus, certè, tum poteſtatis abſolutæ fuit reſpectus; neque ſibi eam Victor arrogavit: Nunc, ut ſunt tempora & mores, de judicio Pontificis in tali caſu dubitare, ſummæ impietatis fuerit; & amputationis conatui reſiſtere, manifeſtæ rebellioni tribueretur. Quinimo hodie, qui de ſententia Romani Epiſcopi judicaverunt Patres, eamque

eamque contexerunt, & ipſum corripuerunt, ut hæretici, Inquiſitionis Romanæ judicio, capitis damnarentur. Atque haud ſcio quid Victore futurum eſſet, qui fratrum ſententiis & ſanioribus judiciis, quibus ſuum irritum fieri videbat, acquievit tacitus.

CAP. III.

Quæ Patrum, tertij ſeculi, hoc eſt à ducentis poſt Chriſtum natum annis ad trecenteſimum, fuerit ſententia; potiſſimùm Cypriani Carthaginenſis.

TERTII ſeculi Doctores quorum ſcripta ad nos pervenêre, ſunt Minutius Fœlix, Origenes, CYPRIANVS & Arnobius. Horum verò nullus eſt qui Romanum Epiſcopum evehat vel deprimat, & ab adverſariis, aut à noſtris, quaſi in hac quæſtione definiens citetur, præter unum Cyprianum Carthaginis, quæ Italiam contrà & Tiberina oſtia ſita erat, Epiſcopum. Quod enim ille non procul à Roma ſedem habebat, & eo loco unde facilè in Italiam navigabatur, communicationis frequentioris cum Romana Eccleſia ipſi & collegis præbebat commoditatem; & ex eorum communicationibus, indeque per occaſionem implicitis Eccleſiaſticis negotiis, de authoritate Epiſcoporum, cùm Africanorum, tum tranſmarinorum, multa ſcribendi argumenta nata ſunt.

Digitized by Google

Quod verò Minutius Fœlix, Origenes, & Arnobius, nihil omnino Pontificiorum cauſam juvant, eo ipſo noſtram egregiè confirmant. Nam & à nobis facit quod eorum doctrina nihil habet ejus dogmatis quod addititium commentitiumque ducimus: & ubi teſtibus agitur, is qui negat vicit, quando illi quibus res de qua quæritur, ſi verè fuit, ignota eſſe non potuit, & ab ipſis declarari debuit, ejus nuſquam meminerunt. Inde enim confictam eſſe indicium eſt.

Ad Cyprianum quod attinet; Ubi clarè demonſtraverimus quæcumque ex ejus ſcriptis adverſarii corradunt nobis nihil officere, & ipſorum hypotheſibus manifeſtè adverſari, uniúſque in alios Epiſcopi ſuprematum evertere: certè, apud æquum quemque judicem, quod tertii ſeculi ſuffragia, vincere nos & ſuperiores eſſe neceſſe eſt.

Pleriſque Pontificiorum frequenter in ore eſt, ut ad Romani Epiſcopi abſolutam & ſupremam poteſtatem cõfirmandam aptiſſimum, illud Cypriani ad Cornelium: *Neque enim aliunde hæreſes obortæ ſunt, aut nata ſchiſmata, quàm inde quod Sacerdoti Dei non obtemperatur. Nec unus in Eccleſia ad tempus ſacerdos, & ad tempus iudex vice Chriſti cogitatur: cui ſi ſecundùm magiſteria divina obtemperaret fraternitas univerſa nemo adverſum ſacerdotum collegium quicquam moveret: nemo poſt divinum iudicium, poſt populi ſuffragium, poſt Coepiſcoporum conſenſum, iudicem ſe non iam Epiſcopi, ſed Dei faceret.* Inde colligunt Cyprianum exiſtimâſſe hinc ſchiſmata & hæreſes procedere, quod unus in toto orbe Sacerdos & Epiſcopus, cui omnes Chriſtiani, Paſtores

Cypr. lib. 1. Ep. 3.

ſtores & oves, ſubjici abſolutè debeant, non agnoſceretur. Et re verâ, ad hunc modum determinatis iis quæ indefinitè Cyprianus enuntiat, Paſtoratus ille univerſalis, adverſus quē duabus prioribus hujuſce diſſertationis partibus diſputavimus, ab hoc authore clárè ſtatui videretur.

Verùm Cyprianus ſenſis animi exprimendis nimiùm diſertus eſt, quàm ut aliò dicta ejus trahi poſſint; nec adeò ſtupidi ſumus ut nobis os ſublini, & in eruenda hujus authoris mēte imponi patiamur. Nunquam ille, vel ſomniādo quidem, de uno omnium Eccleſiarum citra Chriſtum, totius orbis Epiſcopo cogitavit; ſed in quaque Eccleſia, vel Diœceſi, unum voluit agnoſci, & de eorum quocumque, in propria portione aſſignata, loquutus eſt. Si quis diceret Politicus, *Inde tumultûs, diſſidia, & ſeditiones ortum ducere, quod Principi & Magiſtratui non obtemperatur, nec vnus ad tempus in Republica vice Dei cogitatur, cui ſi omnes ſecundùm mandata Dei ſubjicerentur, adverſus principum & Magiſtratuum ordinem perduellis eſſet nemo*: Quis inde unum totius orbis regionum Regem catholicum eſſe debere colligat? Senſus, certè, planus erit, in ſingulis Rebuſpublicis, Principi omnes obtemperare debere; & Galli nos, ad Regem noſtrum Chriſtianiſſimum; Britanni, ad ſuum Sereniſſimum; ſic que deinceps indefinitè enuntiata applicaturi ſumus, ne in aërem volent. Haud ſecus Cypriani dicta ad Carthaginenſem Epiſcopum, perinde ut ad Romanum, & ad ejuſdem ordinis cæteros, ex ejus mente, accōmodabimus.

At enim, aiunt, nónne is cui *fraternitas univerſa* ſubjici debet, univerſalis eſt Epiſcopus? Quaſi

verò ſub fraternitatis nomine, comprehenſos unquam hic author voluerit Epiſcopos; vel omnes totius orbis Chriſtianos univerſæ fraternitatis appellatione ullibi deſignâſſe comperiatur! Vicerint, certè, adverſarii, ſiquid tale demonſtrare poſſint: Sin ſecus, pudeat ipſos paralogiſmi, quo univerſam unius Eccleſiæ fraternitatem uni ſubjectam Epiſcopo, cum univerſa ſanctorum communione, ſive Eccleſia Catholica, confundunt. Sanè, quemadmodùm univerſus populus qui Principi in Republica parêre debet, non eſt univerſum genus humanum cum omnibus Principibus, uno excepto; ſed cujuſque Principis, in quacumque Republica, ſubditorum univerſitas: Sic etiã quæ uni Epiſcopo ſubeſt fraternitas univerſa, eſt cujuſlibet Eccleſiæ, vel Diœceſeôs, fratrum communitas. Eâ ratione Cyprianus in *Sabini collegæ ſui ordinatione factum eſſe* dicit, *ut de VNIVERSAE FRATERNITATIS ſuffragio, & de Epiſcoporum qui in præſentia convenerant, quique de eo literas* ad alios *fecerant, judicio, Epiſcopatus ei deferretur, & manus ei in locum Baſilidis imponerentur.* Quis non videat unius Eccleſiæ plebem univerſam ab Epiſcopis diſtinctam ibi deſignari? Sic & Cornelius Cypriano ſcripſit, *Maximum Presbyterum, & Vrbanum, cum Sidonio & Macario ad Eccleſiam, depoſito errore revertentes, ſummo gaudio & Clerum & plebem; FRATERNITATEM OMNEM, excepiſſe*; plebis Romanæ & Cleri lætitiam ſignificans. Reſcribens verò Cornelio Cyprianus *meritò* lætos fuiſſe dicit; &, *huius rei*, inquit, *lætitiam*

Cypr. lib. 1. Ep. 4.

Cypr. lib. 2. Ep. 12.

Ibid.

tiam de noſtris poſſumus ſenſibus æſtimare. Nam cùm ISTIC *ad literas veſtras quas de eorum confeſſione miſiſtis, lætus ſit* OMNIS FRATRUM NUMERUS, *& ſumma alacritate hunc nuncium communis gratulationis exceperit, quid* ILLIC *ubi res ipſa & præſens lætitia ſub omnium oculis gerebatur?* Quid quod & in ipſa Epiſtola unde deſumpta ſunt illa quorum interpretationem quærimus, ſibi commiſſam communitatem *fraternitatem* vocat author? Eo etiam ipſo loco de quo nunc agitur, *fraternitatem univerſam à ſacerdotibus & collegio ſacerdotum, adverſus* quos, ſi *ſacerdoti obtemperaret* illa, *nemo quicquam moveret*, clarè diſcernit.

Iuſtior factus eſt fraternitatis dolor, ex eo quod unus atque alius obnitente plebe & contradicente, meâ tamen facilitate ſuſcepti pejores extiterunt.

Verùm enimverò, authoris hujuſce, in hac Epiſtola integra & hoc ab adverſariis producto loco, ſenſum & mentem clarè dignoſci multùm intereſt. Nam ſi de Epiſcopis in ratione communi, aut de cujuſvis, in propria Eccleſia, Epiſcopi authoritate, non de univerſalis unius dignitate, hæc omnia quæ recitavimus illi enuntiata ſunt: Certè, non tantùm ſententiæ noſtræ nihil officit, ſed etiam Pontificium ſuprematum funditùs evertit; ut neceſſitate quadam coacti adverſarii, Cypriani verba, quæ cauſæ eorum petunt jugulum, quocumque modo in alienum ſenſum torquere nitantur. Ideò inſiſtendum nobis eſt, ut variis & notatu dignis, in illam ſententiam & totius Epiſtolæ contextum, obſervationibus allatis, clarum feriat lumen, tenebræque inanium ſophiſmatum non tantùm diſpareant, ſed & diſpereant.

I. Notandum eſt huic authori Epiſcopum (cuius ſupra Præſbyteros præeminentia jam

tum locum habuit,) ab aliis inferioribus Miniſtris Sacerdotis nomenclaturâ diſcerni. Neque verò ad Sacerdotium Miſſaticum,poſt multa ſecula adnatum in Eccleſia malum,reſpectum ullum habuit; & Presbyteri qui in eo celebrando ſacrificio,etiam Epiſcopo præſente, præeſſe ſolent,eâ ratione ſacerdotes eſſent: Sed Eccleſiarum præſides Presbyteris & Diaconis præpoſitos, ex analogia quadam authoritatis ipſorum cum dignitate ſacerdotum veteris Teſtamenti, qui Levitis & inferioribus tabernaculi miniſtris præerant,Sacerdotes indigitat. Hinc & illi *collegii Sacerdotum* appellatio, quâ omnes ejuſdem Epiſcopalis muneris & authoritatis conſortes ſibi invicem *collegas* fuiſſe indicat. Ideóque & ipſe,quòd ejus eſſet *collegii*, Cornelii Romani Epiſcopi, in Epiſtola ad Stephanum ſucceſſorem ejus, ut *collegæ ſui* meminit; Stephanum etiam pariter, & Lucium, *collegas* vocat; & Epiſtolæ VII. lib. 3. ſic inſcriptionem fecit: *Cyprianus fratri & collegæ Lucio*, &c. Romani autem,à quibus mutuò ſumptum eſt nomen, eum tantùm Magiſtratum alterius collegam dicebant, qui ejuſdem tituli & authoritatis eſſet; neque Prætor, Conſulis, vel Ædilis, Prætoris; ſed Conſul,alterius Conſulis; & Tribunus,Contribuni collega erat.

Cyp. lib. 3. Ep. 15. & lib. 1. Ep. 4.

Inde igitur Sacerdotum, ſive omnium collegarum illius collegii,authoritatem æqualem duxiſſe Cyprianum,conſpicuum eſt. Nam utcúmque (quod hîc regerunt adverſarii) à Regibus inferiores aliquos fratrum nomine compellari contingat, ut & duces ſuos milites ſocios vel

com-

commilitones vocant: nuſquam tamen collegas nominant: ut nec unquam Reges à ſubditis fratres, vel ſuperiores ab inferioribus ſocii vocantur.

II. Prout autem Cyprianus eum honorem ſortitus erat quo in collegium illud ſacerdotum aſciſceretur, ita & ordinis dignitatem, cùm in ſe, tum in aliis collegis, ſolicitè turatus eſt; paríque fervore animi, rebellioni & contemptui inferiorum ſubjici nolentium, & ambitioni æqualium qui collegas ſibi ſubjicere, eorumque ſe judices conſtituere, vel ab iis judicata reſcindere, præſumerent, obſtitit, & obniti contra non deſtitit. In id totis viribus incumbit, in Epiſtola illa ad Cornelium ſcripta, ut factioni Fœliciſſimi obviam iret. Is à Fortunato Pſeudepiſcopo ſchiſmatico legatus, literas ejuſdem communicatorias Romæ obtrudens, ut in Eccleſia recitarentur vî & arte contendebat; ex quo ſententiæ & decreto Africanorum Epiſcoporum præjudicium fieret. Et à Cornelio quidem & Eccleſia ſtrenuè primò repulſus eſt; factúmque Cornelii laudavit Cyprianus, quòd ex fidei & concordiæ communis lege, eum quem Africani damnaverant ab Eccleſiæ ingreſſu ſe ingerentem prohibuiſſet. Verùm quia poſteà demum, alterâ Epiſtola, ſe animi in eo negotio ancipitem, & de priore conſtantia, factioſorum minis & terrore, dimotum teſtatur: Eum Cyprianus commonitionibus & exhortationibus erigere nititur, ſeque ipſum rationibus & concluſionibus utrique communibus confirmat & corroborat. *Manere debet*, inquit,

apud nos frater, fidei robur immobile, & ſtabilis atque inconcuſſa virtus contra omnes incurſus, atque impetus oblatrantium fluctuum, velut petra objacentis fortitudine & mole debet obſiſtere. Item: *Non idcirco, frater, relinquenda eſt nobis Eccleſiaſtica diſciplina, aut ſacerdotalis ſolvenda cenſura* (quod quæ ebant factioſi) *quoniam convitiis infeſtamur aut terroribus quatimur.* Tum convitiantes illos impietatis deſperatæ arguit; quòd *non tantùm fratribus dicerent fatuè, ſed & SACERDOTIBVS, quibus honor tantus de Dei dignatione conceditur, ut quiſquis ſacerdoti eius, & ad tempus hîc iudicanti non obtemperaret, ſtatim necaretur.* Subjungit quod in hanc rem Deut. XVII. ſcriptum habetur. Novi etiam Teſtamenti locos, Matth. VIII vel Luc. V. *Vade & demonſtra te Sacerdoti*, Act. XXIII. *Sic reſpondes Pontifici?* &c. inde eorum quos Sacerdotes nominabat confirmans authoritatem, quam Cornelio & ſibi communem conſiderabat, prout etiam ſe illi in munere obeundo, & diſciplina ſervanda, ſocium adhibuerat.

Cypr. lib. 3. Ep. 9. Idem, certè in alia Epiſtola, ad Rogatianum ſuæ provinciæ Epiſcopum, quem *Diaconus eius, immemor ſacerdotalis loci illius, ac miniſterii ſui oblitus, contumeliis & iniuriis exacerbaverat*, eoſdem omnes Scripturæ locos, ad Rogatiani poteſtatem Sacerdotalem confirmandam, refert, & ut demonſtraret eum, *pro Epiſcopatûs vigore & cathedræ authoritate habuiſſe poteſtatem quâ poſſet de illo ſtatim vindicari, habens circa eiuſmodi præcepta divina, cùm Dominus Deus in Deuteronomio dicat, & homo quicumque fuerit in ſuperbia, ut non exaudiat Sacerdotem aut iudicem, quicumque fuerit in diebus illis, morietur*

tur homo ille, &c.

In Epiſtola verò ad Cornelium, poſt eos productos locos, ſequitur in eum ſenſum adeò manifeſta concluſio, ut magis eſſe non poſſit. *Cùm tanta ac talia & multa alia exempla præcedant quibus SACERDOTALIS AVTORITAS & poteſtas divinâ dignatione firmatur, quales putas eos qui SACERDOTVM hoſtes, & contra Eccleſiam Catholicam rebelles, nec præmonentis Domini comminatione, nec futuri iudicii ultione terrentur? Neque enim aliunde hæreſes obortæ ſunt, aut nata ſchiſmata, quàm inde quod Sacerdoti Dei non obtemperatur*, &c.

Quis non animadvertat hæc de quovis Epiſcopo in propria Eccleſia dici? quatenus, ſcilicet, *portio gregis ſingulis Paſtoribus aſcripta eſt, quam regat unuſquiſque & gubernet, rationem ſui actûs Domino redditurus*; prout etiam, ut quidem Cypriano viſum eſt, *habet OMNIS EPISCOPVS, pro licentia libertatis & poteſtatis ſuæ, arbitrium proprium; tanquam iudicari ab alio non poſſit, cùm nec ipſe poſſit alterum iudicare*. Ideò & quemcumque ejuſmodi judicem, *ad tempus vice Chriſti* eſſe duxit. Quamobrem illa omnia, ex mente authoris æquè Rogatiani, & Cypriani, ac Cornelii authoritatem confirmabant. *Cypr. lib. 1. Ep. 3* *Id. in Ep. ad Quirin.*

Nec verò, poſt ejuſdem ad Florentium Pupianum lectam Epiſtolam, poteſt remanere dubium. Ibi enim eadem omnia authoritatem Sacerdotalē concernentia, atque adeò poſtremam illam obſervationem, de origine & nativitate hæreſeωn, ex eo quòd *Sacerdoti Dei non obtemperatur*; omnia, inquam, illa repetit, ut ſuam ipſius Sacerdotalem authoritatē adverſùs Pupianum *Cypr lib. 4. Ep. 9 ad Flor. Pup.*

illum tueatur. Siquidem ille, legitimæ electionis Cypriani nullâ habitâ ratione. *ad cognitionem ſuā eum vocabat, ut & mores ejus diligenter inquireret.* Nēpe, *poſt Deum judicem qui ſacerdotes facit*, ait author, *vis, non dicam de ME, (quantus enim ego?) ſed de Dei & Chriſti judicio judicare.* Tandem, propoſitis pro authoritate ſua confirmanda locis Deut. XVII. 1. Reg. VIII. Ioann. XVIII. Act. XXIII. Exod. XXII subjicit: *Te judicem conſtituis & Chriſti qui dicit ad Apoſtolos, ac per hoc ad omnes præpoſitos qui Apoſtolis vicariâ ordinatione ſuccedunt; qui vos audit, me audit; & qui me audit audit eum qui miſit me; & qui rejicit vos, me rejicit & eum qui me miſit. Vnde enim ſchiſmata & hæreſes obortæ ſunt & oriuntur, niſi dum Epiſcopus qui VNVS EST, & Eccleſiæ præeſt, ſuperbâ quorumdam præſumptione contemnitur, & homo dignatione Dei honoratus, ab indignis hominibus judicatur?*

Ibi, ſanè, de Epiſcopo Romano nulla fuit quæſtio: Suam, duntaxat, authoritatem Cyprianus adverſus eum defendebat cui dicebat: *Niſi apud te purgati fuerimus & ſententiâ tuâ abſoluti, etiam ſex annis nec fraternitas habuerit Epiſcopum, nec plebs præpoſitum, nec grex Paſtorem, nec Eccleſia gubernatorem, nec Chriſtus antiſtitem, nec Deus ſacerdotem.*

Fac tamen alicubi Cyprianum hæc etiam ad Romanum Epiſcopum particulariter habito reſpectu enuntiâſſe; prout in hac quidem Epiſtola, ad ſemetipſum; & in alias ad Rogatianum reſpexit: Certè haud magis inde Rogatianum, Cyprianúmve, Epiſcopo Romano ſubjici probetur, quàm ex duabus illis Epiſtolis Cornelium,

lium, & Stephanum, Rogatiano & Cypriano ſubjectos fuiſſe conſequatur. Regula eſt certiſſima, quando juris quod commune eſt ad quempiam è communitate fit applicatio, inde collegarum nulli quicquam demi; ſed potiùs, ex ejuſdem rationis conſequentia, quod uni tribuitur aliorum eſſe præſupponi.

III. Verumtamen, ad locum Epiſtolæ ad Cornelium ſcriptæ quod attinet, conſtat Cyprianum ita ſacerdotalis authoritatis excellentiam prædicâſſe, ad exaggerandam impietatem eorum qui minis & terroribus Cornelium cogere tentabant, ut, quia vis Romæ Cornelio facta, Africanæ factionis, quæ Cyprianum & ejus Epiſcopatum directè oppugnabat, erat impreſſio, ſemetipſum in eadem ratione offenſæ ex conviciis, firmitatiſque ad obſiſtentiam neceſſitate, & firmamentorum ejus participatione, comprehenderit. Quin etiam, quia in illo negotio univerſo non æquè res agebatur Cornelii, cujus communionem expetebant factioſi, ac Cypriani, quem illi opprimere quacumque ratione ſtudebant: Ideò & à ſe dicta ſibi ipſi, ut Sacerdoti & Epiſcopo ab oſoribus ſacerdotalis authoritatis penè confecto, aptat & accommodat. *Cæterùm*, inquit, *dico, dico enim provocatus, dico dolens, dico compulſus, quando Epiſcopus in locum defuncti ſubſtituitur, quando populi univerſi ſuffragio in pace deligitur, quãdo Dei auxilio in perſecutione protegitur, collegis omnibus fideliter iunctus, plebi ſuæ in Epiſcopatu quadriennio iam probatus, &c. quum talis frater à quibuſdam deſperatis & perditis & extra Eccleſiam conſtitutis & perditis impugnari videtur,*

appàret quis impugnet, non ſcilicet Christus, qui Sacerdotes aut conſtituit aut protegit, ſed ille qui Chriſti adverſarius & Eccleſiæ inimicus eſt.

Vbi dolor, ibi manus: & ſatis Cyprianus aperit quid eum potiſſimùm pupugerit, vel malè habuerit, provocatusque, compulſus, & dolens magna cum animi commotione edicit. Ipſus enim erat ille Epiſcopus quadriennio probatus, nō Cornelius; & de ſe, non de Cornelio, dixerat: *His ipſis diebus quibus has ad te literas feci, ob ſacrificia quæ de edicto propoſito celebrare populus jubebatur, clamore popularium ad Leonem denuo poſtulatus in circo*; Sic ejus quod recenter in Africa, quum has literas ſcriberet, ipſi acciderat Cornelium certiorem faciens, non Cornelii ante geſta deſcribens.

IV. Tandem etiam, maximè notandum eſt, centrum ipſum in quod lineæ omnes deſinunt, id eſt totius Epiſtolæ hujus ſcopum, eſſe, non confirmationem ullius decreti Cornelii Romani, ſed Cypriani & collegarum Africanorum ſententiæ in Fortunatum, & eos qui ab eo legati Romam miſſi fuerant, ſine exceptione & novæ cognitionis protelatione, executionem. Ideò & Cyprianus Cornelium hortabatur ad conſtantiam, ne quocumque modo, terrore & minis factioſorum adactus, in contrarium iret, concordiamque cohærentem hoc pacto læderet. *Cùm*, inquit, *ſingulis Paſtoribus portio gregis ſit adſcripta, &c. oportet utique eos quibus præſumus non circumcurſare, nec Epiſcoporum CONCORDIAM cohærentem ſuâ ſubdolâ & fallaci temeritate collidere, ſed agere illic cauſam ſuam ubi & accuſatores*

res

res habere & teſtes ſui criminis poſſint: niſi paucis deſperatis & perditis, minor videtur eſſe authoritas Epiſcoporum in Africa conſtitutorum, qui iam de illis iudicaverunt, & eorum conſcientiam iudicii gravitate damnârunt.

Sic, certè, unius Epiſcopi in omnes poteſtas ex qua de aliorum ſententiis judicet, quam hodierni Romani pro fidei ſuæ fundamento communiter habent, paucorum & deſperatorum hominum, tempore Cypriani; (ſi tamen eo uſque provecti ſunt illi perditi) fuit opinio; prout ipſe ad Cornelium Epiſcopum Romanum, *collegam* ſuum & *ſacerdotem pacificum*, quôcum arcta illi intercedebat amicitia, liberè ſcribit. Nunc, ſanè, pauci non ſunt qui ita ſentiunt; (nempe Epiſcoporum in Africa conſtitutorum authoritatem minorem fuiſſe authoritate Romani Epiſcopi, ad quem confugiebant ut ad majoris poteſtatis præſulem; quos reprehendit hic noſter;) Sed haud minùs deſperatos vel perditos facit multitudo; quandoquidem quod priſcæ Eccleſiæ judicio perfidia fuit, illis fides eſt.

Sunt etiam deſperationis voces eorundem ad hæc annotata exceptiones: Putâſſe, ſcilicet, factioſos illos, Epiſcopis Africanis de eorum cauſa primùm cognoſcendi jus nullum fuiſſe; id reprobâſſe Cyprianum, & in Africa cauſam primùm in eos agere voluiſſe; poſteà verò, ad Epiſcopum Romanum, ut ſupremum judicem, appellationem admiſiſſe. Imò verò, nullâ ratione, poſt ſuum & collegarum judicium, renovari litem & cognitionem permiſit. *Iam*, inquit *cauſa eorum cognita eſt: iam de iis dicta ſententia eſt; nec*

cenſuræ congruit ſacerdotum mobilis atque inconſtantis animi levitate reprehendi. Num ſic inferiores judices ad ſupremos, quibus ſententias eorum corrigere & reſcindere eſſet in uſu, ſcripturi eſſent? Altera etiam exceptio æquè varia eſt, ex diſtinctione *cauſarum maiorum* quæ clericos majores ſpectant, & à ſupremo iterum judicari poſſint; & *cauſarum minorum* clericos minores ſpectantium, quas aliò transferre non licuerit; hîc de cauſa minore quæſtionem fuiſſe, non dé majore. At contra, quærebatur præcipuè & propriè quis Epiſcopus Carthaginenſis eſſet Cyprianus, an Fortunatus; ſicque fuit cauſa major. Nec tamen renovari judicium, per concordiæ Eccleſiaſticæ legem, Romæ potuit.

Ex prolixa, nec omnino non neceſſaria, deductione doctrinæ Cypriani ab ipſo expoſitæ, in illa citata Epiſtola unde ſeparata quædam vocabula ab adverſariis in alienum ſenſum detorta ſunt, conſtans hujus tractatoris de regimine Eccleſiæ ſententia emicuit. Agnovit ille, quod alibi refert, *unum eſſe Epiſcopatum, cuius à ſingulis in ſolidum pars tenetur*; & uniuſcujuſque authoritatem ſartam tectam manere voluit. Unius verò in omnes Epiſcopos authoritatem, vel alium à Christo judicem qui de Epiſcoporum ſententiis judicium ferat; id verò monſtrum perpetuò exhorruit & deteſtatus eſt, perditorumque & deſperatorum hominum commentum duxit. Atque in ea ſententia conſtantiſſimè perſeveravit; ut ex ejus praxi & dictis, ubicumque doctrinæ hujus confirmandæ nata eſt occaſio, vide-

Cyp. lib. de unit. Eccleſ.

Digitized by Google

videre eſt. Id verum trium factorum hiſtoriâ, & ad eam obſervationibus adjunctis oſtendemus.

Deductio primi facti, cujus occaſione ſententiam propoſitam Cyprianus confirmavit.

BASILIDES & Martialis, Aſturicæ & Emeritæ in Hiſpania Epiſcopi, cùm ob crimina nefanda paſtorali officio, aliis ſecundùm Eccleſiarum ordinem in eorundem locum ſuffectis, abdicati eſſent, Stephanum Epiſcopum Romanum adierunt; eumque verbis fallacibus deceptum compulerunt, ut communionis ſuæ participes factos, etiam commendatitiis literis communitos dimitteret. Nihilominus Clerus populúſque earum Eccleſiarum quarum anteà curam habuerant, eos averſati, ad Cyprianum & collegas ejus ſcripsêre, ſignificantes *Baſilidem & Martialem, libellis idololatriæ commaculatos & nefandorum facinorum conſcientiâ vinctos, Epiſcopatum gerere & Sacerdotium Dei adminiſtrare non oportere*, deſideraveruntque ab Africanis *ſibi reſcribi*, & *vel ſolatio vel auxilio ſententiæ eorum ſublevari*. *Cypr. lib. I. Ep. 4.*

Cyprianus verò & collegæ non cenſuerunt Romano Pontifici ſupplicandum ut de novo cognitionem inſtitueret, parendumque interim donec aliter eidem viſum foret; ut par erat, ſi pro ſupremo Eccleſiarum judice illum habuiſſent.

Quinimò reſcribunt, *Ordinationem Sabini iure perfectam reſcindere* NON POTVISSE *quòd Baſilides poſt crimina ſua detecta, & conſcientiam etiam propriâ confeſſione nudatam, Romam pergens, Stephanum collegam ipſorum longè poſitum, & geſta rei ac veritatis ignarum fefellerat, ut ambiret reponi ſe iniuſtè in Epiſcopatum de quo fuerat iuſtè depoſitus.* Addunt, *Non poſſe eiuſcemodi homines Eccleſiæ Chriſti præeſſe.* Et hæc quidem ad rem ipſam quod attinet, eorum fuit ſententia.

Sic verò adversùs Stephani præjudicans factum, offenſos conſolati ſunt & confirmârunt: *Nec moveat vos, fratres dilectiſſimi, ſi apud quoſdam, in noviſſimis temporibus, aut* LVBRICA FIDES *nutat, aut Dei timor apud irreligioſos vacillat, aut pacifica* CONCORDIA (quam læſerat Stephanus) *non perſeverat.* Deinde monent: *Non ſic tamen, quamvis noviſſimis temporibus, in Eccleſia Dei aut Evangelicum vigorem cecidiſſe, aut Chriſtianæ virtutis & fidei robur elanguiſſe, ut non ſuperſit* PORTIO SACERDOTVM, *quæ minimè ad has rerum* RVINAS & FIDEI NAVFRAGIA *ſuccumbat.* Exemplum etiam adjungunt *Matathiæ* qui *ſuccumbentibus licèt & cedentibus cæteris legem Dei vindicârat fortiter.* Clarum eſt in Matathiæ ſimilibus, & *portione* illa *ſacerdotum*, ſibi locum ſtatuiſſe: Stephanum verò qui diſciplinam relaxaverat, & cujus authoritate nitebantur juſtè depoſiti, in *ſuccumbentibus* & *cedentibus* locâſſe.

Ejuſdem etiam præcipuè reſpectu, ne factum illius, mali conſequentiam traheret, ſic concludunt: *Quare etſi aliqui de* COLLEGIS *noſtris*

exti-

Digitized by Google

extiterint, fratres dilectiſsimi, qui deificam diſciplinam negligendam putent, & cum Baſilide & Martiale communicant (quod Stephanus fecerat) *conturbare fidem noſtram res iſta non debet, cùm ſpiritus ſanctus in Pſalmis, talibus comminetur, dicens: Tu autem odiſti diſciplinam, & projeciſti ſermones meos poſt te. Si videbas furem, ſimul currebas cum eo, &c.*

Cyprianus igitur, & XXXV. Epiſcopi qui hæc ſcribebant, nec non Eccleſiæ quæ auxilium & ſolatium ſentētiæ eorumdem expetebant, haud exiſtimaverunt Epiſcopum Romanum depoſitos illos Epiſcopos reponere potuiſſe, vel fidei naufragium facere nequire: hoc eſt, neque plenitudinem poteſtatis, neque judicii infallibilitatem Romano Pontifici competere crediderunt.

Inde etiam patet Cyprianum, cùm ad Cornelium ſcriberet perfidiam apud Romanos acceſſum habere non poſſe, ex charitate præſumpſiſſe quod ſperaret, non ex fide definiviſſe quod abſolutè crederet. Ejuſmodi etiam affirmationes, quibus fortiſſimi patris filium ignavum & puſillanimem nō futurum unquam, vel apud caſtæ matronæ filiam impudicitiam acceſſum habere non poſſe dicimus, non ſunt neceſſaria veritatis axiomata. ſed conceptæ ſpei probabilia argumenta. Et illa quidem ad eos quorum res agitur, propoſita, rationum loco ſunt quibus ad virtutem induci poſſint. Sed ut non ſemper reſpondet eventus, ita hic noſter vidit tandem ad Romanos perfidiam acceſſum habuiſſe; & ſpes quas de fide eorum conceperat, in mœſtas, ob eorundem ſuccumbentium naufragia, convertere querelas coactus eſt.

Digitized by Google

Deductio facti ſecundi, cujus occaſione Cyprianus ſententiam ſuam expoſuit.

NOVATIANVS, hæreticus & ſchiſmaticus, adversùs legitimam Cornelii, deinde etiam Lucii electionem ſuſcitatâ factione, ſe pro Epiſcopo urbis Romæ geſſerat. Inde pulſus, Eccleſiis Africæ imponere conatus eſt, ut eorum communione frueretur; & ab Epiſcopis rejectus, non tamen ab hæreſi deſtitit; ſed ab Eccleſiæ Catholicæ communione amputatus, ubicumque potuit, quorumdam Epiſcoporum auxilio & communione fretus, irrepſit. In eorum Epiſcoporum numero fuit Martianus Arelatenſis, qui ab Eccleſiæ Catholicæ communione deſcivit, ut Novationo ſchiſmatico ſe conjungeret. Id ubi per Fauſtinum Lugdunenſem reſcivit Cyprianus, ad Stephanum Cornelii & Lucii ſucceſſorem ſcripſit & conſilium dedit hoc: *Te facere oportet pleniſſimas literas ad Coëpiſcopos noſtros in Galliis conſtitutos, ne ultra Martianum pervicacem & ſuperbum, & divinæ pietatis ac fraternæ ſalutis inimicum, collegio noſtro inſultare patiantur.* Item, *Dirigantur in Provinciam & plebem Arelatæ conſiſtentem à te literæ, quibus abſtento Martiano alius in locum eius ſubſtituatur.*

Cypr. lib. 3. Ep. 13.

Conſilium illud ſic interpretantur adverſarii, quaſi Cyprianus Stephanum tanquam Epiſcoporum ſupremum compellaverit, ut, quia juriſdictionem ubique terrarum & poteſtatem abſolutam haberet, Martianum Galliarum Epiſcopum

ſcopum deponeret, aliumque in locum ejus ſubſtitueret Verùm, utcumque quædam hujus epiſtolę verba ſeorſum ſumpta, ipſis aliquantùm favere videantur, univerſa conjunctim conſiderata, doctrinam quam expoſuimus antea non parum illuſtrant.

Eſt in his verbis, *quibus abſtento Martiano alius in locum eius ſubſtituatur*, tota difficultas. Pontificii Martianum Stephani iudicio & literis fuiſſe abſtentum propriè, aliúmque in locum ejus ſuffectum, volunt. At non hoc dicit noſter author; ſed *abſtento*, hactenus ſcilicet, Martiano, non literis Stephani *abſtinendo*, alium ſubſtitui cupivit. Nam Martianus quidem facto ſuo, quo à *Catholica Eccleſia veritate, atque à Sacerdotii conſenſione ſe diſiunxerat, coniunxeratque Novatiano nuper retuſo & refutato, & per totum orbem à Sacerdotibus Dei abſtento*, ipſe abſtentus erat. Et quamvis collegio ſacerdotum inſultans, *nec dum abſtentus VIDERETVR*, tamen *non ſic* agat, aiebat Cyprianus, *quaſi ipſe iudicaverit de collegio ſacerdotum, cùm ipſe ſit AB VNIVERSIS SACERDOTIBVS IVDICATVS*. Cùm igitur ipſe author ab omnibus iudicatum pronũtiet antè, quidni Stephano abſtentum illum literis ſuis dicere ſuadeat? *Vid. ſub fin. Epiſt.*

Porrò, literis Stephani Cyprianus ſubſtituendum alium intellexit, quatenus per eas Provinciæ Epiſcopi ut facerent inducendi erant. Nam Româ quidem quempiam in Galliæ Eccleſiis ſubſtitui, tum inauditum erat; & ne nunc quidem omnino ſic habet. Cypriani verò tempore obſervatũ in electionibus ordinẽ, quis ipſo melius dicat? *Diligenter*, inquit, *de traditione divina &*

Apoſtolica obſervatione ſervandum eſt & tenendum, quod apud nos quoque, & ferè per provincias univerſas tenetur, ut ad ordinationes ritè celebrandas, ad eam plebem cui præpoſitus ordinatur, Epiſcopi ejuſdem provinciæ proximi quiq; conveniant, & Epiſcopus eligatur plebe præſente, quæ ſingulorum vitam pleniſſimè novit, & uniuſcuiuſque actum de eius converſatione perſpexit. Quod igitur diligenter ſervandum ex traditione divina dixit, id Stephanum violare nunquam ſuaſit; ſed Gallos Epiſcopos Martiano, quem collegio ſuo illudere patiebantur, nimiùm indulgentes, ſeriâ admonitione ab Epiſcopo Romano excitari voluit & induci, ut pulſo ſchiſmatico, Paſtorem catholicum plebi præficerent.

Erat autem ea unitatis Eccleſiaſticæ lex, ut quandocúmque Epiſcopus Catholicus, ritè & ex ordine, aliis hæretici cujuſdam & ſchiſmatici damnationem ſignificaret, illis eundem cum ſectatoribus ſuis, à communione & præſidentia Eccleſiæ arcendi neceſſitatem, pleniſſimas literas dirigendo, induceret. Non id quidem ex imperio & authoritate ſcribentis, tanquam ſuperioris: ſed ex ipſius rei æquitate, & fidei concordiæque ratione; quæ certè, ejuſmodi commonitione *cedentibus* & *ſuccumbentibus*, vel Romanis ipſis, contemptâ, non ſine perfidia læderetur.

Hac lege, vel cum vitæ diſcrimine, Cornelio Romano, ex Cypriani literis & monitis, Fœliciſſimi ab Eccleſia pellendi neceſſitas incubuit, quòd ille Fortunati ab Africanis dãnati Pſeudepiſcopi ſectator eſſet. Sic & Stephanus, ſanè, etiam abdicandi Martiani & in locum ejus Catholicum Epiſcopum ſubſtituendi, quia Nova-

tiano

tiano Romæ damnato ſe conjunxiſſet, neceſſitatem inferre potuit.

Eſt autem ejus potiſſimùm Epiſcopi quem proximè vel primò res ſpectat, & cujus maximè intereſt damnationis judicium ratum manere, ejuſmodi literas authenticas ſcribere, & communionem concordiámque ſuæ Eccleſiæ læſam iri ſignificare. Ita Fortunati & Fœliciſſimi conatibus Cyprianus ſe opponere debuit: Pariterque in Martiani Arelatenſis negotio, Stephano Romano intercedendum fuit. Novatianus enim Cornelio & Lucio Stephani anteceſſoribus, quorum nomina in diptychis Eccleſiæ fuerant inſerta, oppoſitus erat Pſeudepiſcopus, quem, ut ſtolonem, reſecuerat Eccleſia Romana. Illius igitur admiſſio erat Cornelii & Lucii memoriæ, ſucceſſoriſque Stephani vocationis, damnatio. Ideo Stephanum Cyprianus in eo negotio anteſignanum & præcipuum actorem eſſe voluit; non, inquam, quòd in omnibus authoritate ſuperior eſſet, ſed quia hæc illum cauſa ſpeciatim ſpectaret. Et id expreſsè docet ſub finem Epiſtolæ, his verbis: *Servandus enim anteceſſorum noſtrorum beatorum Martyrum Cornelii & Lucii honor glorioſus, quorum memoriam cùm nos honoremus, MVLTO MAGIS TV, frater chariſſime, honorificare & ſervare, gravitate & authoritate tuâ, DEBES, qui vicarius & ſucceſſor eorum factus es.*

Hanc unicam Stephano peculiarem rationem notavit cur eum potiſſimùm in eo negotio agere voluerit: Cæteræ omnes cuiuſcumque Epiſcopi ex demandato munere, communes ſunt, quas ſibi pariter ac Stephano aptat. *Cui rei*, inquit,

Digitized by Google

NOSTRVM EST, *conſulere & ſubvenire, frater chariſſime, qui divinam clementiam cogitantes, & gubernandæ Eccleſiæ libram tenentes*,&c. Item, *Idcirco enim copioſum eſt corpus ſacerdotum, concordiæ mutuæ glutine atque unitatis vinculo copulatum, ut ſi quis ex collegio noſtro hæreſim facere, & gregem Chriſti lacerare & vaſtare tentaverit*, SVBVENIANT CAETERI, *& quaſi Paſtores utiles & miſericordes oves Dominicas in gregem colligant.* Non dixit, TVVM *eſt, quia ſupremus es*; ſed, NOSTRVM *eſt conſulere*.&c. Neque etiam, *Ideo unus eſt ſacerdos ſuper omnes conſtitutus, ut ſi vel multi hæreſim facere tentaverint* ILLE SVBVENIAT: Sed, *Ideò copioſum eſt* CORPVS, *ut ſi* VNVS *tentaverit*, &c. SVBVENIANT ALII.

Eſt igitur concordiæ Eccleſiaſticæ ea lex, ut non alicui uni corpus univerſum ſubjiciatur, ſed aliquis unus, vel quivis, à collegio Epiſcoporum ſubvenientium pelli poſſit. At Romani hodierni volunt corpori univerſo conſuluiſſe Dominum, unius in caput conſtitutione, cujus ſit colligere gregem, cuique alii reſiſtere non poſſint, & *etiamſi ſuæ & fraternæ ſalutis negligens, deprehenditur inutilis & remiſſus in ſuis operibus, & inſuper à bono taciturnus, & innumerabiles populos catervatim ſecum ducat primo mancipio gehennæ cum ipſo plagis multis in æternum vapulaturos, hujus culpas iſtis redarguere præſumat mortalium nullus.* Verùm, inde conſultum gregi aſſerit Cyprianus, quòd copioſum eſt recolligendis ovibus adverſus unius conatum, corpus ſacerdotum. Eſt etiam, ex adverſariorum ſententia, Pontifex

Diſt. XI. Can. Si Papa.

Roma-

Romanus alios omnes, conjunctim & ſeparatim, poteſtate ſuperans, nec in eorum ordine & numero recenſendus. At Cyprianus Stephanum ut collegii illius copioſi unum, officii monet, & ſemetipſum eadem ratione adjungit. Denique, hoc Doctore iudice facilè vicerimus; quia plurium in unum quemvis, non unius in plures vel etiam omnes, ordinem ſtatuit.

Facti tertii, quod Cypriano ſententiæ confirmandæ occaſionem præbuit, deductio.

CYPRIANI tempore mota fuit de hæreticorum Baptiſmo quæſtio; quídque ab eorum parte ad Eccleſiam venientibus faciendum eſſet, quæſitum eſt. Ipſe verò & *complures alii*, cùm in *concilio adeſſent*, ſuper ea quæſtione quod viſum eſt *decreverunt*, & *quid ſentirent expreſſerunt literis*, quarum *exemplum* hic noſter ad *Iubajanum* Epiſcopum, qui *motum animæ eius* ſcire *deſideraverat*, miſit. Extat etiam Epiſtola communi eorum nomine ad Stephanum Romanum ſcripta, in qua declarant *eos qui ſint foris extra Eccleſiam tincti, & apud hæreticos & ſchiſmaticos prophana aqua labe maculati, quando ad Eccleſiam, quæ una eſt, venerint baptizari oportere. Hæc autem*, aiunt ſub finem Epiſtolæ, *ad conſcientiam tuam frater chariſſime, & pro* HONORE COMMVNI, ET PRO SIMPLICI DILE-

Cypr. in Ep. ad Iubajanum.

Cypr. lib. 2. Ep. 1.

CTIONE *pertulimus*: ut conſtet eos de ſupre-matu peculiari, ex quo Stephano ſingulariter deferendum eſſet, ne cogitâſſe quidem; ſed tantùm honoris communis Epiſcoporum in collegas, & ſimplicis dilectionis, habuiſſe rationem. Nunc quidem res mutatæ ſunt, ut cum Epiſcopo Romano ſic agere contumelioſum ab adverſariis exiſtimaretur.

Quia autem Cypriano & collegis, Stephani nondum nota erat ſententia, nec ſciebant an quod decreverant probaturus eſſet, ſubjungunt, *Scire ſe quoſdam quod ſemel imbiberint nolle deponere, nec propoſitum ſuum facilè mutare, ſed, ſalvo inter collegas pacis & concordiæ vinculo, quædam propria quæ apud ſe ſemel ſint uſurpata retinere. Qua in re nec nos*, aiunt, *vim cuiquam facimus, aut legem damus, cùm habeat in Eccleſiæ adminiſtratione voluntatis ſuæ arbitrium liberum unuſquiſque præpoſitus rationem actûs ſui Domino redditurus.*

Ita tantùm abeſt ut, juxta nunc in Pontificia Eccleſiâ receptum morem, ſua decreta Stephani judicio ſubmiſerint, ſéque ab eo legem accipere paratos profeſſi ſint, ut illi ſatisfactum eſſe putaverint quòd libertati, quam unuſquiſque præpoſitus in adminiſtranda Eccleſia habet, decretis ſuis præjudicare, vel cuiquam vim facere noluerint.

Verùm Stephanus, contra ſic decrevit: *Siquis à quacumque hæreſi venerit ad nos, nihil innovetur, niſi quod traditum eſt, ut manus illi imponatur in pœnitentiam, cùm ipſi hæretici propè alterutrum ad ſe venientes non baptizent, ſed communicent tantùm.* Et ſanior erat ex parte definitio illa, Africanorum

Habetur decretum hoc in Ep. Cypr. ad Pomp. contr. Ep. Steph.

rum decreto; quo etiam illi ſe aliis vim facere nolle proteſtati ſunt. Verùm Stephanus, qui ſi hoc illi negotium univerſum ex dilectione ſimplici & honore communi geſtum eſſet, laudem meruiſſet, illud ſecus quàm par erat adminiſtravit, nec benè bonam cauſam egit. Neque etiam omnino bonam habuit, qui nullam hæreticorum fecit diſtinctionem, ut eos exciperet qui formam baptiſmi non retinebant. Inde Cyprianus *in tantùm Stephani obſtinationem duram prorupiſſe* dicit, *ut etiam de Marcionis baptiſmo, item Valentini & Appelletis, contendat filios Deo naſci.* Diſtinxit etiam poſteà Synodus Nicena.

Certè, ſi ex fragmento Epiſtolæ, prout à Cypriano refertur, judicium faciendum eſt, duo Stephanus infirma poſuit fundamenta, *traditionis* veterum, & πράξεως *hæreticorum*; atque adeò *nihil innovandum* dicens, *niſi quod traditum erat*, non quod volebat, traditionem ſcilicet ſervandam eſſe, ſed contrarium potiùs expreſſerat. Sic Cypriano perito magis occaſionem præbuit in eum animadvertendi, ut qui *ſupervacua, vel ad rem non pertinentia, vel ſibi ipſi contraria*, IMPERITE *atque* IMPROVIDE *ſcripſiſſet.* Hinc etiam graviter conqueritur, *ad hoc malorum devolutam eſſe Eccleſiam Dei & ſponſam Chriſti, ut hæreticorum exempla ſectetur, & ad celebranda ſacramenta cœleſtis diſciplinæ lux de tenebris mutuetur, & id faciant Chriſtiani quod Antichriſti faciunt.*

De traditione verò quam obtendebat Stephanus, quærit hic noſter, *utrum de Dominica*

& Evangelica authoritate deſcendens, an de Apoſtolorum mandatis atque Epiſtolis veniens eſſet? & *ſi in Evangelio præcipitur, aut in Apoſtolorum Epiſtolis, aut in actibus continetur, hanc ſanctam eſſe obſervandam traditionem* docet; *quia ſi ad traditionis* CAPVT *&* ORIGINEM *revertamur, ceſſat error humanus.* Sic traditionem veram in ſcripturarum limitibus concluſam declaravit; *originem* etiam *& caput*, non Epiſcopum Romanum & iudicium ejus ſtatuit, quod ex libro de unitate Eccleſiæ eruere molitur Bellarminus; ſed verbum Dei cujus iudicio Stephanum Pontificem Romanum ſtare compellit. Nec quiſquam hæc illi dogmata in hæreſeωs crimen imputavit, quæ non ut controverſa etiam, & ex privata opinione, ſed ut fundamenta communis Chriſtianæ fidei propoſuit.

At Stephanus rationibus infirmis corroborandis vim adhibere congruum, aut etiam neceſſarium, duxit, omnéſque ſecus quàm decreverat ſentientes à communione ſua ſeparatos eſſe voluit; neque prudenter, certè, neque ex charitate. *Stephanus* (ait Euſebius Dionyſii verbis) *anteà ſcripſerat Epiſtolam de Heleno, de Firmiliano, de omnibus Epiſcopis qui erant ex Cilicia & Cappadocia & Galatia, & ex omnibus Gentibus quæ erant finitimæ, quod neque cum illis quidem ob eam cauſam communicare vellet. Nam illi, inquit, hæreticos rebaptizant.*

Euſeb hiſt. lib 7. cap. 4.

Firmilianus etiam, in Epiſtola quam ad Cyprianum ſcripſit, perinde cum Africanis à Stephano actum eſſe commonſtrat, & de illius audacia multùm, & multis, queritur. *In cæteris*

Extat in oper. Cypr Edit Par ſ Ep 43 & Pamel. 75.

ris quoque provinciis, inquit, multa pro *locorum & nominum diverſitate variantur: nec tamen propter hoc, ab Eccleſiæ catholicæ pace atque unitate aliquando diſceſſum eſt; quod nunc Stephanus* AVSVS EST *facere*, RVMPENS ADVERSVS VOS PACEM *quam ſemper anteceſſores eius vobiſcum* AMORE ET HONORE MVTVO *cuſtodierunt; Nec intelligit offuſcari à ſe Chriſtianæ petræ veritatem, qui ſic prodit & deſerit unitatem.* Et ad Stephanum converſus: *Lites quantas parâſti per Eccleſias totius mundi? peccatum verò quàm magnum tibi exaggerâſti, quando te à tot gregibus ſcidiſti? Excidiſti enim te ipſum, noli te fallere; ſiquidem ille eſt verè ſchiſmaticus qui ſe à communione Eccleſiaſticæ unitatis Apoſtatam fecerit. Dum enim putas à te omnes abſtineri poſſe,* SOLVM TE *ab omnibus abſtinuiſti.*

Sic ſententiis diſſidentibus, & inter ſe collidentibus, Eccleſiarum Epiſcopi, *convenêre in unum, tam provinciæ Africæ quàm Numidiæ*, Epiſcopi *numero unus & ſeptuaginta, qui idem denuo ſententiâ firmârunt.* Acta Concilii in Epiſtola ad *Quintum*, vel *Quirinum*, continentur; ubi Cypriani concilium aperientis verba notanda veniunt. *Supereſt*, inquit, *ut de hac ipſa re quid ſinguli ſentiamus proferamus, neminem iudicantes aut à iure communionis aliquem ſi diverſum ſenſerit, amoventes. Neque enim quiſquam noſtrûm Epiſcopum ſe eſſe Epiſcoporum conſtituit, aut tyrannico terrore ad obſequendi neceſſitatem collegas ſuos adegit, quando habeat omnis*

Digitized by Google

Epiſcopus, pro licentia libertatis & poteſtatis ſuæ, arbitrium proprium, tanquam iudicari ab alio non poßit, cum nec ipſe poßit alterum iudicare, ſed expectemus univerſi iudicium Domini noſtri Ieſu Chriſti qui VNVS & SOLVS habet poteſtatem & præponendi nos in Eccleſia ſua gubernatione, & de actu noſtro iudicandi.

His, certè, Cyprianus, non ſemel Stephanum innominatum perſtringit, qui *à iure communionis ſuæ diverſa ſentientes amoverat*, ſicque *collegas ſuos ad obſequendi neceßitatem*, excommunicationis latâ ſententiâ, quantùm quidem in ipſo fuit, *adegerat.* Illa verò agendi ratio, authore hoc noſtro iudice, nō legitimæ poteſtatis fuit actus, ſed *tyrannici terroris* conatus & violentia. Et eam tyrannidem exercere eidem Doctori eſt *Epiſcopum Epiſcoporum ſe cōſtituere*; vel *Chriſti* ipſius & *Dei qui eos conſtituit, & cui uni rationem reddere debent, iudicem* ſe facere; ut ad Cornelium ſcripſerat idem, & Pupiano exprobraverat.

Epiſcopum igitur *Epiſcoporum* memorat, non quia tum quiſquam ſe talem, totidem verbis, profeſſus ſit; nec enim tum, vel etiam aliquot ſeculis ſequentibus, ita factum eſſe literarum monumentis proditum eſt. Sed ex conſequentia, illius elationem qui eam quam dixit tyrannidem in collegas exercere velit, ad tituli hujus abſurditatem, quaſi monſtrum oculis ſubjiciens, reduxit; & à ſe collegíſque Africanis removit, atque in alio quocumque deteſtatus eſt. Nec enim ſic argumentatur ut rationibus particularibus his quidem eum titulum convenire neget, alteri autem integrum relinquat; ſed generales adhibet, quæ rem ipſam deſtruant, & adverſus quem-

cum-

cumque mortalium militent, ut vel maximè inhianti eripiant bolum. Prima à communi Epiſcoporum omnium libertate & poteſtate, ex qua ab alio iudicari non poſſit, deducitur. Altera verò ratio, à proprio & peculiari iure Chriſti, qui ſolus & unus habet poteſtatem Epiſcopos præponendi, & de ipſorum actu iudicandi, petitur. Inde clarè ſequitur eum qui ſe Epiſcopum Epiſcoporum conſtituet, ſive Africanus, ſive Europæus fuerit, iura communia Epiſcoporum, & propria Chriſti violaturum.

Urgent adverſarii dixiſſe Cyprianum, *Neque enim quiſquam noſtrûm ſe conſtituit*, &c. ut à ſe & collegis tantùm titulum removere velle videatur. Reſpondeo, eum quidem qui alium perſtringere voluit, ſe tantùm cum collegis à propoſito crimine actu tunc purgâſſe. Sed cùm rationes quibus ducti ab ea tyrannide abhorrerent illi, generales & quæ Epiſcoporum libertati communi, Chriſtique adeò ipſius poteſtati peculiari, repugnantem evincant, referat: Certè eum qui hanc tyrannidem exerceret, & ipſo actu ſe Epiſcopum Epiſcoporum conſtitueret, nempe Stephanum, propriè ferit; nec eum mare interjectum ab ejuſmodi rationem telis protegebat.

Cæterùm Stephanus in ea terroris tyrannide exercenda obſtinatè perſeverans, ſententiæ Cypriani Epiſcoporum animos irritavit vehementer; eoúſque abreptus, ſcilicet, ut *non ſolùm propter hæreticos fraternitatem ſcinderet*, ſed & *inſuper Cyprianum Pſeudochriſtum, & Pſeudoapoſtolum, & doloſum operarium diceret*. Hinc & Firmitianus, ipſe iræ non

temperans, regerit eum *hæc omnia in ſe fuiſſe conſcium, præveniſſe, ut alteri ea per mendacium objiceret, quæ ipſe ex merito audire deberet.*

Cyprianus tamen, pacis & concordiæ amans, unitatem Eccleſiæ ſervare ſtuduit; nec paſſus eſt, ex parte ſuorum, excommunicationibus increſcere malum, magíſque divelli Eccleſias. Nos, inquit, *quantùm in nobis eſt, propter hæreticos, cum collegis & Coepiſcopis noſtris non contendimus; maximè cùm & Apoſtolus dicat: ſi quis autem putatur contentioſus, nos talem conſuetudinem non habemus neque Eccleſia Dei.* Item: *Servatur à nobis patienter & leniter charitas animi, collegii honor, vinculum fidei & concordia ſacerdotii. Propter hoc etiam libellum de bono patientiæ, permittente & inſpirante Domino conſcripſimus.*

Cypr. Ep. ad Iubaſanum.

Verumtamen, quod notandum eſt, Cyprianus I. decreto Stephani ſibi ex neceſſitate ſtandum non duxit. II. Nec ſe à corpore Eccleſiæ ſeparatum credidit, quòd in communione Stephani Romani non eſſet. III. Et libellum de bono patientiæ, ut ſe alióſque conſolaretur, & ad offenſas tolerandas componeret, conſcripſit. Sic ſe alieno peccato & injuriâ afflictum ſtatuens, patientiæ ſtudebat; non autem pœnitentiam, quaſi rebellionis in ſuperiorem ſibi conſcius, meditabatur. IV. Quamvis etiam ejus de Baptiſmo ſententia in Eccleſia non prævaluerit, non tamen ex aliis præſuppoſitis ſchiſmaticus vel hæreticus habitus eſt. Quin potiùs Auguſtinus humilitatem ejus laudibus effert; & *quanto humilior* fuit, *tanto excellentiorem* pronuntiat. Quî verò humilis, ſi præpoſito ſuo

Aug. de Bapt contr. Donat. lib. 2. cap. 3.

&

& Epiſcoporum ſupremo rebellis fuit? Agnoſcit etiam idem Auguſtinus eum in Eccleſiæ unitate permanſiſſe. *Ecce*, inquit, *in unitate video Cyprianum & alios collegas, qui facto Concilio cenſuerunt omnes qui extra Eccleſiæ communionem fuerint baptizati, baptiſmum non habere, & ideo eis dandum eſſe cùm veniant. Sed ecce, rurſus in eadem unitate video quoſdam de hac re aliter ſentire, &c. Hos omnes catholica unitas materno ſinu complectitur*, (etiamſi ab unitate reſecaret Stephanus,) *invicem onera ſua portantes & ſtudentes ſervare vnitatem ſpiritûs in vinculo pacis, donec alteris eorum, ſiquid aliter ſapiebant, Dominus revelaret.* Et alibi: *Erat Cyprianus filius pacis Eccleſiæ.* *Ibid cap. 6.* *Id ibid lib. 1. cap. ult.*

Quamobrem, ab unitatis Eccleſiæ ſyncera doctrina ne latum unguem diſceſſit Cyprianus; ut nec ab unitate ipſa receſſit actu, dum Stephani tyrannidi obſtitit. Ideo, etiam, hodiernis Romanis veram unitatis Eccleſiæ rationem ignotam eſſe inde patet, quòd abſolutè in Romani Pontificis infinita poteſtate ejus fundamentum ſtatuentes, extra communionis ejuſdem limites locum habere non poſſe decernunt; Neque Epiſcopos à Romani communione ſecluſos, Cyprianum, inquam, & alios ejus collegas, in unitate Eccleſiæ videre poſſunt. At non tantùm Cypriano, unitatis Eccleſiæ ut ſtudioſiſſimo, ſic ſcientiſſimo, ejúſque collegis, ſed & Eccleſiæ catholicæ, Auguſtinóque ſecus viſum eſt. Atque ex conſtantiſſima ſancti Martyris (de regimine Eccleſiæ Epiſcoporúmque

Digitized by Google

omnium, & Romani nominatim, authoritate) doctrina, quam nullus palam damnare auſus eſt, clarum eſt ſeculi illius tertii Patres (in his quidem capitibus) ab hodiernis Romanis diſſidentes fuiſſe. Ipſe certè Cyprianus, in cujus dictis recenſendis & expendendis diutiùs immorati ſumus, ſupremam unius in alios Epiſcopos authoritatem ut perditorum & deſperatorum hominum opinionem execratus eſt, & æqualem Epiſcoporum poteſtatem propugnare non deſtitit.

CAP. IV.

Doctrina Patrum ſeculi quarti, ad Romani Epiſcopi authoritatem quod attinet, ex Nicæno Concilio præſertim, declaratur.

AD ea nunc tempora devenimus, quibus Doctorum & ſcriptorum copia major affluxit, negotia longè plura & notabiliora, monumenta etiam varia relicta; & Concilia frequentiùs commodiùſque congregata fuêre. Ideò & ex multis præcipua colligenda erunt; &, ne in immenſum tractatus excreſcat, compendiosè ſumma rerum faſtigia ſequenda: Ita tamen ut omnium eorum Patrum quos theſeôs à nobis impugnatæ authores, dicis tantùm causâ, nominaverant, ſententiam manifeſtam faciamus. Alios item aliquot ejuſdem veritatis teſtes adjiciemus; canones, etiam, & acta Conciliorum celeber-

lebertimorum ad hanc quæſtionem facientia, adſpirante divino numine, propoſitum & expenſuri. Siquidem quæ in cœtibus Epiſcoporũ Eccleſias repræſentantium, cõmuni conſenſu, decreta ſunt, ſententiis quorumlibet ſeorſum ſcribentium, quæ reſolutionum generalium rationem non habent, multùm præponderant; utcumque ad divini canonis authoritatem ſupremam, ad cujus normam omnia probanda ſunt, minimè accedant.

Si Doctores Catholici, aiebant adverſarii *propoſitam theſin* (nempe de eadem veterum cum hodierna Romana Eccleſia, ad Pontificis ſui authoritatem quod attinet, ſententia) *ex libris à ſe in id ipſum ſelectis S S. Athanaſii, Baſilij, Gregorij Nazianzeni, Irenæi, Chryſoſtomi, Cypriani, Ambroſii, Auguſtini, Hieronymi, Leonis, Gregorij magni, alijſque probatis authoribus, veram eſſe demonſtraverint, haud dubium eſt quin veſtros in Pontificem clamores & tumultus irritos & vanos eſſe innoteſcat*: Imò verò, non *ſi demonſtraverimus*, ſed QVIA ex verbi divini veritate, duabus præcedentibus hujuſce operis partibus, PROBAVIMVS uni & ſoli Chriſto ſupremam competere in Eccleſiam authoritatem; Paſtoribus verò commiſſum pro illius ædificatione miniſterium, eâ lege ut ne quiſquam eorum cæteris ex imperio & authoritate major ſit in terris, ſed ex miniſterii labore fiat in regno cœlorum primus: Haud dubium eſt quin ſi vel Angelus è cœlo, vel Athanaſii, Baſiliiq́ue, contra quàm quod in Scripturis accepimus annuntiarent, anathema & ipſi eſſe deberent; quia quicquid adverſus ſacroſanctam Dei veritatem creaturæ

moliri queant, irritus & inanis, duntaxat, conatus futurus eſt. Sed re verâ, nec Angelus è cœlo ullus, nec priſcorum & puriorum ſeculorum Doctor quiſquam eſt, qui huic doctrinæ quam ex cœleſtis magiſtri, *teſtiſque fidelis*, documentis eruimus, repugnet aut contradicat.

Sed tenebrarum Angelus Satan, qui Angeli lucis figuram decipiendi causâ aſſumere ſolet, piorum Doctorum nominibus ementitis, erroribus etiam & mendaciis à ſe ortis authoritatem concilïare ſtudet. Et hactenus, non eos ſequuti qui ex inordinato patrum cenſu à ſe edito, eorum tantùm nomina confusè cognoviſſe videntur, idipſum ex ſcriptoribus qui ad CCC^m à Chriſto nato annum maximè floruerunt, clarè evicimus; Irenæumque & Cyprianum, quos ſolos de eorum ſeculorum ſcriptoribus nobis opponendos ſelegerunt, pro veritate ejus ſententiæ quam adversùs Pontificiam doctrinam tuemur, clarè & diſertè loquentes induximus. Nunc & alios, deinceps, audiamus.

Celeberrimum illud Niceæ in Bithynia congregatum Concilium, quod primum generale & œcumenicum recenſetur, primum etiam hîc locum poſtulat. Anno circiter illius ſeculi XXIV. coiit, & omnes fere Chriſtianæ Eccleſiæ, maximè quæ in Imperij Romani ditione ſedes habebant à CCCXVIII. Patribus repræſentatæ fuerunt.

Tria in illo Concilio ad quæſtionem noſtram maximè notanda veniunt, *convocatio*, *preſidentia*,

dentia, & *definitiones*. De convocatione quidem, à quo & cujus authoritate facta ſit quærendum; quia nunc & adverſariis prærogativæ Pontificiæ, quam juris divini eſſe dictitant, pars non exigua eſt; neque, ex eorum ſententia, legitimæ ſunt ſynodi generales, quas Pontifex ex poteſtate ſuprema & abſolutâ ſua, coire non mandaverit. Præſidentiam quoque ſic Romano Epiſcopo competere volunt, ut ipſo vel, ut loquuntur, *Apoſtolicæ ſedis legatis Præſidentibus*, deliberâſſe vel decreviſſe legitimi Concilii illis neceſſaria ſit conditio. Et certè verum eſt capitis & ſupremi totius Eccleſiæ judicis authoritatem, hanc habere conſequentiam, ut ubi Pontifici Romano vel legatis ejus is in cœtibus Eccleſiaſticis locus non eſt datus, ibidem etiam ſupremarûs ejus dignitatem vel ignotam, vel conſultò læſam fuiſſe neceſſe ſit. Quia etiam de juriſdictionum limitibus, Romani Epiſcopi mentione factâ, lex in Concilio Niceno ſancita eſt, ejus item conſideratio non parum lucis ad hujus quæſtionis ſolutionem collatura eſt.

I. Ad convocationem igitur quod attinet, Euſebius ait Conſtantinum *Synodum œcumenicam in unum locum coëgiſſe, & Epiſcopos undique per literas honorificè ſcriptas acciviſſe*; actúmque ἐπίταγμα & παράγγελμα vocat. Theodoretus & Sozomenus idem teſtantur. Ipſa etiam ſynodus, ad Eccleſias ſcribens, ſe gratiâ Dei & principis Deo chariſſimi congregatam profitetur; ut in actis Conciliorum tom. 1. videre eſt. In epiſtola quoque ad Eccleſias Ægypti ſcripta, *gratiâ Dei & mandato ſanctiſsimi Imperatoris ſe congregatos* dicunt.

Euſeb de vit. Conſt lib. 3. cap 6.
Theod. lib. 1. cap. 7.
Sozom. lib. 1. cap 16.
Ap. Theod. lib. c. 11.

Digitized by Google

Neque tamen Imperatorem nullius conquiſito conſilio rem tantam aggreſſum veriſimile eſt; ſed de Paſtorum quorundam inſignium ſententia Concilium convocâſſe, ex ordine maximi momenti diſponendorum negotiorum præſupponendum. Ruffinus, certè, in hiſtoria ſua, *ex conſilio Presbyterorum* factum refert. Quia verò Sylveſter Romæ Epiſcopus, hoc eſt *Occidentalium* (ut loquitur Baſilius) *coryphæus*, Eccleſiæ Alexandrinæ & Orientalium latiùs ſerpentes turbas, videbat potentiſſimum remedium expetere, etiam Conſtantino convocandi Concilii *præcipuus author*, vel etiam *conſilij & ſententiæ princeps* eſſe potuit; unde ſequentium ſeculorum nonnullis data ſit occaſio dicendi, *Conſtantinum & Sylveſtrum congregâſſe Synodum*. Sic enim regi & Conſilio, ſive ſacro ejus Conſiſtorio, ſimul quædam tribui ſolent, in queis Rex ſolus mandato & imperio in ſubditos agit propriè; alii verò, quia conſiliis & ſententiis apud Regem authoritate pollent, & ſic res promovent. Certè cùm Ruffinus à *Presbyteris* ſynodi congregandæ *conſilium* Conſtantino datum ſcribat, & alii omnes hiſtorici, ipſaque Synodus, convocationis edictum & mandatum Imperatori ſoli tribuant, à nobis obſervata diſtinctio, cum ejus applicatione, nullo jure improbari rejicive poteſt. Atque adeò qui aliter operas partiri vel diſtribuere volet, contra rationem iturus eſt purâ voluntate ductus. Siquidem, præter illa à nobis obſervata, etiam in Synodo VI. Conſtantinopoli coacta, in cujus actis Sylveſtri illa cum Conſtantino legitur facta mentio, Epiſcopi Imperatori dicunt: *Serenitatem*

Baſil. Ep. 10.

Concil. Conſtantinop. 6. *Act.* 18.

tem veſtram ad nos convocandos Deus ſuſcitavit. Item, *Veſtrarum literarum mandatis acquieſcentes, tùm Epiſcopus veteris Romæ, cùm nos humiles ſervi & Miniſtri Chriſti*, &c. Unde patet illo etiam longo poſt tempore, ab Imperatoribus convocandorum Epiſcoporum mandata, ad Romanum etiam Epiſcopum, ut ad alios, dirigi ſolita, & iis ipſum acquieviſſe. Ille igitur non mandata dabat cum Imperatore qui ab eo accipiebat cum aliis, acquieſcebátque; utcumque conſiliis & ſupplicationibus apud Imperatorem (quod Leonem feciſſe in Epiſtolis videmus) mandati cauſam præbere potuerit.

Hieronymus uſque adeò ordinarium & neceſſarium convocandis Conciliis Imperatoris mandatum duxit, ut Ruffinum Synodum quæ nuſquam coierat comminiſcentem ſic refellat: *Synodus in qua urbe fuit? Dic Epiſcoporum vocabula; profer ſententias; ſubſcriptionum vel diverſitatem, vel conſonantiam; Doce qui eo anno Conſules fuerint; quis Imperator hanc Synodum iuſſerit congregari?* Nunc quidem apud adverſarios quærendum eſſet quis Pontifex, non Imperator iuſſerit; quibus tamen ſi credas, nihil planè de vetere diſciplina & ordine mutatum eſt, & eadem olim fuit quæ nunc apud ipſos habetur Romani Pontificis authoritas. *Hier. in Apol. adv. Ruff. tom. 2.*

II. Præſidentiæ primus actus notabilis fuit *Epiſcopi qui* (ut ait Euſebius) *in dextero ordine primam ſedem occupabat, & aſſurgens perbrevi oratione Imperatorem* (qui in conceſſum venerat primùm) *affatus eſt, hymnúmque quo Deo omnipotenti gratias ageret, recitavit.* Fuit autem ille, ut ex *Euſeb. de vit. Conſt. lib 3. cap. 11.* *Bar. an. 325. num. 54.*

Theod. lib. 1. cap. 7.

Theodoreti teſtimonio agnoſcit Baronius, *Euſtathius magnus, Antiochenus Epiſcopus, Philogonij ſucceſſor*, qui nomine Synodi Principem excipiens, eo ipſo, partes primi & totius cœtûs præcipui, procul dubio, egit. Quod ſi Sylveſtri legatis, non ex electione, ſed ex neceſſitatis jure præſidendum fuit, Euſtathius, ille ante ora ipſorum, quod eorumdem officii erat uſurpâſſet. Sed neque eo nomine conqueſti ſunt illi, neque iſte ſatisfecit.

Euſeb. de vit. Conſt. lib. 3. cap. 13.

Deinceps verò, Conſtantinus ipſe quidem, *toleranter omnibus attendens animum, prolatas ſententias placidè excipiebat, & magna cum contentione digladiantes paulatim reconciliabat*; ſed ſuâ authoritate uſus quum *magnâ controverſiâ excitatâ; aliis perſuadere, alios ſermone lenire, omnes denique ad concordiam reducere contendebat.* Alioqui, παρεδίδου τὸν λόγον τοῖς τῆς συνόδου προέδροις *ſermonem Synodi præſidibus*, vel *primas ſedes tenentibus tradidit* ſive *conceſſit.* Et in iis fuiſſe Euſtathiũ illum, qui *primam ſedem in dextero ordine occupabat*, actus etiã ille ante notatus evincit. Sed & Hoſius Cordubenſis, provinciæ Hiſpaniæ Epiſcopus, ſive totius Synodi factâ poſtmodùm, ob eximiam ejus pietatem, peritiam & inſignes animi dotes, electione; ſive etiam Conſtantini, qui illi præcipuè ſermonem tradere voluerit, diſpoſitione; Hoſius, inquam, vel Oſius præſidis partes egit in celebri cœtu. Eum anteà Imperator componendis diſſidiis ſelectum, in Ægyptum legatione perhonorificâ miſerat.

Sozom. lib. 1 cap. 15.

Sic enim Sozomenus: *Quoniam hoc malum, ſi modò antequàm ad plures manaret coerceretur, ſanari*

nari poſſe exiſtimabat, idcirco miſit virum quem CIRCA SE HABEBAT (Non igitur à latere Pontificis Romani legatus erat) *fide & vita integritate præſtantem, & ſuperioribus temporibus ob varias Religionis Chriſtianæ confeſſiones admodùm nobilitatum, Oſium dico Epiſcopum Cordubæ, qui illos qui in AEgypto de fide digladiabantur, tum hos qui in Oriente de feſto Paſchatis diſſentiebant, ad concordiam reduceret.*

Ita Principi gratus & honoratus, ex vita anteacta Occidentalibus notiſſimus, legatione, ex qua authoritate communitus, cum inſigni prudentia verſatus eſſet, in Oriente clarus, & qui eorum negotiorum de quibus potiſſimùm Synodo agendum erat, cognitione, in ipſis locis ubi nata erant, laboràſſet, ideóque ad ea perficienda plus aliis conferre poſſet, Synodi præſes fuit. Nec tamen Imperatorem excepit, ſeu quod non natus Synodi præſes, electione tantùm poſteà hanc dignitatem conſecutus eſt; ſive quia cùm unus eorum eſſet quem Imperator, ἀμφ' αὐτὸν, *circa ſe habebat*, haud conveniens fuiſſet quaſi de domo laudes Principis, nomine Synodi & in cœtu, prædicare, & apud eum quo cum erat agere. Sed in aliis actionibus illi delatum eſt; & primus actis Synodi ſubſcripſit, in hunc modum: *Hoſius Epiſcopus Cordubæ, provinciæ Hiſpaniæ, ita credo. Vitus* verò & *Vincentius, ab Epiſcopo Romano propter ætatem ingraveſcentem miſſi, poteſtate conceſsâ actis illius Concilii aſſentiendi, pro illo adfuêre*, & poſt Oſium ſic ſubſcripsêre: Theod. lib. I. cap 7. Sozom. lib. I. cap. 16.

Vitus & Vincentius, pro venerabili Papa Epiſcopo noſtro Sylveſtro ſubſcripſimus.

Athanaſ. apol. 2. & in Ep. ad ſolitar. vit. agent.

Hunc igitur honorem obtinuit clara Hoſii virtus, ex qua eum *magnum verè* ὅσιον, id eſt, *ſanctum*, πάντων μάλιστα περιφανῆ, *omnium maximè clarum & illuſtrem* vocat Athanaſius. Et *Quænam*, inquit, *Eccleſia præſidentiæ eius non habet excellentia monumenta?* Ipſi etiam Ariani de eodem dicebant: *Poteſt ille & verbis & authoritate fidei omnes contra nos inducere. Hic eſt* PRINCEPS SYNODORVM; *& ſi quid ſcribit ubiq; auditur; hic formulam fidei in Nicæna Synodo concepit, & Arianos ubique pro hæreticis traduxit.*

Pontificios tamen, quaſi ab Epiſcopo Romano legatariam habuiſſet virtutem Hoſius, non pudet adverſus hiſtoricorum fidem, ex ſuo duntaxat capite, ad legationem imaginariam Sylveſtri, qua in Ægyptum antea Hoſium miſiſſet, προστασίας ejus cauſam referre: & eam quidem legationem ab Epiſcopo Romano credat cui nihil veri credere cordi eſt.

Unus Gelaſius Ciziccenus, cujus acta nuperè Papali bibliotheca in lucem edita, manibus impuris primùm contrectata, meritò ſuſpecta ſint, *Oſium Sylveſtri locum tenuiſſe*, legationis in Ægyptum nulla factâ mentione dicit. Verùm ſi à Baronio quæras quid ipſi de actis illis videatur, reſpondebit: *Ad acta quæ Gelaſio tribuuntur quod attinet, ut liberè dicam, ſomnia eſſe puto.* Certè id quidem per corruptelam additum exiſtimari poſſit, quod à nullis aliis veterum ſcriptum, nec etiam ab iis qui acta Gelaſii Ciziceni viderant & citaverant, annotatum fuit.

Baron. tom 3. ann. 325. nu. 62. 63.

Ita-

Itaque mandato & edicto Imperatoris, non bullâ Romani Pontificis, convocatâ Synodo generali Nicænâ; & præſidis partes agente initio quidem Euſtathio Antiocheno, deinde Oſio Cordubenſi Epiſcopo, non autem ſedis Romanæ legatis: ſupremátus ille, cujus hæc nunc illi adſcripta, tum etiam fuiſſent conſequentia, ignotus fuit.

III. Ad tertium caput venio definitionis, ſive conſtitutionis quâ Epiſcoporum fines reguntur. Cùm Meletius iura Alexandrini Patriarchæ, quaſdam ex ejus diœceſi regiones ſubtrahendo, conturbaret, canone. *Theod. lib. 1. cap. 9.*

VI. Cautum eſt ut, *Mores antiqui teneant, qui ſunt in AEgypto, Lybia, & Pentapoli.* ut *eorum omnium poteſtatem habeat Alexandrinus Epiſcopus*; hoc eſt poteſtatem Patriarchalem Synodorum convocandorum, & in iis præſidendi, aliáque ejus generis munia obeundi. Ratio verò ſubjungitur hæc: ἐπειδὴ καὶ τῷ ἐν Ῥώμῃ ἐπισκόπῳ συνηθές ἐστι, ὁμοίως δὲ καὶ κατὰ τὴν Ἀντιόχειαν, καὶ ἐν ταῖς ἄλλαις ἐπαρχίαις τὰ πρεσβεῖα σώζεσθαι ταῖς ἐκκλησίαις; id eſt, *Quia ETIAM Romæ* (vel in Roma) *Epiſcopo parilis mos eſt*; (ſive *unà*, vel *ſimul* mos eſt;) *Similiter etiam & apud Antiochiam, & in aliis præfecturis ſalvas manere prærogativas Eccleſiis*, ſubaudi *mos eſt*. *Can. Græc. concil. Nic. 1. Can. 6. & 7.*

Decreti fundamentum petitur, non ab inſtitutione divina, ſed à moribus antiquis, & conſuetudine, ex qua factum eſt, ut in omnibus præfecturis, ſive civitatibus ubi ſedes erat Magiſtratuum qui dicebantur *præfecti prætorii*, Eccleſiis etiam præfecturæ Eccleſiaſticæ honos, & iuriſdictio iuxta cum Politica porrecta, competeret,

Digitized by Google

eſſetque Epiſcopus quaſi præfectus Eccleſiaſticus qui regionum ſubjacentium curam gereret; atque ſic poteſtatem ſecularem imitaretur Eccleſiaſtica, ejuſque ratione diffunderetur vel contraheretur. Et hoc erat σώζεσθαι πρεσβεῖα ταῖς ἐκκλησίαις, *ſalva manere privilegia Eccleſiis*, quando de regionibus ſub diœceſi & præfectura Politica comprehenſis, nulla Epiſcopo & Eccleſiæ Metropolitanæ, quoad iuriſdictionem Eccleſiaſticam, ſubtrahebatur. Nam Epiſcoporum & Eccleſiarum dicuntur privilegia, ſicque uſu etiam nunc receptum eſt; & Concilii canon Epiſcopis Eccleſiiſque hanc attributionem prærogativarum indifferenter, ut uni eidemque ſubjecto, applicat vel refert. Nominatim verò Romæ & Antiochiæ tanquam *Eparchiarum* meminerunt Nicæni Patres, quibus alias in genere, quòd ejuſdem eſſent conditionis, adjungunt, ut quia privilegia Eccleſiis ibi conſtitutis, vel Epiſcopis, ſalva manerent, & Alexandrinæ Eccleſiæ præfecturæ Auguſtali coextēſam iuriſdictionem competere decernant.

Hic verò canon muris Babylonicæ monarchiæ diruendis machina aptiſſima eſt; quia cùm de Alexandrini Epiſcopi iuriſdictione quæreretur, ab Epiſcopi vrbis prærogativa quâ Romæ gaudebat, ſimiliterque ab Antiochenæ, aliarumque ejus ordinis privilegiis & honoribus, exemplum petitur, ut eâ menſurâ & pede Alexandrinæ Eccleſiæ, ſive Epiſcopi, demenſa portio ſalva maneret. Quod ſi Romanus Epiſcopus univerſalem, nulliſque definitam limitibus, iuriſdictionem, non ex more communiter in Eparchiis circa

ca Eccleſias obſervato, ſed ex inſtitutione Chriſti & facto Petri, habuiſſet: tum, certè, nulla inter Alexandrinum & Romanũ proportio obſervanda veniſſet; nulla ex nõ finita & illimitata poteſtate, definiendis aliorum Epiſcoporum portionibus menſura. Nicæni igitur Patres, eos omnes à quib. exemplum petunt, rationibus ejuſdẽ conſiderationis & naturę limitatam habere iuriſdictionem præſupponunt. Nec Romanum ſuprematu peculiari aliorum Epiſcoporum categoriam tranſcendere putaverunt, qui (ut Ruffinus canonem interpretatus eſt) *Alexandrinum, AEgypti; & Romanum, ſuburbicariarũ Eccleſiarum curã gerere voluerunt.* *Ruff. hiſt. lib. 1. cap. 6.*

Hîc verò prolixam de ſuburbicariis regionibus diſputationem inſtituere nobis haud opus eſt. Certè ſuburbicarias fuiſſe eas quæ Romano Imperio non ſubjacebant, hominum nulli in mentem venire poſſit. Ægyptum item, Antiochiam & alias præfecturas à Romana in canone Nicæno diſtinctas, & Ruffini expoſitione à ſuburbicariis diſcretas, iiſdem comprehenſas fuiſſe, nemo dicat ſobrius. Sic certis limitibus, quod nobis ſatis eſt, concluſa fuit ea Romani Epiſcopi iuriſdictio quam ex conſuetudine obtinuerat. Et hunc morem antea expoſuerat Ignatius, cùm Eccleſiam Romanam ab aliis diſcernens, & periphraſi deſignans, eam *quæ in regione Romanorum præſideret*, vocavit. Athanaſius verò, qui Concilio Nicæno interfuit, obſervavit *Romam* fuiſſe *Romanæ diœceſeos* vel *ditionis Metropolina.* Sed de Athanaſii loco plenius ſub finem capitis ſequentis dicturi ſumus. *Athan. ad ſolit. vit. agent.*

Bellarmino quidem Ruffini expoſitio nec re-

ſtricta nec quocúmque modo operoſè extenſa, probari poteſt. Balſamonis etiam liberalitas, quam Occidentalium, duntaxat, diſpendio, in Romana diœceſi amplificandâ exhibet, illi minimè grata eſt; nec quæcumque ſocii ejus, Pontificiæ cauſæ ſublevandæ causâ, excipere ſolent ſatis apta ipſi videntur. Nempe ſenſit homo non obæſæ naris ea omnia ab univerſalitate longè diſtantia eſſe, & limites, utcúmque ampliſſimos, circumſcribere quod infinitum volunt. Ideò aliquid in his rerum Romanarum anguſtiis audendum ratus, aliam omnino inire voluit rationem, novumque canonis commentus eſt ſenſum, quo recepto *ſalva* illis univerſalis iuriſdictionis, per canonem Nicænum, *privilegia* remaneant.

Bell. de Pontif. lib. 2. c. 13

Contendit igitur, non à Romano Epiſcopo ſumptum eſſe exemplum, ut ex comparatione, ſeu quadam ratione proportionis ejuſdem cum aliis Epiſcopis, de Alexandrini iuriſdictione fieret iudicium: Sed tantùm ab authoritate Epiſcopi Romani ductum eſſe hoc argumentum, *Alexandrinum debere gubernare illas provincias, quia Romanus Epiſcopus ita conſuevit; id eſt, quia Romanus Epiſcopus, ante omnem Conciliorum definitionem, conſuevit permittere Epiſcopo Alexandrino regimen AEgypti, Lybiæ & Pentapolis; ſive conſuevit per Alexandrinum Epiſcopum illas provincias gubernare.* Eam verò interpretationem Nicolao I. in Epiſtola ad Michaelem, acceptam refert. Et noſtra quidem nihil refert; niſi quatenus commenti novitatem à ſe amoliri hoc pacto nititur. Sed re vera non ita ſubtilis fuit Nicolaus, (qui ipſo referente Bellarmino) ſcri-

Ibid. §. ſunt autem.

ſcripſit *Concilium nihil ſtatuiſſe circa Romanam Eccleſiam, ſed tantùm ex forma Romanæ Eccleſiæ conſtituiſſe.* Aliud eſt autem ex *forma Eccleſiæ Romanæ conſtituere*; prout ex ejus, & Antiochenæ, aliarumque Eccleſiarum quibus Eparchiarum privilegia ſalva manebant, forma, de Alexandrina ſola conſtitutum eſſe dicimus: aliud verò *ex permiſſione Epiſcopi Romani*, alias Eccleſias & provincias ſpectantis de earum adminiſtratione decernere. Siquidem *forma* ad exemplarem cauſam pertinet, quam interpretatione noſtra ponimus; *permiſſio* verò, ad authoritatem refertur, quam de ſuo capite conſideratam fuiſſe ut decreti cauſam fingit adverſarius.

Ut autem de perpetua & importuna principii petitione nihil dicam, eſt primùm, inepta & ridicula verborum canonis conſtructio hæc, *in more eſſe Romano Epiſcopo ut Alexandrinus Ægypti Eccleſias regat*; perinde ac ſi dicas Bellarmino Romæ deliranti conſuetudinem hanc eſſe ut in Batavia, aut Britannia, alius rectè doceat. Deinde, perverſa eſt ſensûs corruptio, à decurtata ſignificatione, & conſultò omiſſa emphaſi compoſiti συνηθες quod *parilem morem*, vel *conſuetudinem unà, ſimúlve*, ſignificat, comparationémque factam evincit; ut conſuetudinem ſive morem fuiſſe Romano Epiſcopo cum aliis communem, non autem univerſalis Epiſcopatûs ratione peculiarem, intelligas. Non igitur ille, quod ſomniat Bellarminus, conſuetudinem ſolus habuit ut Alexandrinus, & Antiochenus, aliique regerent commiſſarum ſibi regionum Eccleſias; ſed *unà & ſimul* cum Alexandrino, & Antiocheno; in

ſuis Diœceſibus, Romanus etiam Epiſcopus, ex more illo communi, Romæ potitus eſt honore iuriſdictionis in Eccleſias quæ præfecti prætorii vrbis Romæ *diœceſi* vel *ditione* comprehendebantur.

Hæc autem omnia inſtitutionis humanæ imitatitia, ex conſuetudine Eccleſiaſtica, non lege divinâ fuerunt; ut pateat decipi populos, quibus Romanis, Alexandriniſque, & aliis, ab Apoſtolorum ſucceſſionibus thronorum prærogativas devolutas eſſe perſuadetur. Nam à conſuetudine & more politicum ordinem imitandi, ortum habent. Et monet anteà nobis citatus Antiocheni Concilii canon nonus, *Metropolitanum curam totius provinciæ negotiorum gerere, quia ſolerent in Metropolim undique negotia habentes concurrere.*

part.3.cap.1.

Baronius etiam agnoſcit, in honoribus & prærogativis illis diſtribuendis, NON ALIAM VETERES INIISSE RATIONEM *quàm præfecturarum*; Ideóque *quòd Alexandria* eſſet *præfectura Auguſtalis*, ejus loci Eccleſiam *prælatam Antiochenæ, quæ priuſquàm Marcus ſediſſet Alexandriæ conſtituta erat*: Quia, item, *præfecturarum Orientalium nobilior erat Proconſulatus Syriæ, Eccleſiam Antiochenam prælatam fuiſſe Hieroſolymitanæ, quæ origine prior erat.*

Bar. ad ann. Chr.39.num. 10.

Eadem ratione Concilii Chalcedonenſis patres, quos Conſtantinopolitani præiverant, conſiderantes *omnem honoris prærogativam Eccleſiæ Romanæ conceſſam fuiſſe, quòd urbs dominaretur*, decreverunt Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ *ἴσα πρεσβεῖα τῆς τιμῆς, æqualem prærogativam honoris, ideò quòd Conſtantinopolis nova Roma eſſet.* Notatu etiam dignum eſt quod ex Juſtiniani novella XI. eruitur; Cùm,

Cùm, Firmio Illyrici olim Metropoli ab Attila devaſtatâ, Apenius Prætorij præfectus Theſſalonicam conceſſiſſet, etiam Epiſcopum Theſſalonicenſem Metropolitani prærogativam, non alio iure quam *præfecturæ umbrâ*, obtinuiſſe.

CAP. V.

Ejuſdem ſæculi quarti ſententiæ perquiſitio, in Athanaſii geſtorum hiſtoria, ubi de Synodo Sardicenſi & Hilarii Pictavienſis fide, Liberiique Romani perfidia.

IIs temporibus Athanaſius Alexandrinus Epiſcopus, vir magnus, fidei Nicænæ adversùs Arianam perfidiam inſignis defenſor extitit; ideóque & in ipſum potiſſimùm, ab hoſtibus veritatis, perſecutionum fluctus irruerunt. Et illi quidem non auſi palam Concilio Nicæno adverſari, vel Arii dogmatis ſubſcribere, ęquivocationibus & interpretamentis ſtrenuè diſſimulabant hęreſim; Euſebiique Nicomedienſis, à quo Euſebiani dicti ſunt, artes ſecuti, orthodoxos ſe profitebātur. Sic & Athanaſium, cui ob fidem infenſi erant, non tamē ut orthodoxum, ſed affictis criminibus, & ſubornatorum nebulonū minimè cohęrentibus accuſationibus, gravatum & impetitū, quaſi verè reum convictumque damnârunt & Epiſcopatu expulerunt. Nec etiam poſt quàm Trecis, quo relegatus fuerat, Imperatoris autoritate domum

rediiſſet, ab innocentiſſimo Doctore perſequendo deſtiterunt. At cùm ex altera parte verè orthodoxi animadverterent, commentitiorum criminum artificiosè conquiſito prætextu, fidem Concilij Nicæni in Athanaſio re verâ oppugnari, digniſſimi præſulis defenſionem avidè & cum zelo ſuſceperunt.

Inde inter eos qui omnes fidem Nicænam profitebantur, & ejuſdem communionis anteà erant, diſſidia nata ſunt, & ſciſſuræ ingentes; quaſi Athanaſii cauſa, ſed reipſa ob diſſenſum in doctrina.

Euſebiani, in inordinato & tumultuario cœtu, Athanaſium, etiam abſentem, Marrotæ damnârunt. Eundem verò Epiſcopi Ægypti, Thebaïdis, Pentapolis & Lybiæ, in Synodo Alexandriæ congregati, innocentem pronuntiaverunt; *Et omnibus ubique Catholicæ Eccleſiæ Epiſcopis* datis literis, ſignificârunt *Euſebianos ſuum iniuſtum conciliabulum Synodum videri ſtudere & Synodi vocabulo abuti audere, quibus Synodi nihil curæ eſſent, ſed inanem ſpeciem prætexerent, ut ſublatis orthodoxis viris, ea quæ vera & magna Synodo de Ariana hæreſi ſtatuta erant demolirentur.* De Athanaſio verò, ſic illis concluſum eſt: *In publico conventu, de conſilio omnium, has literas ad vos dedimus, quibus oramus veſtram in Chriſto prudentiam, ut recipiatis hanc de Athanaſio conteſtationem, & commercium communionémque eius admittatis, & zelum indignationémque contra Euſebianos qui eiuſmodi tentant induatis; ne diutiùs iſtiuſmodi pravitas & malitia contra Eccleſiam invaleſcat. Ne igitur illis aurem præbueritis, ſi denuo ad vos contra Athanaſium Epiſcopum ſcribant. Quicquid*

Athanaſ. Apolog. 2.

Digitized by Google

enim ab illis proficiſcitur falſum eſt, etiamſi noſtra Aegyptiorum Epiſcoporum nomina epiſtolis ſuis aſcribant: Certum eſt enim non nos eos eſſe quorum nomina inſcriptis ſubjiciunt, ſed Meletianos homines perpetuò ſchiſmaticos. Hæc illi ad *omnes* & *ad Epiſcopum Romanum Iulium ſcripsêre.*

Euſebiani verò, ut Iulium ſibi devincirent, ad eum literas miſêre, & *ipſi Iulio, ſi vellet, arbitrium cauſa detulerunt*; utque Athanaſium *terrerent, ſynodum convocari* ſe cupere ſignificaverunt.

Et neutri quidem, iis agendi rationibus, Iulium ex muneris ordinarij jure ſupremum judicem agnovêre. Non Alexandriæ congregati Epiſcopi, qui *ad omnes ubique Epiſcopos* eadem quæ ad Iulium ſcripſêre; nec quenquam Athanaſij judicem conſtitui, vel ejus cauſam de novo cognoſcere, ſed ab omnibus, ipſoque adeò Iulio, teſtimonio ſuo credi, Athanaſiúmque ut verum Epiſcopum ſuſcipi, & communionem ejus admitti, voluerunt. Nec etiam Euſebiani; quia utcumque judicium exoptare ſe fingerent, non tamen ad Iulium ut ad ordinarium judicem ſupremum, ad quem neceſſariò totius cauſæ cognitio pertineret, provocavêre, qui ipſi, *ſi vellet, arbitrium detulerunt*; neque etiam ipſi ſoli, ſed in ſuę Diœceſeôs generalis Synodo, quam convocari cupere præ ſe ferebant, præſidenti, cauſæ cognitionem permiſerunt.

Cæterùm, Athanaſius à Presbyteris ſuis quos ad Occidentales Epiſcopos, & Iulium nominatim miſerat, de Euſebianorum conſiliis & Romæ geſtis certior factus, cùm & Alexandriæ

Digitized by Google

ob adverſariorum violentiam ſubſiſtere nequiret, Romam profectus eſt, & conſcientiâ ſuâ fretus, nec ipſe arbitrium cauſæ Synodo à Iulio congregatæ deferre, & ab objectis criminibus ſe purgare detrectavit. Quapropter Iulius, *quum Athanaſius Romam perveniſſet, continuò ad Euſebianos literas ſcripſit, miſſis duobus ex ſuis Presbyteris, Elpidio & Philoxeno.* Illi verò, *ob Athanaſij Romæ inſperatam præſentiam conturbati,* futiles & *inanes tergiverſandi cauſificationes commenti,* non comparuerunt in Concilio; ubi tamen, *coram Epiſcopis plus quàm quinquaginta, Athanaſij defenſio recepta fuit, ipſéque dignus habitus communione & agape, magnáque indignatio exerta eſt contra Euſebianos, quibus Iulium qui ab eis literas acceperat reſcribere* IVSSERVNT. Et ipſe in literis monet ſe, *etſi ſolus ſcripſerit, non tamen ſuam ſolius, ſed omnium Italorum Epiſcoporum ſententiam ſcripſiſſe.*

In iis omnibus nihil eſt quod ad hodiernum ſupercilium accedat. Quid enim mirum ſi Iulius & Italiæ Epiſcopi, queis Euſebiani arbitrium cauſæ detulerant, Athanaſio etiam, contra ſpem adverſariorum, propoſitas ab iis conditiones accipiente, & coram judicibus illis, ſeu arbitris, reſpondere parato, ipſi eundem in defenſione ſua audiverint, & quid, confligentibus inter ſe & adverſantibus in Athanaſij cauſa Orientalibus Synodis, de ejuſdem communione admittenda vel rejicienda ſtatuendum eſſet unà viderint? Quod ſiquibus hiſtoricis *reſtitutus à Iulio Athanaſius* dicatur, ex noſtra narratione, quam ex ipſius Athanaſij Apologia integram comportavimus, conſtat ideò ſic

ſic eos loqui, quia in gratiam Athanaſij præſtitit quod Synodus Sardicenſis feciſſe dicit *omnes undique Epiſcopos*, qui *viri communionem ob ejus innocentiam confirmârunt*. Fatemur etiam, Iulium, qui convocatâ Synodo in ea præſidis partes egit, & *cum matura deliberatione*, ut iidem Sardicenſes Patres teſtantur, *ſententiam* tulit, plus multis aliis feciſſe; Nihil tamen *Maximo Hieroſolymitano* magis, qui etiam (ut refert Socrates) *Epiſcopis aliquot è Palæſtina & Syria convocatis, & conventu coacto*, ἀποδίδωσι καὶ αὐτὸς τὴν κοινωνίαν Ἀθανασίῳ καὶ τὴν ἀξίαν, *reſtituit* ETIAM IPSE *Athanaſio communionem & dignitatem*.

Epiſt Syn. Sard. ap. Athan. apol. 2. — *Socrat lib. 2. cap 19.*

Verumtamen, cùm literæ quas pro Athanaſio ad Orientales direxerat Iulius (ut teſtatur Socrates) *liberiores* eſſent; illi, *ubi eas acceperunt, reprehenſionem Iulij contumeliæ loco duxerunt & Concilium Antiochiæ convocârunt*, & ibi *ſimulátque convenissent, de communi omnium ſententia, Epiſtolam conſcribunt, per quam Iulium* σφοδρότερον ἀντεγκαλοῦσι, *graviùs contra accuſant*, vel *inſimulant, ſignificantes* μὴ δεῖν κανονίζεσθαι παρ' αὐτοῦ, *legem ſe ab eo accipere non debere*; nempe quia ad ſynodum ſuam indictâ die eos convocaverat, cùm Romanæ diœceſeos non eſſent, ſed aliis præfecturis ſubjacerent; prout canon Nicenus diſtinxerat: Tum etiam quia eos reprehenderat. Addunt ultimò, *eundem & verè parem honorem omnibus Epiſcopatibus eſſe, neque ex magnitudine civitatum creſcere.*

Socrat. lib. 2. cap. 11. — *Vid. Ep. Iul. ap. Athan. apol. 2.*

Iis reſpondens Iulius, authoritatis ſupremæ, & plenitudinis poteſtatis jura, ſi ad illius temporis fidem pertinuiſſent, opponere omnino debuit. Nam ſic eos rebellionis in caput ſuum

crimine clarè arguens, ſe eadem operâ omni ex parte purgâſſet. Verùm Iulius, juxta cum Irenæo & Tertulliano harum rerum ignarus, eam non jam fidiculam, ſed craſſam & altè reſonantem, ut ita dicam, fidem, tum verò imperceptibilem & mutam, haud tetigit. Quin potiùs aliunde rationes ſive excuſationes quæſivit, ut *nihil à ſe actum offenſa dignum, nec ſuccenſionis cauſam præbuiſſe* demonſtret, *quia ipſos ut ad Synodum occurrerent ADHORTATVS ESSET*; Sic enim, imperij & mandati devitans invidiam, factum extenuat.

Vid. Ep. Iul ad eos qui Antioch ſcripſ apud Athan. apol. 2.

Prima quam profert ratio, generalis eſt ab æquitate communi, non authoritate ſibi peculiari. *Qui benè ſentiunt*, inquit, *de iis quæ gerunt, & in quibus ipſi judices fuere, non indignanter ferre ſolent ſi quod ab ipſis judicatum eſt ab aliis diſcutiatur, quippe qui ſecuri ſint ea quæ ipſi juſta judicaverunt, injuſta nunquam fieri poſſe.* Secundam rationem ducit à conſtitutione Synodi Nicenæ. *Epiſcopi*, inquit, *in magna Synodo Nicea congregati, non ſine Dei conſilio PERMISERVNT prioris Synodi acta in alia Synodo examinari, ut & illi qui judices erunt, præ oculis habentes ſecundum de ea ipſa re judicium futurum, cum omni diligentia cauſam expenderent.* Sic cujus fundamentum in permiſſione Synodi Nicenæ ſtatuit, ſibi alioqui non fuiſſe licitam fatetur. Nam quod juris eſt divini ad hominum permiſſionem referri ineptum foret. Ex illa verò permiſſione, æquè conſequatur judicata in Synodo Romana in alia Synodo examinanda eſſe, ac *Tyri* vel *Mareotæ* cognita. Nec tamen inde in Italia tractata Antiochiæ vel Alexan-

dria

driæ judicanda iterũ; vel in Ægypto judicata aut in Syria, Romæ tractãda fuiſſe conſequens eſſet. Tertiò, quia volenti non fit injuria, nulla ratione offenſos docet qui ſynodum poſtulâſſent ipſi. Siquidem *Macarius Presbyter & Heſiochus Diaconus*, inquit, *Concilium indici poſtularunt. Vbi igitur illi qui à vobis pro gravibus viris & fide dignis habiti ſunt, authores mihi fuerunt ut vos convocarem, certè id à vobis ægrè ferri non debuit, & indignatio eorum qui hac citatione offenduntur temeraria eſt.* Quartò, ab eorumdem exemplo, qui de judicatis in alia Synodo etiam cognoverant, à ſe facta tuetur. *An quiſquam ſtomachari debet*, inquit, *ſi quæ ipſe fecit ab aliis fieri videat?* Quintò, ab authoritate eorum qui multi cum eo erant Epiſcopi. *Etiamſi ſolus ſcribo*, ait, *ſcribere me tamen communem omnium ſententiam vos ſcire volo.* Sextò, quod de paritate Epiſcoporum dictum erat, admittit & urget in Euſebium, qui *parvâ ſibi concreditâ civitate rejectâ, ad eam quæ concredita non erat tranſvolaverat.* Septimò, ipsâ deductione cauſæ & circumſtantiarum demonſtrat *non temere aut injuſtè ſuſcepiſſe ſe in communionem Coepiſcopũ Athanaſium*; quia *nec Tyri condemnatus eſt, nec Marcotæ præſens fuit; & monumenta actorum ubi duntaxat una pars fuerit, nullarum virium ſuſpecta haberi ſcirent ipſi.* Deinde, *ſcripſiſſe* contra Athanaſium *Euſebianos*, tum *ipſos* qui Antiochiæ convenerant, ſed *ſcripſiſſe pro eodem plurimos ex Aegypto & ex aliis provinciis Epiſcopos, quibus & æquum erat fidem non abnegare; maximè quòd ipſis* (Antiochiæ congregatis) *à patria ejus longè diſtantibus, illi qui iiſdem locis cum Athanaſio degerent, ut de homine noto, rebúſque ibi geſtis*

certiores, probum teſtimonium de vita ejus perhiberent: Arſenium autem dictum interfectum *in vita eſſe*; tot *teſtes pro Athanaſio ſtetiſſe*, ipſúmque pro ſe *tam juſta attuliſſe: Præter hæc omnia, annum totum & integrum Romæ accuſatorum præſentiam expectantem haſiſſe*, &c. Inde interrogans concludit: *Quid quæſo nos oportuit facere? Annon quod Eccleſiaſtici canonis eſt?, hominémque proinde non condemnaremus, ſed potius reciperemus, eumq́ pro Epiſcopo quemadmodùm eſt haberemus?* Item, *Anne ut virum rectæ opinionis, & ſynceræ religionis eſſe teſtimoniis approbatum, pro Epiſcopo haberemus, quemadmodùm habemus; an potiùs à communione repelleremus.*

Iam quæ Orientalibus reprehendendis argumenta profert, ejuſdem ſunt generis, & queis ſibi nihil peculiariter tribuat. *Si*, inquit, *ut dicitis*, in *culpa fuerunt* Athanaſius & Marcellus, *oportuit ſecundùm canonem, & non iſto modo, judicium fieri: oportuit ſcribere* OMNIBVS *nobis, ut ita ab* OMNIBVS *quod juſtum eſt decerneretur. Epiſcopi enim erant, & Eccleſiæ, non vulgares qui iſta patiebantur. Cur igitur & in primis de Alexandrina civitate nihil nobis ſcribere voluiſtis?*

Hic igitur fuit canon & norma agendi in Patriarchas & Metropolitanos non vulgarium Eccleſiarum Epiſcopos, ut non ſolùm ad Epiſcopum Romanum, ſed ad OMNES ſcriberetur, ut omnes decernerent; & ex ſententiarum collectione, ſive variarum Synodorum provincialium decretis, quando œcumenica ſynodus congregari non poterat, judicium fieret, & uſque ad generalem ſynodum ratum haberetur. Hunc canonem violatum quæritur Iulius; præſertim

ſertim in cauſa Alexandrinæ Eccleſiæ Patriarchalis, & Epiſcopi ejus. Quod autem ſubjungit: *An ignoratis conſuetudinem eſſe ut primùm nobis ſcribatur, ut hinc quod juſtum eſt definiri poßit? Quapropter ſi iſtic hujuſmodi ſuſpicio in Epiſcopum concepta erat, id hûc ad noſtram Eccleſiam referri oportuit*; id, inquam, ex canone illo communi conſequebatur, ut quia omnibus ſcribendum erat, & Romanis etiam aliiſque ſcriberetur, ut & Româ, & aliunde; *hinc* inquam, & *illinc*, *ab omnibus* quod juſtum eſſet decerneretur primùm, id eſt priùs quàm damnatus & exauctoratus Patriarcha cenſeretur. Inde rectè colligebat Iulius non canonicam fuiſſe Athanaſij damnationem, nec ſe ſubſcribere cogi poſſe. *Nunc*, inquit, *nos quos certiores minimè fecerunt, poſt quàm jam egerint quod libuit, ſuffragatores ſuæ damnationis cui non interfuimus eſſe volunt. Non ita ſe habent Pauli ordinationes; non ita Patres docuerunt: ſed faſtus iſte & novum ſtudium eſt.*

Iam verò quis non videat Iulium in defenſione tota, ubi authoritatem ſuam tueri vel maximè debuit, nihil ſibi tamen peculiariter arrogâſſe; nihilque ſibi ſupra alios, jure divino, competere profeſſum eſſe? Factum certè purgavit ille, vel rationibus generalibus, quæ nullius privilegij in quempiam habeant conſequentiam; vel ex circumſtantiis accidentalibus, quæ nullam faciant regulam. Nullam etiam Orientalium theſin ex profeſſo impugnat; ſatiſque habet ſi ſibi tot rationibus munito, nulla culpa, facti cauſâ, adhæreat; Aliis verò, canones prætergreſſis, novi ſtudij

& faſtûs aſpergatur macula.

Et hanc quidem de Athanaſio hiſtoriam minutatim ex ejus Apologia ſecunda deducere voluimus, ut ſingulis expenſis, & quaſi ante oculos poſitis, manifeſtum fiat àdverſarios falsò dicere, Athanaſium ad Romànum Epiſcopum ut ad ſupremum Eccleſiæ univerſalis judicem provocâſſe: Ut etiam conſtet eo ſeculo Epiſcopum Romanum unum è pluribus, aliorùmque collegam duntaxat habitum fuiſſe; neque vel ipſum adeò ſe aliis legem dare poſſe, vel ſibi plenitudinem poteſtatis conceſſam, quod plenis buccis nunc ſucceſſores occinunt, perſuaſum habuiſſe.

De Concilio Sardicenſi.

HÆc de Athanaſio apud Romanum Epiſcopum, & Romani Epiſcopi pro Athanaſio geſtis dicta ſunto. Sequitur ut ejuſdem negotij notandas periodos ex Sardicenſi Synodo, Hilarij dictis, Liberiique geſtis perſequamur. Vtcumque igitur ſanctus vir Romanæ Synodi decretis & literis conſolationem nactus eſſet non exiguam: tamen in Oriente invaleſcente morbo, Eccleſiarum ſedandis tumultibus, ipſóque à perſecutione liberando, nõ ſatis inde efficax fuit remedium. Ideò & utriuſq; Imperatoris, *Conſtãtis & Conſtantij, ſententiâ decretum eſt ut Epiſcopi utriuſque partis Sardicen urbem Illyrij convenirent.* Sed in ipſo initio Synodi Orientales ab Occidentalibus, Athanaſij & Pauli occaſione, (ut ut *illi ad cauſam ſuam diſceptandam,*

Atha. Apol. 2. Sozom. lib. 3. c. 1. Theod. lib. 2. cap. 8.

dam, & crimina ſibi illata diluenda parati eſſent) ſeceſſerunt, & *ſeparatim per ſe in cœtum coacti*, contraria decreta ſanciverunt. Inde major odij flamma accenſa eſt, ab Orientalium parte Iulio Romano, Hoſio Cordubenſi, Maximo Trecenſi, aliiſque excommunicatis; ab Occidentalibus verò Theodoro, Narciſſo, Acacio, & aliis anathemate percuſſis; ut ex ſynodica Epiſtola, Athanaſij Apologiæ ſecundæ inſerta, patet.

Ita quod convocatum fuerat Concilium vt eſſet generale & œcumenicum, ex accidente ſeceſsûs Orientalium, fuit Occidentalium duntaxat Synodus. In ea, minimè comparentibus adverſariis, juſtificatus eſt Athanaſius; & judicium Iulij, Romanæque ſynodi, confirmatum fuit. Quemadmodùm autem ex convocatione Imperiali edicto manifeſtè facta, ſententia noſtra confirmatur; ſic etiam ex præſidentia. Siquidem primus ſubſcripſit Hoſius, póſtque eum Iulius nominatur, hoc modo: *Hoſius Hiſpaniæ, Iulius Romæ, per Archidamum & Philoxenum Presbyteros ejus, Protogenes Sardicæ, &c.* Nunc quidem id adverſariis monſtro ſimile foret.

In Synodi ſtatutis extat notandus canon. Cùm viderent Patres deploratiſſimum Eccleſiarum ſtatum, Orientémque factionibus ſciſſum, ut quomodocumque iis qui aſtu & dolis in propriis provinciis damnarentur, & Epiſcopatu pellerentur, providerent; ſtatuerunt ut, *Siquis Epiſcopus judicatus in aliqua cauſa, putaret ſe bonam cauſam habere; ut iterum Concilium renovetur, ſcriberetur ab iis qui cauſam examinaviſſent, Iulio* *Concil. Sard. cap. 3. & 4.*

Digitized by Google

Romano Epiſcopo; qui quidem, ſi judicaret *debere ἀνανεῶσαι δίκην, cognitionem cauſæ renovandam, ad Epiſcopos proximæ provinciæ ſcriberet*, qui, ſcilicet, convenientes judicarent. Additur etiam *ſi Epiſcopus* de judicio conqueſtus *Iulium* Preſbyteros mittere poſtularet, id *in poteſtate ejus eſſet, mittentiſque authoritatem haberent illi, & judicarent*; nempe cum Epiſcopis provinciæ proximæ.

Hæc Concilio propoſuit Hoſius his verbis: *Si vobis placet, honoremus memoriam Petri: ſcribatur Iulio, &c.* Honorem ex neceſſitate debitum, qui abſque peccato & injuria omitti nequit, ab honore arbitrario, & liberâ deliberatione decreto, diſcernendum eſſe res ipſa evincit. Ubi verò de honore primi generis agitur, quia ex Dei ipſius inſtitutione & mandato definitus, ab homine deferendus eſt ſimpliciter, non autem decernendus: Nemo in Concilio dicat, *Si vobis placet*, vel *ſi ita videtur*, hoc fiat; quia tum ab hominum voluntate & judicio res pendere præſupponeretur. Hoſius igitur ad ſecundi generis honorem in Petrum, qui Concilij placito decerni poſſet & inde penderet, pertinere putavit ſi, quandoquidem rebus ita perturbatis, remedium in attributo quodam jure, & ut loquuntur, commiſſione ſpeciali, Epiſcopo alicui perſpectæ fidei, pro tempore demandata, quærendum eſſet, Iulius Eccleſiæ, quam Petrus fundâſſe exiſtimabatur, Epiſcopus in hac electione cæteris omnibus præferretur. Sic etiam hodiè poſſit aliquis in ſacro Regis Conſiſtorio privile-

vilegium quoddam Benearnenſi ſenatui ſupremo decernendum proponens dicere; Si Regiæ Majeſtati placet, honoremus hac in parte Henrici magni memoriam, quia in ea regione, & eo loco vbi ſedes ſenatûs illius, natus eſt. Facit nonnihil ejuſmodi argumentum, ad commovendos eos quibus proponitur ut jus novum tribuant, quod ex decreto propriè, non autem ex ratione ſuadendi, ad aliquem pertineat.

Itaque nihil hinc adverſariis pro plenitudine poteſtatis Pontificiæ metitur. Nam cùm ad hunc modum honorem decernendum ſuaſerit Hoſius, à Concilio jus novum conferendum cenſuit, non autem anteà Iulio competiviſſe præſuppoſuit. Siquidem novo privilegio nobilitatum, utcumque privilegij obtinendi rationes in ſe haberet anteà, origine tamen ignobilem fuiſſe neceſſe eſt.

Sed & privilegium iſtud, quod tum Iulio honorificentiſſimum fuit, præſuppoſitâ ex jure divino authoritate ſummâ & illimitatâ, planè derogatorium & deluſorium fuiſſet. Quid enim? Illi cui omnium cauſarum cognitio jure divino competeret, tribuere tantùm ut videat an renovari debeat judicium, quod ad aliud, provinciæ proximæ, tribunal remittatur? Illi, item, cui illimitata poteſtas eſſet, permittere ut Preſbyteros mittat, qui ejus authoritatem habentes, cum aliis judicent? At Hoſio, & collegis in Synodo Sardicenſi, viſa eſt earum rerum conceſſio non in Iulij tantùm, ſed & in Petri memoriæ honorem cedere. Nunc

Pontificiis ſic ſtatuere, & præſupponere, in Petrum injurium, in ſedem ejus contumelioſum, immenſam poteſtatem malignè decurtare, anguſtiſque limitibus concludere, eoque ultricibus flammis expiandum crimen eſſe, definiretur.

Quamvis igitur quod re verâ Iulij perſonam, duntaxat, & eorum temporum ſtatum ſpectabat, quaſi lege Eccleſiaſticâ Synodi generalis, omnibus Epiſcopis urbis Romæ conceſſum foret privilegium; etiam valde circumſcripta & limitata poteſtas illis inde remaneret. Sed neque ea fuit Concilij mens; neque Synodi illius, quæ pro generali habita non eſt, decreta Eccleſiæ univerſalis canonum authoritatem obtinuerunt. Gregorius Romanus ipſe qui Conciliorum generalium numerum, ad *quatuor Evangelia* factâ alluſione, celebrat, Sardicenſe in iis non recenſet. Siquidem primum Nicænum, Conſtantinopolitanum ſecundum, Epheſinum tertium, & Chalcedonenſe quartum, adversùs Arium, Macedonium, Neſtorium & Eutychetem, enumerat. Deinde Synodi generales Conſtantinopolitana, & Chalcedonenſis, quæ æqua cum Romano privilegia honoris Epiſcopo Byzantino tribuerunt, alia ratione Eccleſiis & Epiſcopis conſuluêre; & Sardicenſe decretum, ſi cum tempore cujus ratione factum erat, vim habere non deſiiſſet, conſtitutione contrariâ antiquârunt.

Greg. lib. 1. Ep. 24. & lib. 2. ep. 10. & lib. 3. ep. 27.

Athanaſio verò, ne Sardicenſis ſynodi quidem judicio & literis, quies & laborum finis contingit. Nam auctâ (ut diximus) diſcordiâ,

Ariana

Ariana perfidia, Conſtantio Imperatore ab ea palam ſtante, latiùs porrecta eſt. Inde etiam Urſacio & Valenti animi uſque adeò additi, ut Sirmij novam cudi fidei formulam, & Athanaſium damnari, Liberio etiam Romano ſubſcribente curaverint.

Liberius, ait Athanaſius ipſe, *poſt exactum in exilio biennium, inflexus eſt, miniſque mortis ad ſubſcriptionem inductus eſt.* Sozomenus aſſerit ab Imperatore *compulſum fateri filium patri non eſſe conſubſtantialem.* Addit etiam *fidei formulam à Liberio adductam, quâ illis qui Filium Patri non ſubſtantiâ & cæteris omnibus SIMILEM aſſeverarent, interdixit Eccleſia.* Sic ſimilitudinis affirmatione, cum Euſebianis identitatem tollebat ſubſtantiæ. Quapropter *cùm hæc hoc pacto ſucceſſiſſent* (nempe ex animi ſententia ejus qui αὐτὸν ἐβιάζετο, & cui non reſtitit) *Imperator dedit Liberio poteſtatem Romam revertendi.* Quamvis autem non ſponte & motu proprio, ſed ἀέκοντι θυμῷ ſubſcripſerit, non tamen omnino neceſſitate & vî eò adactus eſt, qui, ut notat Hieronymus, *ad exilium pro fide pergens, à Fortunationo Aquileienſi Epiſcopo, primò ſolicitatus, fractus eſt, & ad ſubſcriptionem hæreſeôs compulſus*; ut ignaviâ propriâ & Aquileienſis illius ſuaſionibus, antequam Sirmium veniſſet & ibi ab Imperatore urgeretur, ad defectionem diſpoſitum fuiſſe conſtet.

Athan. ad ep. ad ſol. vit. ag.

Sozom. lib. 4. c. 14.

ἐβιάζετο αὐτὸν ὁμολογεῖν &c.

Hier. in catal. in Fortunationo.

Extat & in fragmentis Hilarij, à Nicolao Fabro editis, epiſtola Liberij ad Orientales, in qua liberè nimium in malum ruit; & Athanaſio, *cujus neque literas accipere debeat, à communione amoto*, ſe *cum Orientalibus omnibus pacem* ſer-

Digitized by Google

vare, *fidémque eorum quæ Sirmij à multis fratribus & Coepiſcopis expoſita* eſſet, *ſuſcipere* palam teſtatur. Quinetiam Valenti & Urſacio ſcribens, *ſe nulla neceßitate adactum, Deum teſtem* advocans dicit, & Baronius ipſe agnoſcit.

Baron. ann. 357. num. 44.

Itaque nequicquam factum negant, aut crimen extenuare tentent adverſarij. Nam ſi ut notavit Hieronymus, *Fortunatianus habetur deteſtabilis* quia Liberiũ impulit & ſolicitatione fregit, num Liberij fracti memoria in benedictione erit?

Hier. in catal. ubi ſupra.

Tum ſanè Epiſcopum Romanum fidei fundamentum non fuiſſe, nec communionis ejus ratione, Eccleſiæ membra diſcerni potuiſſe conſtat. Siquidem in Eccleſia permanſerat verè Athanaſius à Liberio excommunicatus: Urſacius autem, & Valens, quibuſcum Liberius pacem habebat, à Chriſto ſeparati erant. Atque etiam, quicquid de proprij motûs intima Liberij ſententia præſumere velint & excipere adverſarij, illis aqua hæret; quia in doctrina fidei publica, ſive profeſſione quæ ſit ἐν τῷ φανερῷ, ex qua fratres confirmentur, non in cordis circumciſione quæ ſit ἐν τῷ κρυπτῷ *cujus laus non ex hominibus, ſed ex Deo eſt*, rationem fundamenti & capitis viſibilis locant. Non adeò putri fundamento innixus erat Athanaſius, cui aliam fidei regulam fuiſſe neceſſum eſt.

HILARIVS, etiam, qui tum temporis veritatis aſſertor fortiſſimus fuit, Liberium liberè notare, illique anathema dicere, non dubitavit. *Hæc eſt,* aiebat ille, *perfidia Ariana. Anathema tibi à me dictum ô Liberi. Iterum anathema tibi, & tertiò, ô pra-*

Hil. in frag

ô prævaricator Liberi. Credidit igitur Epiſcopum Romanum hæreticum fieri potuiſſe; & talem actu factum Liberium, eóque nomine à ſe excommunicandum. Nec tantùm exiſtimavit à communione illius extorres veræ Eccleſiæ cives eſſe potuiſſe, ſed etiã in Eccleſiæ catholicæ communione perſeverantibus, tum quidem ab illius Epiſcopi cõmunione ſegregari neceſſariũ fuiſſe. Addo in Hilarij operibus nihil adverſarios pro ſua ſententia confirmanda animadvertere potuiſſe; ut à nobis omni ex parte ſtet ille teſtis.

Sed ad Athanaſium redeo, huic capiti unde exordium duxi, ejus ſcilicet mentione, colophonem additurus. Ex Doctoris illius inſignis genuinis ſcriptis multa produximus, & ab adverſariis ſummatim notata prolixiùs referentes, eam quam ex ſacris literis hauſtam ſequimur doctrinam dictis factiſque illius cõfirmatam digito mõſtravimus; vt Athanaſij nomine gloriari deſinant Põtificij. Sed cum germanis magni Athanaſij operibus Romana tyrãnis nulla ex parte fulciri poſſet, antiquum obtinẽtes adverſarij, adulterina quædã ſcripta pro genuino tractatoris illius fœtu ſuppoſuerunt. Hujus generis ſunt Epiſtolæ ad Marcum, Liberium, & Fœlicẽ Romanos Epiſcopos, quibus tantum nomen appoſitum eſt. Et in iis quidem mira pro Pontifice Romano evehendo dictitantur. Nam cùm verba dare conſtituiſſent impoſtores, neque etiam verbis parcendum putaverunt. Sed tantâ argumentorum, & circumſtantiarum non ſatis aptè compoſitarum aggeſtione fraus pateſcit, ut vel Baronio & Poſſivino *merces ſuſpectæ* ſint;

prout

prout doctiſſimus Andreas Rivetus, frater meus chariſſimus & multis mihi nominibus honorandus, in Critici ſui ſacri ſpecimine, lib. 3. cap. 6. & 7. ſigillatim falſi notas, & celebriorum Pontificiorum confeſſiones, ſimul collectas lectori viſendas exhibet.

Hardingus tamen, aliique ejuſdem notæ, talibus nugis mirum quam delectati ſint, quantumque his teſtimoniis freti nobis inſultârint! Verùm nihil inde illis præter confuſionem redit. Nam Athanaſium germanum ſibi minimè favere præſenſerunt, quos falſa fingẽdi & ſupponendi ejus nomine ſcripta, inceſſit deſperatio.

Certè quid de Romano Epiſcopo ſenſerit Athanaſius & quomodo Nicenæ Synodi, cui interfuit, canonem ſextum intellexerit, ex eo loco conſtat in quo maximè de Epiſcopo illo & ejus Eccleſia honorificè loqui ſtuduit. Is igitur, cùm Arianorum inſanam audaciam inde exaggerare inſtitueret, quòd dignitatis Liberij, nominique ejus debitæ reverentiæ, illi *impietatis catenis ſe ipſos circumfibulantes*, rationem nullam habuiſſent, ſic ait: *Ne Liberio quidem Romano Epiſcopo pepercerunt, nulla reverentiâ ducti, vel quòd ROMA METROPOLIS ESSET ROMANAE DITIONIS, vel quod eos Apoſtolicos viros in ſuis epiſtolis appellaſſent, ſed omnia ſimul miſcentes æquè omnium obliviſcebantur.* Num verò & ipſe ibi præcipuæ dignitatis, nempe Epiſcopatûs univerſalis, oblitus eſſet? Quãobrem cõſtat ex ſententiâ Concilij Niceni, & Athanaſij, inde Romanũ Epiſcopũ præ aliis multis ſuſpici & cõſiderari ſolitũ, maximè & primò, quia Roma metropolis erat Romanæ ditionis,

Athan. in epiſt. ad ſolit. vit. ag.

unde

unde & illi metropoleos πρέσβεια ſalva manebant, ut & Antiochiæ atque in aliis Eparchiis: Deinde & Apoſtolicæ fundationis, unde Apoſtolicorum virorum & Apoſtolicarum Eccleſiarum denominatio facta eſt, quandam rationem habitam fuiſſe; nihil verò ad hodiernum ſupercilium accepiſſe.

CAP. VI.

Progreſſus inquiſitionis ejuſdem ſeculi ſententiæ ex Baſilij magni, Gregorij Nyſſeni, Gregorij Nazianzeni, Optati Milevitani, Ambroſii Mediolanenſi & Concilij generalis ſecundi teſtimoniis.

CIRCA ea tempora floruit BASILIUS, Cæſareæ Cappadociæ Epiſcopus. Et is quidem, dum regni cœleſtis myſteria fideique dogmata tractat, Romani Epiſcopi, & authoritatis ejus, nuſquam meminit. Tantùm notant adverſarii eum in epiſtolis, negotiorum quorumdam Eccleſiaſticorum occaſione, honorificam illius feciſſe mentionem, vel ejus opem & auxilium, conſiliumque, pro tuenda veritate & arcenda hæreſi, exoptare ſe teſtatum eſſe: Nullam verò inde ædificio ſuo aptam materiam elicere poſſunt.

In epiſtola LII. quam ad Athanaſium ſcripſit, ſic loquitur: *Viſum eſt autem mihi conſentaneum ut ſcribatur Epiſcopo Romæ, ut quæ hic geruntur conſide-*

ret détque conſilium. Et quoniam difficile eſt ut in communi ac Synodico decreto aliqui illinc mittantur, ipſe ſuâ autoritate in iſta cauſa uſus, viros eligat ad ferendas quidem itineris moleſtias idoneos, verùm iuxta ad hoc quoque accommodos: ut manſuetudine & facilitate ingenij eos qui diſtorti ſunt & obliqui apud nos corrigant, aptè ac diſpenſatoriè ſermonem attemperantes, omniaq; ſecum habentes quæ in Arimino ad neceſſariam ſolutionem geſtorum illic, facta ſunt.

Verùm nulla inde adverſariis triumphandi cauſa ſuppetit. In ſtatu Eccleſiarum turbido Baſilius ad eum quem, ſimpliciter admodùm, *Epiſcopus Romæ* nominat, ſcribere propoſuit, *ut conſilium daret*. Id verò non eſt poteſtatis ſupremæ actus proprius; ſed prudentis, qui quod optimum ſit moneat, exercitium. Scripſerat & Athanaſio Baſilius; atque *ad rerum iſtarum ſtudium nonnihil conferre volens, accommodiſſimum rebus iſtis initium fore arbitratus eſt, ſi veluti ad* OMNIVM VERTICEM, κορυφὴν τῶν ὅλων; *ad eius integritatem refugeret, eoq;* CONSVLTORE *& rerum agendarum* DVCE AC PRINCIPE *uteretur*. Quid magnam igitur, ſi ad hunc modum ab Athanaſio ducto initio ut à rerum agẽdarum principe, ad Romæ Epiſcopum etiam ſcribendum conſentaneum duxit? Autoritas etiam delegatos mittendi per quos data conſilia ſalubriter *diſpenſarẽtur*, ubi ii quorum opera deſiderabatur, per ſe ipſos charitatis officio procul à ſuis Eccleſiis exequi nequirent; autoritas inquam illa, omnium Epiſcoporum communis fuit. Nec ſuperiorum juriſdictionem arguebant; in turbido Eccleſiarum laborantium ſtatu Paſtoribus penè

mo-

moleſtiâ confectis, ab aliis Epiſcopis expetita auxilia; quibus & ipſi ab ægritudine animi recrearentur, & verâ doctrinâ à multis ſimul confirmatâ; etiam à rectæ fidei tramite deviantes ad meliorem frugem reducerentur. Ideò certè, in tantis negotiis ad Athanaſium, in cujus generali diœceſi non erat, refugerat Baſilius, & è *ſacro cleri eius cœtu miſſum Petrum*, (ut in eadem Epiſtola refert) *cum gaudio excepit*. Ille verò ab Athanaſio miſſus, *conciliatis quæ erant contraria, & coniuncta quæ erant divulſa, dignitatis eius* (Athanaſii) *mandata executus eſt.*

Ideò etiam, quum idem Baſilius, eiúſque collegæ, *publicè quibuſvis expoſiti, velut eminentes maris ſcopuli, furias hæreticorum fluctuum exciperent, qui ubi illis illiſi infringebantur, quæ retro ipſos erant haud illuebant*: meritò certè illi, Occidentales in partem laboris & pugnæ ſuccedere, eorúmque auxilia neceſſaria, expetiverunt. Quia, item, Ariminenſe in occiduis partibus habitum Concilium, hæreticis audaciam dederat: inde etiam quæ ad ſolutionem decretorum illius Synodi ab orthodoxis ibidem geſta erant, quibúſque proteſtari interceſſerant, petenda fuerunt; ut ab occidente delegati cum omnibus illis neceſſariis advenientes, præſentiſſimum quamplurimis infirmis remedium adferrent. Baſil. Ep. 77.

Quod ſi plures quoque unanimes eadem decreviſſent, multitudo eadem decernentium indubitatam omnibus eſſe iſſet dogmatis ſuſceptionem, ut in alia ad Occidentales Epiſtola ipſe Baſilius totidem verbis aſſeruit. Ideò & *communi ac Synodico eorum decreto* Id. Epiſt. 74.

Digitized by Google

legationem fieri exoptâſſet; Sed quia pro tempore ſperari non potuit, ab eo Occidentalium Epiſcopo quem alibi *ipſorum Coryphæum* vocat, & orthodoxum noverat, petere decrevit ut, quia Synodum cogere non poterat, *authoritate ſuâ* in iſta cauſa uteretur; authoritate inquam ſuâ ſolâ, quia magis authenticam Concilii Epiſcoporum adhibere *difficile erat:* mitteretque viros idoneos qui *corrigerent diſtortos*, ut Petrus ille Athanaſii *contraria coniunxerat*; non ex imperio quidem & authoritate abſoluta, *ſed manſuetudine & facilitate ingenij ſermonem attemperantes.*

Quorſum verò, inquies, adeò è longinquo ſermonum, duntaxat, prudentes accerſere diſpenſatores, quorum domi ſuppeteret copia? Certè ex ante dictis ſatis conſtat ratio. Sed Baſilius ipſe, in quadam ad Occidentales Epiſtola, quaſi ex profeſſo huic quæſtioni ſatisfecit. *Quæ nos loquimur*, inquit, *multis ſuſpecta ſunt, quaſi propter privatas quaſdam contentiones, metum ac puſillanimitatem illis incutere velimus: Vos verò, quantùm ab illis habitatione remotiores eſtis, tanto plus apud plebem habetis fidei.*

Baſ. Ep. 74.

Item, in alia ad eoſdem Occidentales Epiſtola, ab iis (quorum unus erat, iſque inſignis, Epiſcopus Romanus) auxilium expetens; ex charitatis communis officio, non autem determinata eorum in Orientales poteſtate ſeu juriſdictione, ſe ab iis ea poſtulare clarè indicat. *Sive vos ipſos*, inquit, *univerſalis Eccleſiæ caput reputatis, non poteſt dicere caput pedibus, Non eſt mihi opus vobis: ſive in reliquum vos Eccleſiaſticorum membrorum ordinem locatis, non poteſtis nobis dicere, qui in eodem vobiſcum corpore*

Id. Epiſt. 77.

De hoc Baſilij loco vide plura capite 5. part. 1.

pore conſtituti ſumus, Non eſtis nobis neceſſarij. Nam & manus mutuam inter ſe operam neceſſariam habent, & pedes mutuò ſeſe firmant. Sic ad mutuam membrorum inter ſe operam reſpexit, & cùm definire noluerit quinam præcisè capitis, vel manuum, pedúmve in corpore Eccleſiæ rationem habeant; à charitate fidelium inter ſe mutua, ducit argumentum; tandemque quaſi adjutricum manuum opem ab Occidentalibus poſtulat. *Amicis,* ait, *ſalutationibus, veluti miti quadam & blandâ contrectatione, pectoris noſtri ulcus mitigate.*

Hæc certè omnia, nihil minùs quàm ſubjectionem inferiorum ad ſupremum quendam ſonant; imò ſocietatis æqualium argumenta ſunt; & evincit reprehenſio ſequens: *Quia quid ex decoro faciendum fuit ignorâſtis,* DEBITA NOBIS OBSEQVIA *exhibita non ſunt: vel quia quorundam malitia factum eſt ut in calumnias quibus traducimur abrepti & præoccupati, indignos nos* AMICA VISITATIONE *judicaveritis.* Item, *Si antequàm convincamur nos condemnaveritis, nos quidem nihil inde diſpendii accipiemus, niſi quod omnium præcioſiſſimum bonum noſtrum, dilectio videlicet quâ erga vos præditi ſumus, lædetur.* Si à communione Epiſcopi Romani pendere ſalutem putâſſet, longè majoris, certè, diſpendii metu anxium ſe ſenſiſſet. Sed quia ut par paribus loquebatur poſtquam charitatis debita officia poſtulâſſet, eos qui hac in parte defecerunt, liberè negligentiæ arguit.

Quinetiam, ultra progreſſus Baſilius, ab auxilio ullo, ex parte Occidentalium, ſperando deſtitit; & in eos acriùs, Romano Epiſcopo mi- *Baſil. Epiſt.* 10.

nimè parcens, in Epiſtola ad Euſebium Samoſatēſem, invectus eſt: Illa verò Epiſtola, etiamſi, ordine, aliis ſupra allegatis præpoſita ſit, poſt eas tamen, ſaltem poſt LII^am ab adverſariis prolatam, ſcripta comperitur. Cùm enim quinquageſima illa ſecunda Athanaſio miſſa fuerit per *Dorotheum Meletij Diaconum*, qui *Alexandriâ, primâ quaq; navigatione*, in Italiam profecturus erat, ut *ſequenti anno fieri poſſent quorum curam habebat*; idque eo tempore quo *Marcelli doctrinam, ut novam & nocivam*, ab Occidentalibus, & Epiſcopo Romano nominatim, ſine ulla difficultate damnatam iri ſperarent: Altera iſta, ad Euſebium Samoſatenſem, Dorotheum *res omnes occidentales referentem*, ſicque Italiâ reverſum, inducit; & ex ejus relatione, quid *in cauſa Marcelli feciſſent* recenſet Athanaſius ipſe; Nempe, *cum illis qui veritatem annuntiarent contentioſè egiſſe, & hæreſim intereà per ſe ipſos corroboráſſe.* Inde in Occidentales Diomedis illud uſurpat: *Non proderit ſupplicem agere: propterea, inquit, quod vir ille contumax eſt.* Sequitur: *Certè hoc uſuvenit ut ſi ſuperbos iſtos mores remiſſione aliquâ curare tentes, illi in maiorem plerumque contemptum degenerent. Quod ſi propitiabitur nobis Dominus quo alio ſubſidiario additamento opus habemus? Si verò perduraverit ira Dei, quid auxilij conferet nobis* OCCIDENTALIUM FASTUS? Deinde: *Ego quidem ipſe privatim, non publicâ formulâ, volebam ipſorum ſcribere Coryphæo: de Eccleſiaſticis quidem rebus nihil, niſi tantum admonere quod neque rerum noſtrarum veritatem ſciant, neque viam per quam inſtruerentur admittunt: in ſumma verò,*

quod

quod non oporteat irruere in eos qui per tentationes humiliati ſunt & adflicti, NEQVE DIGNITATIS LOCO *SVPERBIAE HABERE* SPLENDOREM.

Num verò Baſilius, quem Eccleſiæ univerſalis iudicem & paſtorem ſupremum credidiſſet, *Occidentalium*, duntaxat, *Coryphæum* vocâſſet? Si eum, item, à Deo datum exiſtimâſſet cujus authoritate Eccleſiæ omnes in unum corpus coaleſcerent, ſeu in unitate ab ipſo originem ducente continerentur; num ſubſidio ejus poſſe ſe carere perſuaſum habuiſſet? Num de rebus Eccleſiaſticis ad eum nihil ſcribens, reprehenſionem tantùm ob malè geſta inſtituiſſet? Num adeò ſanctam dignitatem, quâ ſe ſupra alios efferre vellet ille, ſuperbiæ ſplendorem indigitâſſet? Certè & Baſilius, hac in parte, totus noſter eſt.

GREGORIVS NYSSENVS, frater ejus, illius ſententiæ haud adverſatus eſt. Nec adverſarii quicquam ex ejus ſcriptis pro ſe proferunt; quod ipſis, è re noſtra, confeſſionis loco eſt.

GREGORIVS, item, NAZIANZENVS, fratribus illis perfamiliaris, Theologus κατ' ἐξοχὴν dictus, nihil de Epiſcopi Romani ſuprema authoritate habet in ſua Theologia; nihil de iure divino ſuprematûs illius. Quinimò, omnes præeminentias & *prærogativas throni ex conſuetudine* ortum ducere agnovit, & conſuetudinem illam ſibi minimè placuiſſe non diſſimulavit. *Vtinam*, inquit, N*V*LLA ESSET THRONI PRAEROGATIVA, *Naz. Orat. in Maxim.*

Digitized by Google

nec prælatio & violenta authoritas ac præeminentia, ut ex ſola virtute cognoſceremur! Nunc autem dextrum hoc latus & ſiniſtrum & medium, ſublimior item & inferior ſedes ac rurſus illa praeundi, vel eodem gradu incedendi INVECTA CONSVETVDO, *nos in multas partes confregerunt; multóſque in foveam compulerunt, non ſolùm plebeiorum, ſed etiam Paſtorum qui cùm magiſtri Iſraelis eſſent, hæc ignoraverunt;* id eſt, qui invectam conſuetudinem non animadvertentes, in fratres *violentam authoritatem* exercuerunt. Tum adversùs ejuſcemodi hominum violentiam fideles, ſéque ipſum; confirmaturus, ſubjungit: *Quid poſtea? Ab altaribus arcebunt? Ad altare aliud ſcio. cuius figuræ ſunt ea quæ nunc oculis cernimus, ſuper quod nec aſcia nec manus aſcendit, nec ferrum, ſed mentis ſolius eſt hoc opus &c. Ab hoc verò altari me abſtrahere nuquam haud licebit.*

Si Chriſti inſtitutione prærogativarum gradus diſtinctos fuiſſe agnoviſſet; nunquam pro eorum abolitione vota de pectore duxiſſet; certè non ſcripta poſteris etiam viſenda tradidiſſet. Si Romanum Epiſcopum in throni ſui prærogativa fundamentum fidei & Eccleſiæ eſſe crediſſet, expreſſam ejus præeminentiæ exceptionem feciſſet, quùm NVLLAM THRONI *prærogativam* eſſe optare ſe profeſſus eſt. Sed nullam planè adhibet.

Unicus ejus à adverſariis objicitur locus, non in dogmaticis illius ſcriptis, ſed in carmine de vita ejus extans. Ibi dicit *Eccleſiam Romanam ſemper conſervâſſe veram de Deo ſententiam, ut decet* VRBEM *quæ toti orbi præſidet.* Et certè aliis dominãtes haud decet peccato & errori ſubdi; quinimò

Bell. de Pont. lib. 2 cap. 15 §. Sextus.

mò Romani Imperii ſplendor, ſine luce fidei in tenebras degeneràſſet. Verùm quantus ille paralogiſmus eſt, à præſidentia & Imperio VRBIS in ORBEM, ad ſupremam Epiſcopi in univerſalem Eccleſiam authoritatem? Ab Imperio inquam urbis, ad miniſterium Paſtoris? à ſeculo, ad domum Dei? At *eo tempore,* inquit Bellarminus, *imperii Romani ſedes Conſtantinopoli erat, non Romæ.* Verùm utcumque Imperatores Conſtantinopoli habitarent, imperium tamen Romanum erat, & Magiſtratûs civéſque Romani, & Roma orbi præſidebat. Ideò Hieronymus eam ſic compellare non dubitabat: *Vrbs potens, urbs orbis domina, urbs Apoſtoli voce laudata: Interpretare nomen tuum Roma, &c.* Hier. in Iovin. lib. 2. ſub fin.

OPTATVS MILEVITANVS tum apud Latinos in Africa florebat. Et illi quidem lis interceſſit, non cum hæreticis qui, Arianorum more, dogmatum fidei veritatem impugnarent; ſed cum ſchiſmaticis hominibus, qui à charitate alieni, & unitatem communionemque corporis Chriſti deſerentes, ſuæ factioni Eccleſiæ ius univerſum ut proprium vendicabant. Iis ut reſiſteret Doctor ille, Eccleſiam univerſalem per univerſum orbem ſparſam *quinque dotibus* gaudere docet, earumque primam eſſe *cathedram, in qua ſi Epiſcopus non ſedeat, altera annuli dos addi non poſſit;* Opt. Contr. Parm. lib. 1. hoc eſt eum cœtum qui Epiſcopum in cathedra ſedentem non habeat, Chriſti ſponſam nō eſſe. *Cathedram* autē vocat veritatis prædicandæ, adminiſtrandorumque Sacramentorum, & Eccleſiæ regendæ legitimam poteſtatem; & in ea cathedra ſedere quemque, ſuo loco, Epiſcopum

Digitized by Google

veræ Eccleſiæ,ſive poteſtatis illius actus exercere,neceſſariò debere præſupponit. Quemadmodùm autem Eccleſia una eſt, utcumque à pluribus Apoſtolis,quorum nomina fundamẽtis ejus inſcripta ſunt,fundata fuerit:ſic & cathedra una eſt,quæ omnium fuit communis;*adeò ut non ſingulas*(ait Optatus)*quiſque ſibi defenderent.*

Ut igitur Eccleſia Romana ab univerſali, ut à toto pars, diſtinguitur, & Eccleſiæ catholicæ pars eſt, etiam tempore poſterior Hieroſolymitanâ, Antiochenâ, & aliis multis: Sic,itẽ, cathedra Romana,quà Romana,non eſt univerſalis, in univerſalitate ſua,cathedra;neq; Eccleſiæ per univerſum orbem ſparſæ propria dos.Erat enim cathedra cum Eccleſia quæ eam dotem & annulum habuit,antequàm ulla Romæ conſtituta fuiſſet Eccleſia. Non igitur Romanæ,aut ullius particularis Eccleſiæ, dos eſt peculiaris & ſeorſum, illa cathedra quæ univerſalis Eccleſiæ propriè & primò eſt: Sed ſecundariò quamcumque Eccleſiam particularem ſpectat,vel illi adhæret, pro ratione exiſtentiæ ejus in univerſali Eccleſia, in qua cenſetur & eſt ut pars in toto.Hinc & annulus communis, unà cum prima dote, tali Eccleſiæ adiungitur; ut ſponſa ſit Chriſti particularis,prout univerſalis portio eſt vera.

Porrò communio ejus Eccleſiæ particularis quam univerſalis partem eſſe conſtat, etiam hunc,vel illum fidelem,Eccleſię univerſalis,quę toto orbe ſparſa eſt,membrum eſſe indicat;quia, nempe, partis quæ totum ipſum non eſt, ſed in toto eſt, particulam etiam in toto eſſe neceſſe eſt: quemadmodùm digitus in manu, quæ per bra-

brachium corpori iungitur, ipſe etiam de corpore eſt. Eadem planè ratione, ſi Epiſcopus cujuſdam Eccleſiæ de qua movetur quæſtio, ſocius eſt alterius Epiſcopi quem ſuo loco in cathedra, quæ una eſt, ſedere conſtat; ſive, quando ſocietate & communione, concordiæque Eccleſiaſticæ glutine, iunctus eſt Paſtori Eccleſiæ cujuſpiam particularis quę, ut notoria univerſalis pars, cathedram & annulum participet: tum & ipſum illum minùs notæ Eccleſiæ Paſtorem pariter in cathedra illa communi, quoad vocationem illam externam, ſedere & in unitate eſſe probatur. Nam illius Paſtoris cui univerſalis gregis certa portio aſſignata eſt manifeſtè, vel à quo Epiſcopatûs, qui unus eſt, in ſolidum pars tenetur; illius, inquam, conſortem, certè, & ipſum in univerſali etiam grege portionem habere indiviſam conſtat.

Ideò, ſanè, Optatus cathedræ ius notorium, quod controverti probabiliter non poterat, in Eccleſia Romana expreſsè annotavit, ut inde inferret SE, collegáſque ſuos Africanos Epiſcopos Romani Epiſcopi *ſocios*, in cathedra illa quæ una eſt tum ſediſſe; ideóque & ipſorum Eccleſias annuli dotem, quâ Donatiſtarum conventicula deſtituebantur, habuiſſe.

Ut autem ius illud Eccleſiæ Romanæ notorium demonſtraret, ante omnia ſtatuit, *In urbe Roma, Petro primo Epiſcopalem cathedram eſſe collatã*; hoc eſt Petrum primum Romæ cathedram Epiſcopalem contuliſſe, quatenus conſtitutâ ibi Eccleſiâ, in eadem primus, ut *autor & anteceſſor*, Epiſcopũ ordinaviſſe credebatur; & ab Apoſtolorũ

aliquo fundatam eſſe Eccleſiam Romanam, ut anteà notavimus, certiſſimum eſt. Hanc activæ, ex parte Petri, collationis interpretationem fert Latina phraſis, & rei veritas poſtulat. Nam dos Eccleſiæ, cathedra unas Petro aliiſque Apoſtolis, ut *primis*, collata eſt in Iudæa primùm; ideoq; cathedræ, in qua unitas conſervatur, prima origo, ſive primordium cathedræ facto Chriſti collatæ, in urbe Roma aſſignari non poteſt. Ibi enim cœpit unde *verbum proditurum* fuiſſe Prophetę prędixerant, nempe Hieroſolymis, Necetiam Apoſtoli, Petrúſve adeò ipſe, ordinationis ſuæ facto primùm Romæ Epiſcopalem cathedram collocârunt, Nam Antiochena Eccleſia, ut de aliis nihil dicam, ante Romanum inſtructa erat, & cathedra, annuloque, dotata. Sed exiſtimavit Optatus Petrum primum *facto ſuo*, ut ipſi loquuntur adverſarii, cathedram Romæ collocâſſe; Et fatemur Eccleſiam Romanam in iis fuiſſe quæ ad Apoſtolos originem ſuam iure referrent.

Eſa. 11. 3.

Iam verò, poſt cathedræ in urbe Roma collatæ annotatum exordium, author hic noſter, Epiſcoporum Romanorum qui in cathedra illa ſederunt enumeratione, ſucceſſivè continuatam ſeſſionem, & conſervatam ad ſua uſque tempora cathedram, commonſtrat: cum ultimi Epiſcopi facta mẽtione, ſuum & collegarum ſocium eſſe aſſumit; *qui noſter*, inquit, *eſt ſocius*. Et hęc aſſumptio eſt, ſive propoſitio minor, ex quâ alteri præmiſſæ, ſive majori, pluribus expoſitæ, ſimul junctâ, inferat quod inſtituere ipſum notavimus.

Nunc

Nunc verò probationis eiuſmodi vis, per Pontificiam doctrinam nulla eſt: Nam cùm Epiſcopi Romanenſes univerſi Pontificem, quem dicunt, *ſuum dominum*, etiam in Concilio quod pro generali venditant, profiteri non erubeſcant, ipſeque adeò Pontifex Concilii Tridentini actorum ſubſcriptione approbaverit: tùm *ſervos* ſe, non *ſocios*, ſciunt blandeque fatentur. Neque etiam, quatenus ſucceſſor Petri peculiari modo habetur, quenquam in cathedra cum ipſo ſedere creditur. Quamobrem Epiſcopos Pontificios, Epiſcopi Romani duntaxat vicarios, quibus in diœceſibus ſuis reſidentiam jure divino injunctam eſſe nunquam definiri paſſus eſt; quia commiſſionalem à ſe tantùm vocationem habere eos præſuppònit is cujus ſententiæ & illis ſubſcribere neceſſitas incumbit: Illi, inquam, nec ipſorum Eccleſiis, addita eſt altera dos annulus, ubi uno ad ſingularitatis faſtigium evecto, cæteri omnes ſervi ſunt ejus quorum ſocii eſſe debuerunt.

Vid. Suavis Polani Concil. Trid. Hiſtor.

Eam habet conſequentiam vera Optati doctrina, quam dictorum ejus corruptionibus, necnon adjectionibus, aliò trahere ſtuduerunt impoſtores. Nam quod ibi inſulſè dictum reperitur, *Petrum Cepham cognominatum quia Apoſtolorum caput eſſet*, Balduinus Iuriſconſultus hujus authoris eſſe non poſſe annotavit. Deinde & Siricii nomen ab alio adjectum eſſe, inde conſtat quòd, ut poſt illum etiam Baronius obſervavit, ad tempora Siricii non pervenit Optatus. Quãobrem ex corruptæ ſententiæ verbis, eòque loco ubi ſua impoſtores inferciſſe conſtat, nos

urgere adverſarii nequeant. Sed ex communis doctrinæ Optati deductione, & probationum modis,eos manifeſtè convincimus.

Quærat fortè aliquis, cur demonſtrationem ſuam ab Eccleſiæ Romanæ & eius Epiſcopi cujus ſocius eſſet, conſideratione inſtituat potiùs, quàm ab aliarum ſedium Apoſtolicarum ſucceſſione? Reſpondeo I. Potuiſſe etiam quæri cur aliunde potiùs quàm inde inſtituiſſet. II. *Authoritatem* Romanæ Eccleſiæ proximæ, quæ cum Affricanis Eccleſiis *conteſſeraverat*, illis etiam,ut aiebat Tertullianus *preſtò fuiſſe*. III. Et aliis locis, (quod notandum eſt) ſuam & collegarum cathedram aliarum Apoſtolicarum Eccleſiarum, quæ ad alios à Petro Apoſtolos originem ſuam referrent, allegatione demonſtrâſſe. *Quicquid*, inquit, *extra ſeptem eſt Eccleſias*, (Aſiaticas ſcilicet illas in Apocalypſi nominatas,& à Paulo & Ioanne fundatas,) *extraneum eſt: vel ſi inde aliquem habetis Angelum* (Paſtorem) *per eum aliis Angelis communicatis, & per Angelos prædictis Eccleſiis, & per Eccleſias nobis.* Ib eum quem expoſuimus ordinem, horum quidem Paſtorum ad illos Paſtores,& illorum ad Eccleſias (pro cathedræ probatione) ſequelam ad Aſiaticas Eccleſias,earúmque Angelos,habito reſpectu,clarè exponit. Idem etiam aliò loco: *Vnitas tibi diſplicet? Si crimen putas redargue nos quòd Theſſalonicenſibus, Corinthiis, & ſeptem Eccleſiis quæ ſunt in Aſia communicaverimus.*

Opt.lib.1. Contra.Parmen.

Si veterum cuipiam idem de Romana dictum, quod Optato de ſeptem Eccleſiis, excidiſſet, *extraneum eſſe quicquid extra eam eſt*, nul-

lam adverſarii mollientem vel excepticem admitterent interpretationem; ſed Eccleſia illis Romana indefectibilis eſſet, regula fidei, & perpetua communionis & unitatis Eccleſiaſticæ Cynoſura. At nunc, vel inviti, agnoſcant neceſſe eſt extraneum cenſeri quod extra Eccleſiarum quarundam particularium communionem eſt, quatenùs ipſæ in univerſalis cathedræ unitate permanentes, veræ doctrinæ & fidei dotem præcipuam conſervant, non aliter. Siquidem & ipſi eâ exceptione (quam talibus dictis annexam ſemper præſupponi par eſt) freti, ſe non ideò extraneos eſſe quòd extra illas Eccleſias ſint confidenter affirmaturi ſunt; quia nempe à veritate deſciviſſe eas manifeſtum eſſe cenſent; ex quo etiam ab earum communione argumentum non, ut Optati tempore fuit, nunc firmum ſit. Cùm verò de Romanæ Eccleſiæ communione nunquam à veteribus paria dicta ſint, imò etiamſi dicta eſſent, haud mirum videri debet quòd non idem nobis ad eam degenerem, & aliam factam, reſpectus ſit qui veteribus fuerat olim, quando & ipſa & ſeptem illæ Eccleſiæ doctrinæ & fidei puritatem conſervabant.

AMBROSIVS MEDIOLANENSIS, Doctor eo ſeculo celeberrimus, in tam numeroſis operibus nihil habet quod Romano Epiſcopo authoritatem ſupremam & abſolutam tribuat, ut ex earum ſententiarum, quas pro ſe adverſarii proferunt, examine patebit. Nec enim eas quæ ad cauſam ſuam magis facere viderentur homines diligentiſſimos omiſiſſe probabile eſt.

Primùm igitur, proferunt ex commentario in

primam Pauli ad Timotheum, operibus ejus inſerto, hanc ſententiam: *Cùm totus mundus Dei ſit, Eccleſia tamen domus eius dicitur, cuius hodiè rector eſt Damaſus.* Sed *horum in Epiſtolas Pauli commentariorum authorem à viris doctis non credi Ambroſium*, ipſe Bellarminus fatetur; Pererius item, & Poſſevinus, Ieſuitæ. Maldonatus etiam, ejuſdem ſectæ ſcriptor, ait (in Ep. ad Cor. cap. 7.) *Eos commentarios Ambroſii non eſſe, qui & illos & Ambroſii legit ſcripta dubitare non poſſe*; & authorem arbitratur Remigium Lugdunenſem, qui vixit anno Dom. 870. ut per imposturam illud *cuius hodiè rector eſt Damaſus* additum eſſe neceſſe ſit. Quamobrem, utcumque indefinitè quivis Epiſcopus rector Eccleſiæ dici poſſit, & rationes fuerint cur Damaſi Epiſcopatum & vocationem confirmari opus eſſet, de eo tamen loco nullâ curâ fatigabimur.

In cap. 3. 1. Ep. ad Tim.

Bell. tom. 4. de amiſſ gr. & ſt. pecc cap 5 & lib. 4. de iuſtif. c. 8. Vid Andr. Riveti Crit. Sac. lib. 3. cap. 18.

Allegant, ſecundò, adverſarii orationem quam de exceſſu fratris Satyri compoſuit Ambroſius. Ibi narrat eum, cùm nondum myſteriis initiatus eſſet, ſummo cum vitæ diſcrimine in Africam delatum, initiari cum primùm & Euchariſtiæ participatione frui exoptâſſe; *neque tamen ita avidum fuiſſe ut eſſet incautus:* Advocâſſe enim Epiſcopum, & ab eo percontatum eſſe, *utrum cum Epiſcopis catholicis, hoc eſt cum Romana Eccleſia conveniret.* Hîc verò, ne inutili repetitione nos lectoréſque fatigemus, rationes quibus ductum fuiſſe demonſtravimus Optatum, ut à Romani Epiſcopi ſocietate ſe & collegas in cathedra quæ una eſt ſedere probaret; hæ inquam rationes omnes, quibus etiam Satyrus duci potuit, objectioni

ab

Digitized by Google

ab ejus percontatione petitæ plenè ſatisfaciunt. Sed & rationem facti illius peculiarem exprimit Ambroſius. *Fortè, enim, & ad id locorum*(temporum potiùs)*in ſchiſmate,*inquit,*regionis illius Eccleſia erat; Lucifer enim ſe à communione diviſerat.* Ille autem qui Donatiſtarum ſchiſmati immixtus non eſſet, & Epiſcopus Catholicus fuerat, ob quendam à ſe in diſciplina affectatum rigorem cum Romana Eccleſia diſſentiens, etiam ſe ab ejus communione diviſerat, ſicque à communicantibus cum Romana ſciſſus erat, unà cum iis qui in ejus communione permanebant. Quod ſi in ea regione de concenſu cum Catholicis tantùm interrogaſſet Satyrus, Luciferiani, Catholicos Donatiſtis, vel Arianis, duntaxat opponentes, ſe continuo Catholicis conſentire dixiſſent. Quare prudenter & cautè, uno verbo, ad Romanæ Eccleſiæ communionem quæſtionem determinans, ambiguitatem præcidit. *Eccleſiam* verò *Romanam aliarum eſſe caput,* quod inde infert Bellarminus, inconſequens eſſe cuivis manifeſtum eſt.

Citatur, tertiò, idem author, dicens: *Non ignoramus quod Eccleſia Romana hanc conſuetudinem non habeat, cuius typum in omnibus ſequimur & formam.* Inde certè patet eum Eccleſiæ Romanæ exemplum & formam magni feciſſe, & ad eam, ut unam ex iis quas Tertullianus *originales & matrices* vocaverat, reſpectum habuiſſe. Verùm, cùm hæc expreſſè excepturus enuntiet, ſequitur in omnibus ſecutum eſſe ejus typum communiter, non univerſaliter; & in imitatione judicio uſum libero, ex quo quæ recta viderentur obſervaret, alia præteriret.

Ambr. de Sacram. lib. 3. cap. 1.

Tert. lib. de præſcript. cap. 15.

Digitized by Google

Audiatur, ſanè, & ipſe ibidem, limitationes & exceptiones cōformitatis illius à ſe quæſitæ ſubjiciens. *In omnibus*, inquit, *cupio ſequi Eccleſiam Romanam. SED TAMEN & NOS homines ſenſum habemus. Ideò quod alibi RECTIVS ſervatur & nos rectè cuſtodimus. Ipſum ſequimur Apoſtolum Petrum, ipſius inhæremus devotioni. AD HOC QVID ECCLESIA ROMANA RESPONDET?*

Ambroſius igitur, vel quicumque eorum librorum fuerit ſcriptor de Sacramentis adversùs Eccleſiam Romanam diſputans (jure ne, an ſecus, ad quæſtionem particularem quod attinet, noſtra nihil refert,) Petro Scripturaque productis, eidem Eccleſiæ tantùm non inſultat; ſibi etiam integram libertatem ſequendi quod alibi rectiùs obſervari ipſi homini ſenſum habenti videbatur, reſervat, & eâ quidem libertate nos contenti erimus. Liceat Petri, liceat & Pauli, aliorumque authorum ſacrorum, in controverſis quæſtionibus teſtimonia producere, & quid ad hæc reſpondeat Eccleſia Romana interrogare! Liceat & alibi rectiùs obſervata ſequi, imò & Romæ olim rectiùs quàm nunc credita amplecti! Tum, certè, tyrannidis repreſſâ violentiâ, optimæ reformationi aperta erit via Et faxit Dominus!

De Concilio Conſtantinopolitano primo, quod fuit generale ſecundum, & de Carthaginenſi provinciali tertio.

Da-

DAMASI & Ambroſii tempore, congregata fuit Synodus Romæ, quò & Orientales *per Imperatoris literas accerſiverant* Et illi quidem *pennas colūbæ quibus volarent*, ut *apud Occidentales requieſcerent*, *exoptarunt*, alioqui non poſſe ſe ad illos pergere ſignificantes; *quoniam hoc modo Eccleſiæ nuper renovatæ nudarentur*, & *ad iter duntaxat Conſtantinopolim uſque faciendum ſe præparaſſent*; neque *de Concilio* in Occidente *omnino ante accepiſſent, quàm Conſtantinopoli in unum illis conventum eſſet*; Et de *hoc uno Concilio* Conſtantinopoli *celebrando conſenſum* Epiſcoporum *qui in provinciis manſerant, unà ſecum attuliſſe*. Proinde ſuorum collegarum conſenſum pluris fecerunt quàm Occidentalium, ipſorumque adeò Romanorum, non mandatum, quia tum mandandi partes ſibi non aſſumebant, ſed deſiderium. Sicque Conſtātinopolitana Synodus, nullo ex parte Damaſi aſſiſtēte, Nectarioque, civitatis Epiſcopo recens creato, præſidente, ut & adverſarii fatentur, habita eſt. Notandum etiam occurrit, Synodum in qua præſidebat Damaſus, vix provincialem cenſeri; Conſtantinopolitanam verò, omnium conſenſu, ut generalem & œcumenicam ſecundam annumerari.

Theod. lib. 5. cap. 9.

Bellarm. de Concil. & Eccl. lib. 1. c. 17.

In ea Macedonii hæreſis, aliáque Ariomanitarum, adversùs ſanctæ Trinitatis orthodoxam doctrinam, perverſa dogmata damnata ſunt. Conſtitutum etiam ibidem ut *Conſtantinopolitanus Epiſcopus habeat primatûs honorem & prærogativā poſt Romanum Epiſcopum, propterea quod Conſtantinopolis nova Roma eſſet*. Nempe, ut notārunt Chalcedonenſes, *animadvertebant ideò privilegia Romano*

Concil. Cōſt. Can. 3. & 7. Græc. c. 3.

Epiſcopo conceſſa, quòd urbs dominaretur. Sic, non conſulto Damaſo, ſe conſtitutione Eccleſiaſticâ aſilium illi æquare poſſe crediderunt: Et invitis etiam Romanis, in Conciliis ſequentibus, ſtatutum ratum habitum & obſervatum eſt.

Notârunt etiam, tertiò, illius Synodi Patres, *veterem*, de adminiſtrationibus *cujuſcumque Eccleſiæ proprius, legem eſſe, tum ſanctorum Patrum in Concilio Niceno deciſionem, ut ſingularum provinciarum antiſtites, unà cum finitimis, modo ipſis ita viſum fuerit, Epiſcopis, Miniſtros ad Eccleſiarum commodum in ſuis ipſorum provinciis ordinent: ex cujus legis præſcripto, tum aliæ quoque apud eos adminiſtratas eſſe, tum Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ in Concilio generali, communi omnium conſenſu, præſente Theodoſio Imperatore, & totius cleri totiuſque civitatis ſuffragiis, Nectarium Epiſcopum conſtituiſſe: Flaviani etiam* (*quem Epiſcopi provinciæ & diœceſeos Orientalis, in unum convenientes, totâ Eccleſia, uti canon poſtulat, ſuffragante, Antiochenæ Eccleſiæ Epiſcopum creaverant*) *ordinationem, & Cyrilli Hieroſolymitani, uti legitimam, communi concenſu Concilij approbâſſe.* Hæc verò *ſcire* volunt Occidentales, ut tanquam *legitimè, & ſecundùm canonem conſtitutis* συγχαίρειν, *congratulari*, vel *congaudere*, velint illi. Nunc verò Romanis, non conſultò priùs & præeunte ſuo Pontifice, non eſt Archiepiſcoporum legitima ordinatio.

Theod lib. 5. cap. 9.

Hæc autem omnia ex Synodali eorum Patrum Epiſtola excerpſimus. Ejus etiam inſcriptio, illius temporis libertatem & collegarum inter ſe ſocietatem, in quam & ipſe veniebat Epiſcopus Romanus, (adversùs unius in omnes

inve-

invectam poſteà autoritatem ſupremam,) manifeſtam facit. Sic autem habet: *Dominis honoratiſſimis & religioſiſſimis fratribus & Comminiſtris, Damaſo. Ambroſio, Brittoni, Valeriano, Acholio, Avenio, Baſilio, & cæteris ſanctis Epiſcopis, in celebri urbe Roma convocatis, Sanctum Concilium orthodoxum Epiſcoporum in ampla urbe Conſtantinopoli coactorum, in Domino ſalutem.*

Sic Orientalium Concilium ſupra Romanum œcumenici titulum meruit, hæreſes damnavit, Patriarchas elegit, Patriarchatúmque novum conſtituit, & privilegia cum Romano paria conceſſit, quorum omnium ritè conſtitutorum certiores facti Occidentales, eo nomine unà cum ipſis gaudere tantùm voluerunt. Et hęc quidem univerſa quę Epiſcopi Romani collegæ tum legitimè adminiſtraverunt, nunc quidem pro hominum in caput ſuum rebellantium nefandis auſibus à Pontificiis haberetur.

Eo ferè tempore, habitum eſt Concilium Carthaginenſe in Africa, anno 397. ubi lege vetitum *ne primæ ſedis Epiſcopus princeps ſacerdotum, vel ſummus ſacerdos, appellaretur, vel aliquid huiuſmodi, ſed tantùm primæ ſedis Epiſcopus.* Addit Gratianus, ut de Romano Epiſcopo ſubjectâ particulari clauſula, præcedentia eundem minimè ſpectare crederentur: *Univerſalis autem, nec etiam Romanus appelletur.* Facilè verò concedimus quod maximè hoc loco urgent adverſarii, quemvis Metropolitanum primæ ſedis Epiſcopum appellatum fuiſſe; & ejus obſervationis memores eſſe jubemus, quandocúmque ex *primi* vel *primatûs* vo-

Concil. Carthagin. 3. can. 26.

Diſt 99. can. Prima ſedis.

Digitized by Google

cabulo ſupremarum elicere volunt. Verùm quia etiam Romanus, ut Romanæ Metropoleos Epiſcopus, primæ ſedis Epiſcopus erat, illum, æquè ac alios *non vulgarium Eccleſiarum* præpoſitos, principem ſacerdotum vocari prohibebat hic canon; atque adeò Gratiani aſſumentum, quo conſequẽtiam illam declinare ſtuduit, conſcientiæ convictæ argumentum eſt.

CAP. VII.

Quæ fuerit Patrum quinti ſeculi, hoc eſt à quadringentis à Chriſto nato annis ad quingenteſimum, de Romano Epiſcopo ſententia; & primùm de Chryſoſtomi, Hieronymi, & Auguſtini doctrina.

EX tot IOANNIS CHRYSOSTOMI operoſis voluminibus, támque variis cõmentariis, meditationibus & homiliis, nullum de Romano Pontifice Eccleſiæ capite ſupremo, populis traditum documentum eruere hactenus potuerunt adverſarii. Tantùm obſervant Chryſoſtomum, Theophili Alexandrini, Eudoxiæ Imperatoris eximio Paſtori infenſiſſimæ, authoritate freti, ſtudiis, ab Eccleſia ſua violenter pulſum, & exulantem, in tantis anguſtiis charitatem Innocentii Romani ſolicitaſſe Athanaſii hiſtoria manifeſtum fecit quibus modis, in tali caſu, afflictis Paſtoribus, à ſuæ communionis Epiſcopis ſolamen & auxilium, adverſus violentiam, expetere, nec

nec tamen ad eorum iudicium provocare, in uſu fuerit; ut inde minimè inferioris ad ſuperiorem conſequatur ſubjectio.

Chryſoſtomus, certè, ad Concilium provocaverat; non ad Innocentium, cui *ſe vi tractum abductúmque à Magiſtratu civitatis, & in navim per noctem coniectum* ſcribit, *eò quòd ad Synodum & iuſtum iudicium provocaſſet*: Interimque ſibi *nec convicto, nec redarguto, literis & charitate Innocentii, aliorúmque omnium, quorum antea ſocietate fruebatur, frui concedatur*, petit. Poſtulationis verò æquiſſimæ rationem reddit hanc: quia haud congruum fuerit *ut qui in Ægypto ſunt eos qui in Thracia iudicent*, cavendúmque *ne mos ſic invaleat, ut fas ſit cuivis in alienam parœciam irrumpere, idque ex tantis intervallis, & ejicere quos voluerit; aut omnibus ab omnibus eiectis & omnes ejicientibus, brevi transitura omnia*. • *Nam ſicut à* CAPITE *quod malis humoribus plenum, & reliqua membra corrumpuntur, ita quoque tum tumultus qui in magna civitate cœperunt, quaſi ex fonte in omnia loca effluxiſſe*. Sic ille quidem æquum poſtulabat, nec iure ab ullo ſuæ communionis Epiſcopo repulſam pati poterat. Nam cùm incompetentes iudices, meritò declinantem eum, non canonicè iudicatum Epiſcopatu abdicaviſſent, nulla inde aliis incumbebat neceſſitas Joannem, iuſtum iudicium expetentem, à communione ſuâ arcendi. Quinimò, eſt charitatis lege, & ad ordinis Eccleſiaſtici conſervationem, auſibus & conatibus Theophili obſiſtendum illis fuit. Quod autem unumquémque facere oportuit, hoc eſt Joannem in communionem ſuam admittere,

Chryſ. Ep. ad Innoc. tom. 5. ſub fin.

potuit etiam quiſque ſcribere. Sed quia nomine Metropolitanorum, & Patriarcharum potiſſimùm, Encyclicæ literæ ſcribi ſolebant, ideò Chryſoſtomus Innocentium obſecrat, ut *ſcribat hæc tam iniquè facta, ipſo* (Ioanne) *abſente, & non declinante iudicium, non habeant robur, ſicut neque ſuâ naturâ habent: illi autem qui iniquè egerunt pœna Eccleſiaſticarum legum ſubiaceant.*

Cæcutire oportet eum qui non animadvertat; quantùm diſcrepet iudiciũ diſcretionis circa formam iudiciorum & competentiam iudicum, ab ipſo iudicio authoritatis rem ipſam definientis. Primum enim eſt etiam apparitoris, qui priùs quàm quod iudicatum eſt executioni mandare properet, & formam iudicii & iudicis qualitatem conſiderare ſolet, quovſque ejus extendatur iuriſdictio, & an, *non obſtante appellatione*, ratum ſit quod illi placuerit. At non quivis iuridicè cauſam cognoſcit, neque qui cum pluribus poteſt, ſolus tamen & ſeorſum æquè pollet in id ipſum authoritate. Innocentius ipſe ſe tantis componendis litibus imparem, aliáque opus fuiſſe, in eo negotio, authoritate teſtatus eſt. *Quodnã* inquit, *remedium hiſce rebus in præſenti afferemus?* NECESSARIA *erit Synodalis cognitio, quam etiam multo iam ante congregandam diximus. Ea quippe* SOLA *eſt quæ huiuſmodi procellarum impetus retundere poſſit. Quam quidem donec conſequamur, expedit medelam calamitatis huius committere voluntati magni Dei, ac Christi eius, Domini noſtri.*

Innocent. in Epiſt. ad cler. pop. Conſtãt. ap. Sozom. lib. 8. cap. 26.

Hinc patet Synodi authoritatem potentiorem habitam; & aliunde conquiſita remedia, fomenta fuiſſe quædam promptè adhibita, dum à

Con-

Concilio expectabatur medela. Patet etiam nihil ſibi Innocentium in Theophilum & ſedem ejus aſſumpſiſſe, & nihil Conſtantinopoli potuiſſe. Hinc igitur potiùs aquam adverſariorum igni extinguendo plenis ſitulis haurias, quàm olei guttam eidem fovendo extrahas.

HIERONYMVS, Presbyter, tum etiam vigebat, & ſcientiæ exquiſitæ nomine, famâ percelebris erat. Is cùm Damaſo fuiſſet ab Epiſtolis, meminit alicubi ejus temporis quo *cum in chartis Eccleſiaſticis juvaret, & Orientis atque Occidentis Synodicis conſultationibus reſponderet*. Id ut ſuis uſibus conferens proferunt Monarchici. Sed conſultationibus reſpondere non eſſe poteſtatis & authoritatis ſupremæ actum proprium, anteà demonſtravimus; & notum eſt prudentes & conſiliis aptos, ab iis etiam qui rerum potiuntur, & quorum authoritati ſubſunt, conſultari. *Hier. ad Agerachiam, de monogamia.*

Verùm quod idem Doctor ad Damaſum ſcripſit, pluris faciunt adverſarii. *A paſtore*, inquit, *præſidium, ovis peto. Cum ſucceſſore piſcatoris & diſcipulo crucis loquor. Ego NVLLVM PRIMVM NISI CHRISTVM SEQVENS, beatitudini tuæ, id eſt cathedra Petri, communione conſocior. Super illam petram ædificatam Eccleſiam ſcio. Quicumque extra hanc domum agnum comederit, profanus eſt. Si quis in arca Noë non fuerit, peribit regnante diluvio.* Et infrà: *Non novi Vitalem, Meletium reſpuo, ignoro Paulinum. Quicumque tecum non colligit, ſpargit: hoc eſt, qui Chriſti non eſt, Antichriſti eſt.* *Hier. ad Damaſum, de nomine hypoſtaſis.*

Ex Patris illius doctrina, Presbyter & Epiſcopus differunt, *non Dominicæ diſpoſitionis veritate, ſed Eccleſiaſticâ conſuetudine*, quâ quidem conſue- *Hier. in com. in Ep Tit c.1. & Ep. ad Evagr.*

tudine factum eſt ut Epiſcopi ratione quadam ſingulari Paſtores dicti, inferioris ordinis Clericos, Presbyteros, & Diaconos, ut in grege ſuo ſubjectas *oves* habere cenſerentur. Ideò Hieronymus, qui de Epiſcoporum collegio non fuit, *ovem* ſe, & *Damaſum Paſtorem*, vocat. Quinetiam, utcunque Presbyter eſſet ille, tamen vitę quoddā genus elegerat, ex quo, privatis exercitiis deditus, nulli Eccleſiæ in ordinario miniſterio addicebatur, unde frequens ei cū Hieroſolymitano Epiſcopo lis interceſſit. Hęc de *ovū* & *paſtorū* appellationibus. Ad ſucceſſionem quod attinet, idē omne Epiſcopos *Apoſtolorum ſucceſſores* agnovit. Apoſtolicarum etiam Eccleſiarum Epiſcopi, ratione loci, ut alibi notavimus, iis Apoſtolis qui Eccleſiam earundem fundâſſe exiſtimabantur, ſpeciali quodam modo ſuccedere dicti ſunt. Eo ſenſu Epiſcopum Romanum *Damaſum piſcatoris*, id eſt Petri, ſucceſſorem vocavit Hieronymus.

In Ep. ad Evagr.

Vitali autem, Paulinóque & Meletio rejectis, Damaſo conſociari voluit idem, non ſimpliciter quòd hic Romæ quidem, illi verò aliarum Eccleſiarum Epiſcopi eſſent; ſiquidem iniquum planè fuiſſet. Nec hodie, conſociationis cum Urbano Romano prætextu, Mediolanenſem aut Lugdunenſem reſpuēdum dicant adverſarii; neque, ullus, in diœceſi ſua agentem Presbyterum, ad hunc modum ſe rejici patienter ferat Epiſcopus. Quid igitur? Hieronymus omnium quorum hoc loco meminit ſtatu diligenter conſiderato & cognito, judicio ſuo uſus eſt, ut *non ex perſonis fidem, ſed ex fide perſonas probaret* diſcerneretque. Paulinum Antiochenū Patriarcham Luciferianum

Tertull. de praeſcr cap. 1. Ex personis probamus fidem, an ex fide perſonas?

num profeſſum videbat: Meletium etiam & Vitalē ſchiſmatibus & factionibus, quibus Eccleſiæ Orientis miſerè afflictabantur immixtos cernebat. Ab altera verò parte Damaſum & Occidentales, unà cum eo, à ſchiſmate alienos rectâq; fide & charitate iunctos noverat. Ideóque Vitalem Meletiumque, reſpuit: Paulinum etiam, cui alioqui ut proprio Epiſcopo, ipſe Antiochię Preſbyter creatus, ſingularem debuiſſet obediētiam, ſe ignorare aſſerit; quia cùm ita obediendum ſit conductorib. noſtris, ut CHRISTVM PRIMVM SEQVAMVR: prout hoc loco à ſe factum notat hic Doctor, veri fidelis officium eſt Paſtorem proprium deviantem non ſequi, alienumque ducere & ignorare eum in quo Chriſti ſummi Paſtoris vocem non agnoſcat.

Neque tamen palantem decet eſſe ovem, ſed continuò alterius Paſtoris veri, utcúmque locorū intercapedinē diſſiti, communione conſociari; ſi, inquā, præceptis Chriſti adhæreat ille. Eſt & Paſtorum, ſive *Epiſcoporum*, quorū *copioſum eſt corpus, ſiquis ex collegio ipſorum hæreſim facere & gregē Chriſti lacerare & vaſtare tentaverit, ſubvenire & oves Dominicas in gregem colligere*; ut ex Cypriano, in cauſa Martiani Arelatenſis, anteà notavimus. Sic igitur prudentiſſima ovis Hieronymus, rejectis Orientalibus, Damaſo orthodoxo & Catholico conſociari voluit, ab eóque, cùm ſe eorum Paſtorum inutilium authoritate premi ſentiret, *præſidium* petiit, quod nec ille denegare debuit. *Cypr. lib 3. Ep. 14.*

Utinam verò Hieronymum hac in parte imitari Romanēſibus noſtris luberet! Utinam, Chriſtum primum ſequentes, inde quibus ſecun-

dis adjungi, quoſve reſpuere debeant, judicarēt! Aſt, cōtrà Romanum Epiſcopum, tantùm quòd in eum locum conſtitutus ſit, primum ſequuntur, fidemque quâ Chriſtum ſequi oporteat, ab illo Epiſcopo pendere illiuſque authoritati, ut fundamento, inniti volunt Sic Chriſtum ſecundum tantùm, & pro præpoſterè primi illius arbitrio, quantumque & quandiu juſſerit, illis ſequi propoſitum eſt. Utcumque enim verbi Chriſti authoritatem in ſe quidem potiorem eſſe doceant, nullam tamen *quo ad nos* eſſe volunt eam, niſi Eccleſiæ priùs notæ authoritate confirmetur. Eſt autem, ex eorum ſenſu, Eccleſia illa, Romana ipſa, cujus authoritas in Pontificis perſona reſideat.

Staplet. pr. doctr toto penè lib. 9. Item adv. VVittak, de author ſcript Eccl. in Enchir. de auth. Eccl reſp 3. ad obiect.

Hæc cùm ſibi perſuaſerint, etiam volunt non ideò Hieronymum conſociari Damaſo prælegiſſe, quòd ex Chriſti, quem primum voluit ſequi, regula ad ſtatum illius ſibi perſpectum applicata, judicaverit à primo illo non diſceſſurum ſe, ſi Damaſo ſecundariò adhæreret; Sed potiùs hanc putāt præſuppoſuiſſe perpetuam regulam; *eum qui in Eccleſia eſſe velit, Epiſcopo Romano conſociari neceſſariò oportere; alioqui profanum fore.* Verùm cùm ipſe, in Catalogo, Liberium Damaſi prædeceſſorem Arianæ hæreſi ſubſcripſiſſe notaverit, eam ſibi regulam immutabilem ſtatuiſſe non potuit. Nec Liberio Valentis & Urſacii communione ſordidato, perinde ac ſucceſſori Damaſo, communione aſſociari voluiſſet; ut nec Athanaſium à Liberio excommunicatum profanū duxiſſet. Nam quia nullum alium niſi Chriſtum ſequendum primum exiſtimabat, ideò nec Liberium

Digitized by Google

berium ſecundum, quum à primo illo ſequendo *fractus* deſiſteret, ſequi potuiſſet. Hæc certè conditione propoſitâ, etiam quâ ratione Damaſo adhæreret, nempe quia orthodoxus eſſet, ſatis declaravit. Deinde illud *tuæ beatitudini*, quod perſonam Damaſi ſpectare videri poterat, ſic exponit ut de *cathedra Petri* propriè à ſe intelligi notam faciat. Atqui conſideratio cathedræ, doctrinæ veritatis rationem præcipuê cõplectitur. Nam ut ſedere in cathedra Moſis, vel Petri, eſt doctrinam eorundem docere, ut ſuo loco probavimus: Sic alicui ita conſociari, ut ſit cathedrę Prophetæ vel Apoſtoli in qua ſedet adhærere, & non perſonæ ſedentis, quod fecit Hieronymus, eſt Prophetam vel Apoſtolum audire, & tale *quatenus* præſupponit, ut ſiquis ſedere in cathedra dictus, à veritate & recta fide comperiatur devius, circa eum exceptio neceſſariò facienda inde conſequatur. *Super hanc petram* autem *fidei & veritatis*, ut ipſe Hieronymus, cum univerſa antiquitate interpretatus eſt, *Eccleſiam fundatam* ſcimus, nõ ſuper Damaſum; & ab Eccleſia ſuper *petram ſermonum veritatis* fundata quemcumque alienum, etiam Romanum Epiſcopum Liberium, aut Honorium, *profanum* reputamus.

Quamobrem, cùm is ſit Hieronymi ſenſus, ex ejus verbis, locique circumſtantiis, & veritatis ratione elicitus, exemplíſque & teſtimoniis confirmatus, nihil eſt quod inde adverſarii glorientur. Quinetiam ſermo ejus à Papatu ad nos tranſeuntibus optimè conveniret; & Eccleſiæ Romanæ deploratiſſimum ſtatum cernenti, atque Eccleſiæ Reformatæ pacem & communionem

expetenti,poſſunt verè & ex intimo cordis affe-ctu talia ad verum ejuſdem Eccleſiæ Paſtorem & Epiſcopum dirigi. *Ego, nullum primum niſi Chriſtum ſequens, beatitudini tuæ; hoc eſt cathedra Petri, communione conſocior. Vrbanum ignoro, & ſimilis eius reſpuo. Qui tecum, qui Chriſto & Evangelio eius adhæres, non colligit, ſpargit; hoc eſt qui Chriſti non eſt, Antichriſti eſt.*

Cæterùm Romani Epiſcopi ſummam quam dicunt in alios Epiſcopos poteſtatem, ex qua leges orbi imponat, ſubjiciatque cæteros, ut ſpecialis Apoſtoli Petri ſucceſſor, nemo clariùs Hieronymo refellit, cujus hæc ad Evagrium ſunt verba: *Si authoritas quæritur, orbis maior eſt vrbe. Vbicumq; fuerit Epiſcopus ſive Romæ, ſive Eugubii: ſive Conſtantinopoli, ſive Rhegii: ſive Alexandriæ, ſive Tanis: eiuſdem meriti eſt eiuſdem eſt & ſacerdotii. Potentia divitiarum, & paupertatis humilitas, vel ſublimiorem vel inferiorem Epiſcopum non facit. Cæterùm omnes Apoſtolorum ſucceſſores ſunt. Sed dicis, quomodo Romæ ad teſtimonium Diaconi Presbyter ordinatur? Quid mihi profers unius urbis conſuetudinem? quid paucitatem, de qua ortum eſt ſupercilium, in leges Eccleſiæ vindicas?* Si Epiſcopum Romanum omnium ſupremum, & Eccleſiæ fundamẽtum regulámque eſſe perſuaſum habuiſſet, quî Rhegenſem illi, Eugubinúmque & Tanenſem Epiſcopos æquâſſet? Si urbis Romæ Epiſcopum orbi imperare & leges dare noviſſet, cur in quæſtione authoritatis, orbem urbe majorem dixiſſet?

Bell. de Pont. lib. 2. cap. 16. Hic ſanè hærent adverſarii, & quò evadant neſciunt. *Dico*, inquit Bellarminus, *Hieronymum*

re-

reprehendere eo loco malam quandam conſuetudinem, quæ Romæ erat, non in tota Eccleſia Romana, vel in ſummo Pontifice, ſed in DIACONIS TANTVM *Romanis.* At enim, quis, quæſo, ad teſtimonium Diaconi Presbyterum Romæ ordinabat, niſi Epiſcopus? Ejus igitur ordinantis, & tanti facientis Diaconi teſtimonium, non autem Diaconi teſtimonium perhibentis, propria culpa fuit. Quorſum verò, occaſione culpæ cujus ſoli Diaconi rei eſſent, de urbis authoritate diſputare, illíque *maiorem*, orbis, anteponere? Quorſum Epiſcopi urbis cum aliis comparationem inſtituere, & cæteros Epiſcopos authoritate illi æquare? Sed quacúmque occaſione locutum velint Hieronymum, manet ejus generale pronuntiatum, *Epiſcopum,* ſcilicet, *ubicumq; fuerit eiuſdem eſſe meriti & ſacerdotii.* Et, ne fortè de aliis dictum putes, & Romani aliam eſſe rationem, ipſe primus in æquandorum ordine nominatur. Quâ igitur rimâ elabi queas?

Intelligendum id, ait idem adverſarius, *de Epiſcopatu ratione ordinis, non iuriſdictionis. Nec enim negare voluit Hieronymus maiorem eſſe ditionem Epiſcopi Alexandrini quàm Tanenſis.* Et illud miſerum effugium eſt, à vocabuli aliunde de induſtria petiti æquivocatione. Siquidem *iuriſdictionis* nomen, primò, & propriè, pro ius dicendi authoritate, vel ejuſdem authoritatis actione, ſumitur: Deinde, ſecūdariò & minùs propriè, pro *ditione,* ſive ſubjecto in quod exercetur illa iuris dicendi authoritas. Poſtremo hoc ſenſu, dicitur major vel minor iuriſdictio ratione quantitatis, vel diſcretę, ex

numero perſonarum ſubjectarum; vel cõtinuæ, quoad extenſionem locorum: & poteſt ditio latior eſſe, ubi authoritas eſt minor; adeò diſcrepant illa. Atque etiam verum eſt Hieronymum non putaſſe iuriſdictiones ſive ditiones æqualiter omnibus extendi: Neque noſtrûm quiſquã, pares duxit portiones gregis ſingulis Paſtoribus aſſignatas. De iuriſdictione primo modo intellecta tantùm quæſtio eſt; non, inquam, de extẽſione ditionis, ſed de intentione poteſtatis; ſive, de ſublimitate vel inferioritate authoritatis. Dicunt adverſarii Romanum ſublimiorem eſſe cæteris, ſive authoritatis in ſuo genere majoris & gradûs altioris: Nos negamus. Quid autem Hieronymus; *SI AVTHORITAS*, inquit, *QVAERITVR, orbis MAIOR eſt urbe.* Item, *Epiſcopus, ubicúmque fuerit, eiuſdem eſt MERITI, eiuſdem & ſacerdotii.* Quomodo verò? ut ratione loci, vel *divitiis potens* vel ex *paupertate humilis*, non ſit *SVBLIMIOR vel INFERIOR*; quia, nempe, *omnes ſunt ſucceſſores Apoſtolorum.* Itaque non lucet meridie, ſi pro nobis non clarè pronuntiat Hieronymus.

AVGVSTINVS HIPPONENSIS, qui doctrinâ, ingenio, & laboribus veterum nulli fuit ſecundus, nunquam in expoſitionibus ſcripturarum, vel tractatibus dogmatum homiliíſve ad populum, meminit Epiſcopi Romani, ut quam nunc ſibi ille tribuit abſolutam poteſtatem, ſupremámque in omnes authoritatem, confirmaret. Quinimò contrarium ſenſiſſe eum vel inde manifeſtũ eſt, quòd contra Donatiſtas ſcribens, Cypriani præmiſſam in Concilio Carthaginenſi ora-

orationem, prout in Epiſtola ad Quitimum proponitur, integram tranſcripſit, libróque ſuo inſertam omni ex parte probaverit, *huius ſermonis ſanctâ humilitate* laudatâ: Nihil etiam in Cypriano præter minimè ſanam de Baptiſmo hæreticorum ſententiam reprehendit. Sic illius, de ordine Eccleſiaſtico, & Epiſcopum Epiſcoporum non ferente præpoſitorum Eccleſiæ dignitate, ſententias ſuas fecit; theſéſque & hypotheſes ejuſdem de *unitate Eccleſiæ*, in qua eum permanſiſſe docet, ſuſcępit & amplexus eſt.

Aug de Bapt contr. Don. lib. 2. cap. 1.

Pontificii, ex Epiſtolis Auguſtini honorificas quaſdam Epiſcopi Romani compellationes, & ejus atque collegarum, ex modeſtia & ſanctâ humilitate, de ſe ipſis demiſſè dicta, ſtudioſè congerunt; ut illud, ſi dîs placet dogma fidei, de Epiſcopo univerſali, ſive Epiſcoporum Epiſcopo, quod ut monſtrum juxta cum Cypriano averſatus eſt, eliciant.

Arripiunt primò quod in quadam epiſtola ſcribit, *in Eccleſia Romana ſemper Apoſtolicæ cathedræ viguiſſe principatum.* Verùm *principis* & *principatûs* vocabula, ad perſonas vel functiones Eccleſiaſticas accommodatâ idem quod *primus* & *primatûs* ſignificare demonſtravimus; adeóque munus Apoſtolorum, quos *primos* Eccleſiæ dedit Dominus, *principatũ Apoſtolatûs* dici, & eâ ratione Paulo omnium noviſſimo ejus tituli dignitatem ab hoc authore noſtro tribui. Quid mirum igitur, ſi *cathedræ Apoſtolicæ*, quæ una eſt, & viget ubicumque doctrina Apoſtolica purè, recepta docetur, *principatûs* Romæ, quando & quandiu ibi veritas ſplenduit, viguiſſe dicitur?

Aug. Ep. 162.

Aug. lib. de pecc mer. & rem. cap. 2. de Paulo: Tanti Apoſtolatûs meruit habere principatum.

Digitized by Google

Certum eſt etiam Metropoleôn Eccleſias *primas ſedes* dictas fuiſſe, ut & ipſi in canonem 6. Carthagin. Concil. 3. obſervant adverſarii; tum earundem Epiſcopis *Apoſtolicam præſidentiam* tribui ſolitam, prout Baſilius ad eam vocatum dixit Ambroſium Mediolanenſem. Patriarchis etiam iure poſitivo, hoc eſt conſuetudine vel Conciliorum ſtatutis, prærogativæ & privilegia ſupra Metropolitanos alios conceſſa erant plurima, adeò ut *omnem primatûs honorem* haberent illi. Inde ſatis fuit cauſæ cur Apoſtolicæ cathedræ principatum Romanæ Eccleſiæ tribueret. Qui autem aliam dicti ejus rationem volunt, nempe quòd ejus ſedis iudicium eſſet ſupremum & authoritas monarchica, id verò tantùm abeſt ut ex Auguſtino probent, ut contrarium ab eo doceri manifeſtè demonſtrari poſsit.

Baſ. Ep. 55.

Ne longè abeamus, ipſa hæc ab adverſariis citata Epiſtola abundè nobis quod ad id opus eſt ſuppeditat. Ibi enim, Donatiſtis *malos ſe iudices eſſe perpeſſos* excipientibus, *ad hoc* ait *poſſe iuſtiſſimè dici: Ecce, putemus illos Epiſcopos qui Romæ iudicârunt, non bonos iudices fuiſſe,* RESTABAT ADHVC *plenarium Eccleſiæ univerſæ Concilium,* VBI ETIAM CVM IPSIS IVDICIBVS *cauſa poſſet agitari, ut ſi* MALE IVDICASSE *convicti eſſent, eorum* SENTENTIAE SOLVERENTVR. Quid clarius quàm à Romani Epiſcopi iudicio (is enim cum aliis iudicaverat) ad plenarium Concilium appellari, ibique ſententiam ejus ſolvi potuiſſe; hoc eſt ſupremum iudicem eum non fuiſſe.

Quas verò non ex capite noſtro commenti ſu-

ſumus, ſed ex ipſis Patrum ſcriptis notavimus, dicti illius de principatu Apoſtolicæ cathedræ cauſas, alteri ejuſdem authoris ad Bonifacium Romanum pronuntiato ſi adhibeamus, nulla ex eo remanebit difficultas. Nempe, *altiùs* illum *præſidere & celſiore faſtigio eminere* dixit, qui *omnem honoris primatum* habuit. Poterat & provinciæ ſuæ Numidiæ Metropolitanum, ob primæ ſedis prærogativam, *celſiore faſtigio eminentem* & *altiùs præſidentem* agnoſcere. Quia tamen accidentales prærogativæ illæ quæ iure poſitivo contingerent, Epiſcopalis muneris eſſentialem authoritatem haud ſpectabant, nec etiam eam alterare poterant: ideò & doctrina Hieronymi, qui Epiſcopatûs eſſentialem authoritatem omnium communem (adventitiarum ex locis diſtinctionum, quas conſideravit hoc loco Auguſtinus, & ſublatas optavit Nazianzenus, nullo tum habito reſpectu) æqualem in omnibus eſſe voluit; doctrina, inquam, illa, per Auguſtini dicta alterationem nullam paſſa eſt. Imò & eam, hoc ad Bonifacium loco, clarè exprimit ipſe, his verbis: *Cùm non deſinant fremere ad Dominici gregis caulas, atque ad diripiendas tanto pretio redemptas oves, aditus undecúmque rimari*, COMMVNISQVE SIT OMNIBVS NOBIS *qui fungimur Epiſcopatûs officio, quamvis ipſe in eo præemineas celſiore faſtigio*, SPECVLA PASTORALIS, *facio quod poſſum pro mei particula muneris.* Hic igitur communem ſpeculam paſtoralem & idem Epiſcopatus officium ſive munus, cujus particulam habuit ipſe, me-

Aug ad Bonif lib.1.cap.1.tom.7.

morans, in eo tamen communi officio quoddam præeminentiæ celſius faſtigium, ex adventitiis Metropolitani privilegiis, agnovit & expreſsè notavit. At adverſarii Epiſcopatum & Paſtoratum peculiarem à communi diſcretum, non in eodem illo communi quaſdam, duntaxat, præeminentias, Romano Epſcopo tribuunt.

Idcirco, etiam, ut Auguſtini ſententiam ſuo propoſito accommodarent, ſpeculáque paſtoralis non communis omnium, ſed Epiſcopi Romani ex eminentiore faſtigio propria remaneret, locum hunc unius literæ mutatione virgulæque ademptione corruperunt, ſcribentes: *faſtigio ſpeculæ paſtoralis*. Sed animadvertit prudens lector ſic ſenſum conſtare non poſſe, quia adjectivo *communis* nullum reſponderet ſubſtantivum.

[*Sic habet exemplar meũ edit. Lugd. Honorati, anno* 1562.

Quod autem infert Bellarminus, omnes Epiſcopos ſubjici faſtigio Romani Pontificis, inconſequens eſt. Nam celſiore faſtigio in Epiſcopatu omnibus communi præeminebant peculiariter omnes Patriarchæ & Metropolitani, & horum cuíque quadrabat quod Bonifacio accommodat Auguſtinus.

Quod verò in Epiſtolis Synodalibus, idem ille & collegę ejus Innocentio multum deferunt, eorum modeſtiâ, ex qua etiam ſe inferiores honoribus prævenisſent, factũ eſt. Et certè Patriarchatûs faſtigium illud, quo Epiſcopus Romanus, ex Eccleſiaſtica conſtitutione, vel conſuetudine, cum Conſtantinopolitano, Alexandrino & Antiocheno, primus etiam ſeſſionis & nominationis ordine, etſi non gradu, gaudebat, id quodammodò poſtulare videbatur. Fuit etiam prudẽtiæ co-

eorum in maximi momenti negotio, ad cujus, nō definitionem, ſed executionem, Innocentii operâ opus haberent, honorificis verbis & compellationibus, quibus hominem gloriæ & honoris ſitientiſſimum demulcerent, minimè parcere. Nam, utcúmq; Baſilio ex aſcetica vita magis Severo in pari caſu, quū Marcelli damnationi ſubſcribere Epiſcopum Romanum cum ſuis maximè opus fuiſſet, viſum ſit *non profuturum ſupplicem agere, quòd ille vir contumax eſſet*: Meritò tamen Africani *ſuperbos mores* (quod nolebat ille Græcus) *demiſſione aliquâ curare tentârunt*, ut cicurato Romano Epiſcopo, exiguo ſui diſpendio obtinerent id quo curſum liberum haberet veritas, & Pelagianæ hæreſeωs ſiſteretur impetus. *Baſ. Ep.* 10.

Cùm enim Pelagio & Cæleſtio, gratiæ Dei hoſtibus, dogmatibus eorum, in Milevitano & Carthaginenſi Conciliis, ex Dei verbo diſcuſſis, Auguſtinus & collegę, non expectato aliorum iudicio & conſenſu, anathema dixiſſent, & canones adversùs perverſam eorum doctrinam, ut ex actis videre eſt, firmâſſent: E re Eccleſiæ eſſe & ad hæreſeωs extirpationem pertinere duxerunt, ut canones quos ſtatuerāt, etiam in aliis provinciis & Eccleſiis, quarum non ipſis commiſſum erat regimen, cōprobari ſuſciperentur; ne fortè quod à ſuis finibus eliminaverant malum, alibi foveretur, & in perniciem Eccleſiæ ſerperet. Hinc eſt quod ab Innocentii *charitate* poſtulant ut *ſtatutis ſuæ mediocritatis* ETIAM *Apoſtolicæ ſedis adhibeatur authoritas pro tuenda ſalute multorum, & quorundam perverſitate etiam corrigenda.* Sic authoritatem authoritati adhiberi cupiebant. Nec ſuam ſubjece- *Aug. Ep.* 90. *nom. Carthag. Con.*

Digitized by Google

runt quaſi ſuſpenſum interim manere vellent judicium, ut ſibi plaudens Innocentius, Epiſtolâ ſequente, (ſi tamen ejus genuina eſt, quod non putat Eraſmus,) interpretari videtur: Sed *errorem & impietatem quæ tam multos haberet aſſertores per diverſa diſperſos, ETIAM authoritate Apoſtolicæ ſedis anathematizandum eſſe* judicarunt. Notant etiam *audiviſſe ſe in urbe* Roma, ubi ille (Pelagius) *diu vixit, nonnullos eſſe qui diverſis cauſis ei faveant, quoſdam, quia* (aiunt) *VOS talia perſuaſiſſe perhibent.* Ideo ſcilicet, ut (quod pernecesſarium erat) Innocentius ſe palam à perverſo dogmate alienum teſtaretur, exhortationem ſuam inſinuationibus & delinimentis adhibitis gratam reddere conati ſunt; ne fortè Innocentius, magno Eccleſiæ damno, rem differret, prout anteà Romæ, ex ſuperbia & vanis conſiderationibus, in cauſa Marcelli, indignâte & fremente Baſilio, factum fuerat. *Et quia te Dominus,* aiunt, *gratiæ ſuæ præcipuæ* (nō *præcipuo* ut ſcribit Bellarminus) *munere in ſede Apoſtolica collocavit, talemq; noſtris temporibus præſtitit, ut nobis potiùs ad culpam negligentiæ valeat, ſi apud tuam reverentiam quæ pro Eccleſia ſuggerenda ſunt tacuerimus, quàm ea tu poſsis vel faſtidiosè vel negligenter accipere, magnis periculis infirmorum membrorum Chriſti paſtoralem diligentiam quæſumus adhibere digneris.*

Epiſt. 95.

Ep. 92. Concil Milev. nom.

Quod *in ſede Apoſtolica collocatus* dicitur, id munus ſpectat cum multis aliis commune. Ut enim nihil de Patriarchis & Apoſtolicarũ Eccleſiarum Epiſcopis dicamus, etiam vulgarium Eccleſiarum Epiſcopis idem magnificentius enuntiatum tribuebatur. Siquidem, in Epiſtola

quæ

quæ inter Auguſtinianas XXXV^a numeratur, Paulinus Alypio Theagaſtæ Epiſcopo ſic gratulatur: *In cuius civibus principalem te, cum principibus populi ſui, ſede Apoſtolica meritò collocavit.* Cætera ad Innocentium, vel perſonalia ſunt de ejus exiſtimatione; vel exhortatoria ad munus obeundum, & paſtoralem curam, quâ membris Chriſti ſuccurreret, adhibendam. Sic & Hilario Epiſcopo ſcribit Auguſtinus *ſe apud venerabilitatem eius tacere non debuiſſe, ut eiuſmodi homines curâ paſtorali caveat.* Cavere autem curâ paſtorali ab hæreticis, erat propriè oves ab inde imminenti periculo conſervare, & membris Chriſti ſuccurrere. *Id. Ep. 94.*

Verùm enimverò, ne fortè quis ſibi perſuadeat articulorum & canonum Synodi cujuſpiam poſtulatam approbationem, & authoritate aliorum Epiſcoporum adjunctâ, confirmationem, ſuperiorum iuriſdictionem approbantium in approbationem expetentes præſupponere; ſuffecerit annotâſſe morem receptum, ex quo ab abſentibus œcumenicarum etiam Synodorum confirmatio & approbatio exigebatur. Extat in Concilii Nicæni actis ad Epiſcopos abſentes Conſtantini Epiſtola, quâ *ſe pro iis fideiuſſiſſe actis conſenſuros eſſe, & ſapientiæ eorum placiturum*, ſcribit. Deinde, pluribus poſt ſeculis, Leo II. acta Synodi Sextæ, Conſtantinopoli coactæ, ad Epiſcopos Hiſpanos, ut ea probarent & confirmarent, miſiſſe comperitur, & in Concilii Toletani XIV. Actis cap. 2. memoratur. Leonis, (aiunt Epiſcopi Hiſpani) *antiquæ Romæ*

Digitized by Google

Pontificis invitatoria Epiſtolaris gratia conſulta ſuſcepimus,per qua INVITATI *ſumus ut prædicta* SYNODALIA *inſtituta, quæ miſerat,* NOSTRI ETIAM *VIGORIS MANERENT AVTHORITATE FVLTA.* Subjiciunt, *Præfatas geſtorum regulas pertractandas ſuſcepimus, ſuſceptas perlegimus,&c.* PLACVIT *proinde ea geſta firmare.* Quemadmodùm igitur Leo, eâ invitatione, Hiſpanis Epiſcopis ſe ſubjectum intelligi noluit; ſic neque Africanos à Romano Epiſcopo , ut capite univerſalis Eccleſiæ,pendere voluiſſe conſequitur.

Unum omiſeram,ex Auguſtini tractatu *de utilitate credendi,*ab adverſariis productum locũ. Ibi, *primùm quærentibus cui religioni animas ſuas purgandas tradant, procul dubio à* CATHOLICA ECCLESIA *ſumendum eſſe exordium* docet,quia PLVRES, ſuo tempore, CHRISTIANI *eſſent,quàm ſi Iudæi ſimulachrorum cultoribus adiungerẽtur:* eos igitur *priùs explorandos;ut quandiu,* inquit, *erramus, ſiquidem homines ſumus , cum* IPSO GENERE HVMANO *errare videamur.* Sic *Catholicæ Eccleſiæ* nuncupatione vbique diffuſam Chriſtianorum multitudinem, etiam ex numero ingente primùm conſiderandum, clarè expreſſit. Poſteà verò,cùm toto tractatu Eccleſiæ illius catholicæ , & numeroſioris communitatis , fidem religionémque pluribus argumentis confirmâſſet,tandem ſic concludit: *Cùm igitur tantum auxilium Dei, tãtum profectum fructúmq; videamus , dubitabimus nos eius Eccleſiæ condere gremio quæ uſque ad confeſſionem generis humani ab Apoſtolica ſede*(hoc eſt.*ab* eo tempore quo Apoſtoli in cathedra ſedere ſive docere & diſcipulos colligere,mandato Chriſti,cœperunt,quod Hieroſolymis

ſolymis primùm contigit ut lex Sione prodiret, *uſque* ad illud tempus quo quaſi plenitudo gentium ingreſſa eſt, & ſalus quæ Iudæorum erat olim, facta eſt actu gentium communis, adeò ut quodammodò *ipſum genus humanum* ad *confeſſionem* Chriſti inductum ſit) *per ſucceſſiones Epiſcoporum, fruſtra hæreticis circumlatrantibus, & partim plebis ipſius iudicio, partim Conciliorum gravitate, partim etiam miraculorum maieſtate damnatis, culmen authoritatis obtinuit? Cui nolle primas dare vel ſummæ profectò impietatis eſt, vel præcipitis arrogantiæ.*

Iam verò illius Eccleſiæ, quæ catholica eſt communitas generis humani confitentis Chriſtum, *culmen autoritatis* quid aliud eſt quàm, ſuper alias omnes Religionem mentientes communitates, prælatio & prærogativa veritatis authoritatiſque ex qua ſponſa Chriſti & omnium verè viventium mater eſt? Id agnoſcere culmen ejus, eſt & primas illi dare, eámque (ut par eſt) cæteris præferre. Sunt enim, fuerúntque ſemper, quæ comparationem cum ipſa inſtituere auderent; vel etiam ſibi culmen autoritatis tribuentes, eam quæ Deo ſola placet ſe antecellere putent & impudenter glorientur; utcumque, miſeræ, ne Agaræ quidem & ancillarum nomen & titulum mereantur. Et de veræ illius ſponſæ cum aliis differentia, adverſus Manichæos nomine Chriſtiano prorſus indignos diſputabat Auguſtinus; nō autem de prærogativa particularis cujuſdam ad catholicam pertinentis, ſupra particularem aliam ſororem ejus, ut Romanæ ſupra Alexandrinam, vel Antiochenam: multò verò minus de unius ſupra alias omnes præeminen-

tia, vel de unius Epiſcopi in univerſalem Eccleſiam authoritate ſuprema.

Nihilominùs adverſarios plures haud puduit hæc ad Eccleſiam Romanam, quæ ne ſemel quidem toto libro nominatur, referre. Sed non adeò mirum eſt ab iis qui imperium urbis Romę, quod olim obtinuit, cum ejuſdem urbis Epiſcopi authoritate, quam in univerſas Eccleſias habere illum ſomniant, confundere non confunduntur; haud mirum, inquam, ab iis, pari hallucinatione, *culmē* & *primas* Eccleſiæ univerſalis Chriſtianorum omnium, ſupra congregationes infidelium & à fœdere Dei extorrium, pro Eccleſiæ Romanæ ſupra alias omnes, hoc eſt ſupra Eccleſiam Catholicam ipſam, prærogativa ſumi. Et certè, quibus ſic eſt mentis acies, vel potiùs vertigo, ut tam latè diſtantia quaſi rem unam eandémque intueantur, etiam ex una aliqua plures ſibi videri perſuaſum habere poterunt, geminúmque ſolem & duplices ſe oſtendere Thebas.

Aug. ad Optat. Ep. 157. Porrò quod ex lenticula montem efficere nituntur, ſive quod ex *iniunctâ à Zozimo Eccleſiaſtica neceſſitate*, imperium abſolutum Romani Pontificis in omnes Epiſcopos eliciunt, dilutum nimis eſt & ſponte diffluit. Pelagius, in Palæſtina, ad communionem, ut orthodoxus, poſt Africanorum ab Innocentio etiam cõfirmatam condemnationem, admiſſus fuerat; unde Eccleſiis ingens periculum imminebat. Significavit verò id Africanis Zozimus Innocentii ſucceſſor, ut in tanta neceſſitate, Concilio convocato, quid faciendum eſſet maturè deliberarent, proſpicerentque

ne

ne quid detrimenti Eccleſiæ contingeret. Quia igitur res ipſa urgebat, etiam inde Epiſcopis Africæ, ex cura paſtorali, ſimul conveniendi injuncta eſt neceſſitas. Ideò ſcripſit Auguſtinus: *Cæſaream nos iniuncta à venerabili Papa Zozimo Apoſtolicæ ſedis Epiſcopo, Eccleſiaſtica neceſſitas traxerat.* Sic & ipſe alibi: *Ordinandi Epiſcopi neceſſitas nos inde rapiebat.* Ita neceſſitas ipſa Eccleſiaſtica à Zozimo ſignificata trahebat eos, non ejus imperium ullum. Nam ex actûs Zozimi conſequentia neceſſitatem Epiſcopis adhæſiſſe Auguſtinus notat; Sed actum illum fuiſſe imperij, quia negamus, adverſariis *iniuncta eſt* probandi neceſſitas. *Iuſsionis verbum*, aiebat Gregorius Papa, *ab auditu meo removete; quia ſcio quis ſum, qui eſtis. Loco enim mihi fratres eſtis, moribus patres. Non ergo iuſsi, ſed quæ utilia viſa ſunt* INDICARE CVRAVI. Sic Zozimus. *Greg. Ep. ex Regiſtr. lib 7. ind. 1. Ep. 30.*

Certè Auguſtino & collegis, ſummâ & plenâ poteſtate in orbis univerſi Eccleſias potitum Romanum Epiſcopum, nunquam in mentem venit. Et id quidem non levibus conjecturis vel verborum aucupiis, (quod ex arena funiculos nectentes adverſarii faciunt,) ſed Conciliorum canonibus, certiſque & manifeſtis eorundem Patrum deciſionibus, demonſtraturi ſumus.

Concilii Milevitani, cui interfuit Auguſtinus, hic eſt canon: *Placuit, ut Presbyteri, Diaconi, vel cæteri inferiores Clerici, in cauſis quas habuerint, ſi de iudiciis ſuorum Epiſcoporum conqueſti fuerint, vicini Epiſcopi eos audiant, & inter eos quicquid eſt finiant, adhibiti ab eis ex conſenſu Epiſcoporum ſuorum,* *Conc. Milev. canon. 22.*

Digitized by Google

Quod ſi & ab eis provocandum putaverint, non provocent niſi ad Africana Concilia, vel ad Primates provinciarum ſuarum. Ad tranſmarina autem qui putaverit appellandum à nullo intra Africam in communione ſuſcipiatur. Additur in Græcis exemplaribus: ὡς ϗ περὶ τῶν ἐπισκόπων πολλάκις ὥρισται, *ut & de Epiſcopis ſæpiùs definitum eſt.*

Concilium etiam Africanum cap. 105. ſic exponit Patrum Nicænorum conſtitutionem, quâ inferiores clerici & laici tantùm nominabantur, ut *multò magis de Epiſcopis obſervari voluerint*; quia decreta Nicæna *ſive inferioris gradûs clericos, ſive ipſos Epiſcopos, ſuis Metropolitanis apertiſſimè commiſerint.* Ita Africani, communi decreto, omnium cauſarum in provinciis ſuis ortarum cognitionē Romanæ Synodo ademerunt, eóque ſe iuriſdictioni Romani Epiſcopi ſubjectos negârunt. Quinetiam cùm eos à communione excluderent *qui ad tranſmarina Concilia appellandum putarent*, non tantùm in actu provocantes animadverterunt, ſed & ſecus quàm ipſis videretur ſentientibus communione ſuâ interdicebant, ipſumque Epiſcopum Romanum ejuſmodi appellationes excipientem, non obſcurè cenſuræ involutum perſtringebant. Siquidem ſic ordinem Eccleſiaſticum & cohærentem concordiam Epiſcoporum ſubverti illis videbatur.

Inde etiam contentio & lis magna orta eſt, poſtquàm Apiarius Presbyter, ab Urbico Siccæ Epiſcopo damnatus, Romam appellâſſet. Nam ccxiv. Epiſcopi in Concilio Carthaginēſi, quod *plenarium* vocavit Auguſtinus, congregati, ius ſuū integrum conſervaverunt; utcúmque Fauſtinus

Aug. Ep. 47.

Po-

Potentiæ Epiſcopus, Româ miſſus, ſuppoſititiis Nicænæ Synodi decretis, contenderet Præſuli Romano ius conceſſum, ut *de Epiſcopi à regionis ſuæ Epiſcopis abdicati cauſa* videret *an renovandum foret examen*; & *ſi ita cenſeret, ſcriberet ad finitimæ provinciæ Epiſcopos* qui *definirent, mitteretq;*, ſi vellet, *de latere ſuo Presbyterum*. Sic damnatorum in Africa cognitionẽ Romano Pontifici vendicabat Fauſtinus, non ex plenitudine poteſtatis tum ignotæ, ſed ex Synodi Nicænæ decretis. *Ep. Concil. Afric. ad Bonif Concil. tom. 1. p. 519.*

At Patres Africani, quia *Græca Nicænæ Synodi exemplaria conſulentes, non ſic ut Fauſtinus adduxerat inveniebant*, Romano exemplari minimè adhibẽtes fidem: ad Patriarchas Orientales, qui ad omnem ambiguitatem tollendam, ſuis ſigillis cõmunita acta Nicænæ Synodi communicarent, mittere decreverunt. Interim moritur Zozimus; huic ſuccedit Bonifacius, ut in munus universũ, ſic in hanc curam; quam tamẽ, præproperâ morte raptus, Cæleſtino relinquere coactus eſt. Africani verò, conſultis Oriente miſſis Nicænæ Synodi authenticis actis, tandem quod communi conſenſu ſuper hoc negotio decreverant, Cæleſtino literis ſignificârunt. *Impendiò deprecamur*, aiunt, *ut deinceps ad veſtras aures hinc venientes non facilè admittatis, nec à nobis excommunicatos in communionem ultrà velitis excipere. Quia hoc etiam Nicæno Concilio definitum eſſe facilè advertet venerabilitas tua. Nam etſi de inferioribus Clericis & Laicis videtur ibi præcaveri, quantò magis hoc de Epiſcopis voluit obſervari, ne in ſua provincia communione ſuſpenſi à tua ſanctitate vel feſtinatò, vel præproperè, vel indebitè videantur communioni reſtitui.* Monent item, *Presbyterorum* IMPRO- *Can. 101 ſub fin.* *Concil. to. 1. pag. 299. & 300.*

BA REFVGIA *repellat; quia nullâ Patrum definitione derogatum ſit Eccleſiæ Africanæ*, quod in genere, *decretis Nicænis ſive inferioris gradûs clerici ſive* IPSI EPISCOPI *Metropolitanis ſuis commiſſi ſunt, & quæcumque negotia in ſuis locis ubi orta ſunt finienda.* Addunt, Nec *unicuique provinciæ gratiam ſpiritûs ſancti defuturam, quâ æquitas à Chriſti ſacerdotibus & prudenter videatur & conſtantiſſimè teneatur:* Deinde, *Vnicuique conceſſum eſſe, ſi iudicio offenſus fuerit cognitorum ad Concilia ſuæ provinciæ, vel etiam univerſale provocare.*

Ad quempiam autem ſingularem, cujus, ex privilegio peculiari, judicium ſit infallibile & ſummum, provocandum eſſe, id verò ſibi minimè perſuadere potuerunt & perabſurdum eſſe docuerunt. *Niſi fortè quiſquam eſt*, inquiunt, *qui credat uni cuilibet poſſe Deum noſtrûm examinis inſpirare iuſtitiam, & innumerabilibus congregatis in unum ſacerdotibus denegare.* Digniſſima notatu eſt illa ratio, quâ eos qui cùm poſſent ad Concilia provinciæ ſuæ, vel ad univerſale, provocare, ad Romani Epiſcopi tribunal confugiebant, abſurdis urget. Inferunt enim ex ipſorum actu credere eos, non *uni alicui* ſed *cuilibet* Epiſcoporum (*noſtrûm*) poſſe Deum inſpirare juſtitiam, & Concilio denegare. Sic de Romano Epiſcopo ut de eius ordinis quolibet ſentientes, quod ab illis Romam provocantibus credebatur, de quolibet Epiſcopo creditum arguunt, & Concilio denegatum abſurdè cenſeri colligunt. Pontificii, fide planè repugnante, quod Conciliis denegatur Romano Epiſcopo conceſſum eſſe credunt; nec ideò tamen cuilibet Epiſcopo ſupra

pra Concilia concedi, quòd ille non ſit de quibuſlibet.

Ad legatos quod attinet, *Vt aliqui à tua ſanctitatis latere mittantur nullâ*, aiunt Africani, *invenimus Patrum Synodo conſtitutum. Quia illud quod quidem per Coepiſcopum noſtrum Fauſtinum, tanquam ex parte Nicæni Concilii exinde tranſmiſiſtis, in* CONCILIIS *VERIORIBVS à ſancto Cyrillo Coepiſcopo noſtro Alexandrinæ Eccleſiæ, & à venerabili Attico Conſtantinopolitano Antiſtite, ex authentico miſſis, tale non potuimus reperire*. Nullum igitur deſiderii & voluntatis Epiſcopi Romani, quocúmque modo exoticarum cauſarum cognitionem affectantis, habentes reſpectum, tantùm decreta producta, tanquam leges quibus ſtare, nec ultra quicquam concedere, certi eſſent diligenter conſideraverunt, & falſi convictos, aut certè falſos, Romanos cum repulſa remiſerunt.

Quis nunc de Auguſtini, & collegarum ejus, ſententia fidéque, in hac quæſtione, ambigat? Nam quęcumque adverſariis excipere viſum eſt, totius Epiſtolę comparatione, nullo alio adhibito diſcurſu diffluunt. Exempli gratiâ fingit Bellarminus, *Iure divino ad ſummum Pontificem appellari ſemper potuiſſe, tamen an expediret eâ poteſtate uti omnibus in locis, non ſine cauſa dubitatum fuiſſe*; Ea tantùm de cauſa Conciliorum acta conſulta. *Bell. de Pont. lib. 2. c. 25.* At cùm Patres Africani noluerint *credi* poſſe uni concedi quod conciliis denegaretur, de poteſtate & fide, non tantùm de eo quod expediret litem movent. Secundò, expendit idē quod illi Patres *impendiò* Cœleſtinū *deprecabantur ut deinceps ad ſuas aures Africâ venientes non facilius admitteret*. Et his, ait,

verbis, nec abſolutè recuſant legem illã de appellationibus, nec dicunt non poſſe ſi velit, appellantes admittere, ſed tãtùm obſecrant ut non facilè appellantibus aures præbeat. Primùm quod venientibus Africâ aures prębere idem eſſe ac appellantes admittere aſſumit, illi non concedimus. Nam quibus licebat ad Cõcilium univerſale provocare, potuit etiam Epiſcopus Romanus interim privatim quærẽtibus aures præbere, iiſque aliqua in parte auxiliari, quod ne faciliùs faciat impendiò deprecãtur Africani Patres. Deinde, Eſto ſanè; illis quidem verbis, initiò leni inſinuatione uſi, non dicant non poſſe ſi velit, nec abſolutè, recuſent legem. At ſequentibus planè definiunt appellantium improba eſſe refugia, & abſurdè eos credere docent. Quinetiã canone peculiari, putantibus trans mare appellãdum communione interdixerũt, penè iiſdẽ verbis quibus Conciliũ Milævitanum idẽ ſanxerat.

Conc. Afric. can. 105.

Itaque Patres illi ἀποτομῶς adverſùs Romani Epiſcopi ſtudium definiverunt, & in ſibi ſubditos authoritate ſuâ cum rigore uſi ſunt. Patriarcham verò Occidentalem honorificè tractandum ſibi duxerunt, nec ex imperio agendum in eum qui ipſis ſubditus non eſſet & cujus communionem magni facerẽt. Ideò duris rebus verba admiſcuerunt mollia, ne fortè pax quam conſervatã volebant rumperetur. Verùm Bonifacius II. ſcripſit *Aurelium & collegas eius,* (in queis Auguſtinus) *inſtigante Diabolo, adverſus prædeceſſores ſuos ſuperbire cœpiſſe.* Et Epiſtolam hæc continentem citant probantque Pontificii multi, Pighius, Lindanus, Sanderus & Stapletonus. Bellarminus *nihil affirmare* auſus eſt. Baronius verò cùm incidiſſet in Epiſtolã Con-

Bonif. II. Ep ad Eulabiũ. Pigh. lib 6. cap. 7. fol. 228. Lind. pan. lib. 4. cap. 89. Sander. de viſ. mon pag. 336. Stap. prin. doctr. lib. 3. q. 7. Bell. contr. 3. lib. 2. cap. 15. Baron. tom. 3. ann. 341. num. 9.

Concilii ad Cœleſtinum, obſtupuit; nec diſſimulare potuit. *Hîc, inquit, oratio mea admirabunda recurrit, hæret in ſalebris, & quò tandem evadat ignoro.* De Epiſtola autem Bonifacii ſic ſtatuit: Si *ſubſiſtat, univerſam Dei ſtructuram, quæ ſanctorum martyrum & Confeſſorum tot vivis lapidibus crevit, hac in parte ruituram.* Imò verò ſtructura duntaxat humana Babelis, confuſâ ædificantium ſuorum linguâ deſtructa ruit. At fundamētum Dei firmum manet, habens ſignaculum hoc: Novit Dominus qui ſunt ſui; ii nempe qui genua non flexerunt *τῇ Βάαλ*: & in his fuerunt Auguſtinus & collegæ, quidquid contra ſentiant Bonifacii.

CAP. VIII.

Progreſſus perquiſitionis ſententiæ Patrum ejuſdem quinti ſeculi, in Cyrillo Alexandrino & Epheſino Concilio primo, generali autem tertio.

VENERABILI illi Attico, qui germana Concilii Nicæni acta in Africam tranſmiſerat, Sylinius ſubrogatus per annum integrum aliquot diebus adjectis, præſedit. In hujus verò locum ſuffectus eſt NESTORIUS, vir diſertus, qui perverſi dogmatis, adversùs duarū in Chriſto naturarum in unitate perſonæ unionem, author extitit. *Quæ verò ille dicebat non ægrè ferebant Orientis & Macedoniæ Epiſcopi.* Et quoniam hoc intelligebat, arbitrabatur *ſe omnibus eſſe ſapiētiorem, qui ſolus divinæ ſcripturæ ſcopum & Chriſti* *Cyrill. Ep. 18. ad Cœleſt.*

Ee

myſterium cognoſceret. Quinetiam eò inſolentiæ provectus eſt poſteà, ut Dorotheum quendam ſubornaret, qui ſanctam virginem Deiparam eſſe dicentes anathemate perculeret: & quum eum ipſe ſedens audiviſſet, confeſtim etiam throno deſcendens, in divinorum myſteriorum celebratione cum illo communicaverat.

Tum CYRILLI ALEXANDRINI, alterius Epiſcopi à quo etiam Acta Concilii Nicæni veriora acceperant Africani, zelus meritò cõmotus eſt, ut tanto malo, ne confirmatum latiùs diffunderetur, obviam iret. Et primùm quidem ad Neſtorium literas dedit, quibus lenitate gravitatem temperans, hominem argumentorum vî erroris convictum, ad reſipiſcentiam & perverſorum dogmatum recantationem hortabatur. Interim utriuſque communis, ſaltem ex parte Cyrilli ſarta manebat; unde Neſtorium titulis honorificis, ut tantæ ſedis Epiſcopo fieri ſolebat, compellabat Alexandrinus.

Verùm Neſtorius in errore obfirmatus, piis Cyrilli monitis parêre in animũ inducere nõ potuit; ſed Epiſcoporum Orientalium & Macedonum conſenſu fretus, etiam Cæleſtinum Romanum prævenire, & literis datis in partes ſuas trahere tentavit; atque à laudato more, ex quo Epiſcopis de majoris momenti negotiis occurrentibus per literas ſimul conferre conſuetum erat, duxit argumentum. *Nobis*, ait, *fraternas communicationes mutuò debemus.* Sicque quando etiam apud Epiſcopum Romanum ſe inſinuare vellet, non inferioris ad ſupremum honorem defert, ſed mutuò debitam dũtaxat communicationẽ cõmemorat.

Ep. Neſt. ad Celeſt. ap. Bar tom. 5. an. 430. art. 3.

Ab

Ab altera parte, Cyrillus, qui *præterito tempore ſiluerat*, & , ut ipſe ait, *nihil omnino nec ad Caleſtinum, nec ad alium quempiam ex Comminiſtris, de eo qui tum Conſtantinopoli erat, & Eccleſiam illam gubernabat, ſcripſiſſet, reprehenſioni obnoxium futurum ratus, ſi quid in his rebus temerè præcipitaret*; neceſſarium tum duxit, *ſolutâ lingua omnia quæ erant agitata edicere*. Scripſit itaque ad Cæleſtinum; quia τὰ μακρὰ τῶν ἐκκλησιῶν ἔθη πείθει ἀνακοινοῦσθαι, hoc eſt, *Eccleſiarum longo uſu firmata conſuetudo perſuadebat* præſertim *in rebus ita neceſſariis communicare*; ut etiam fraternam, duntaxat, ex parte Cyrilli agnoſcas communicationem. Cyrill Ep. 18. ad Caleſt.

Porrò ejus cum Cæleſtino communicationis concluſio ſic habet: *Quapropter quid videatur exprimere dignare, an aliquando debeamus illi communicare, aut in poſterum confidenter edicere quod talia & ſentienti & docenti nemo noſtrûm communicet.* Cæleſtini verò ſententiam expetivit Cyrillus antequàm ſeveriùs in Neſtorium animadverteret, non quòd talia docentem à ſua communione à ſe amputari non potuiſſe exiſtimaret; ſed ex manſuetudine & lenitate expectandam putavit Neſtorii reſipiſcentiam. Ex prudentia etiam conſultiſſimum judicavit ſi Romanus Epiſcopus longè remotus primus pronuntiaret; ut Orientis & Macedoniæ Epiſcopi Neſtorio conſentiẽtes à propoſito dimoverentur, eademque operâ iis os occluderetur qui dicebant, Cyrillum *non quæ eſſent Ieſu Chriſti, ſed propria quærere & vindictam*, quos nimiùm quàm multos fuiſſe, illi ab Iſidoro Peluſiota ſignificatum fuit. Nam & ſedes Conſtãtinopolitana, quę ſub Imperii umbra Pa- Iſid. lib. 1. Ep. 310. & 370.

triarchatûs privilegia obtinuerat, etiam Alexandrinam anteibat, quo facto æmulationẽ ejus in ſe moverat. Et Theophili in Ioannem Chryſoſtomum iniquæ violentiæ memoria tum recens fuit. Cyrillus etiam Theophili prædeceſſoris ex ſorore Nepos erat. Ideò cùm his conſiderationibus remoratus Cyrillus, diſpenſationem tamen ſibi concreditam videret, nec poſſe ſe iudicio Dei reſpondere, ſi Eccleſiæ & veritati deeſſet: ab alio Patriarcha non ita ſuſpecto pronuntiari primùm optavit quod cùm ipſe iuſtum eſſe videret, non æquè ædificationi futurum ſciebat, ſi iudicio ſuo alios præveniret.

Ad rem ipſam & iudicium ipſum quod attinet, ſe neque ambigere, neque hæſitare docet ipſe. *Ego*, inquit, *id affirmo. paratus etiam Synodicis id literis manifeſtum reddere, quod talia dicenti ac ſentienti communicare non poterimus.* Cur igitur non ſtatim à communione ſua removit? an quòd inconſulto Cæleſtino non poſſet? Audiatur ſanè ipſe Cæleſtino cunctationis ſuæ cauſam aperiens. *Hoc quidem nondum feci* inquit, *verùm arbitratus manum eſſe labentibus porrigendam, & cadentes tanquam fratres erigendos, hortatus ſum eum literis.* Si defectu autoritatis non potuit, cur ſe ratione lenitatis non feciſſe dicit?

Alteram verò quam expoſuimus prudentię rationẽ, ex qua ſibi in hoc negotio lentè procedendum duxit, etiam ipſe alibi expreſſè notat. Cùm enim Dorothei anathemate, à Neſtorio approbato, *latam* dixiſſet *ſententiã cùm in totius orbis Epiſcopos ſuperſtites, tum in Patres qui hinc ad Deum migraverant*, ſubjungit: *Quid igitur prohibebat ne & nos vocibus illius contraria ſcriberemus, anathema*

Cyrill. Ep. 5.

dicentes ſiquis Mariam dicat non eſſe Deiparam? Verùm id hactenus illius gratiâ non feci, ne ſint qui dicant Percuſſit illum anathemate Epiſcopus Alexandrinus, Synodus videlicet Ægyptiaca; hoc eſt ſedis Conſtantinopolitanæ æmuli eum damnaverunt.

Quamobrem perperam & adversùs manifeſtã veritatẽ, Pontificii colligunt Cyrillũ priusquàm Epiſcopi Romani, ut ſummi judicis, ſententiam & decretum accepiſſet, non potuiſſe definire & judicium ferre; quando ipſe alterius rei *gratiâ id* ſe *non feciſſe* profeſſus eſt; atque etiam, citra rationem lenitatis fraternæ, & prudentiæ quâ ſuſpicionibus odii obviam eundum duxit, *nihil* prohibuiſſe quin faceret clarè teſtatus eſt.

Ad Cœleſtinum quod attinet, is & *Synodus Romana*, cujus meminit Cyrillus ep. XIII. perlectis Neſtorii ſcriptis propria manu ſubſignatis, tum etiam Cyrilli contrariis quorum copiam fecit Poſidonius Diaconus, de re ipſa tractare haud aggreſſi, iis quæ ſcripſerat Cyrillus ſubſcribere ſatis habuerunt. *Eramus autem & nos, dilecte frater,* (Cyrillo ſic reſcribunt) *adjecturi quædam niſi omnia ea te ſentire videremus quæ nos ſentimus, & in confirmanda fide fortiſſimum eſſe vindicem probaremus. Sunt enim omnia nobis ex ordine à filio noſtro Poſidonio Diacono tradita quæ ſanctitas tua hac de cauſa ſcripſit Fidem ita corroboraſti, ut nequeant corda Chriſto ac Deo noſtro credentium, in alteram pertrahi partem. MAGNVS eſt hic fidei noſtræ TRIVMPHVS, quod noſtra tam potenter adverſarios PER DIVINARVM SCRIPTVRARVM TESTIMONIVM viciſſe demonſtratur.* *Ep. Celeſt. ad Cyrill. apud Cyrill. Ep. 12.*

Concluſio verò Cæleſtini & Synodi Roma-

næ hæc eſt: *Sciant univerſi, in noſtra ſe communione permanere quos ipſe tanquam ſibi contradicentes, ut putavit, à communione rejecit. Et hoc cognoſcant quoque non poſſe illum noſtram habere communionem, ſi in iſta perverſitatis via Apoſtolicæ conſtitutioni contrarius permanſerit. Itaque adiunctâ tibi ſedis noſtræ authoritate & vicis noſtra ſucceſſione & poteſtate uſus, iſtam exactâ cum ſeveritate exequêris ſententiam, ut niſi intra decem dies, ab huius admonitionis die numeratos, pravas ſuas prædicationes ſcripta confeſſione anathematizaverit, & hanc ſe de Chriſti ac Dei noſtri generatione fidem retinere affirmaverit, quam & Romana & tuæ ſanctitatis & univerſalis religio prædicat, confeſtim ſanctitas tua Eccleſiæ illius provideat*

Nempe de ſententia Cyrilli certus erat Cæleſtinus, videbatque eum, qui ex prudentiæ conſilio autoritate ſuâ uti hactenus noluerat, ſedis Romanæ præeuntem habere voluiſſe authoritatem. Hinc vicis ſuæ ſucceſſionem & poteſtatem illi concedens Cæleſtinus, authoritatem ſedis ſuæ Alexandrinæ adiungit, & exequendi judicii ordinem cupienti præſcribit.

Quod igitur adverſarii, ut delegatũ tantùm, & alienâ poteſtate uſum, Neſtorio anathema dixiſſe Cyrillum & Romanam fidem ex neceſſitate ei imperâſſe, dicũt, in eo Cæleſtini Epiſtolæ repugnãt. Nam primò authoritatem ſuam adjungens, Cyrilli propriam conjungendam unà præſupponit. Deinde eodem ordine fidem Cyrilli, ſive Eccleſia Alexandrinæ cum Romana habet; & ex univerſali maximè Neſtorio præſcribi vult.

Atque etiam, utcumque Cyrillus authoritatem ſuam Cæleſtini poteſtate adjunctâ, in tanti

momenti negotio corroboratam videret, aliorũ tamen Patriarcharum autoritatem etiam adjunctam vehementer optavit. Siquidem poſt acceptas Cæleſtini literas, antequàm ſententiam exequeretur, eorum ſuffragia ſedulò petiit. Id ex Epiſtolis ad *Ioannem Antiochenum* & *Iuvenalem Hieroſolymitanum*, patet, quibus hortatur ut *uno animo & irremiſſo propoſito, dilectionem in Chriſto vividam reddant, & populum periclitantem unà conſervent, Eccleſiámq; adeò illuſtrem firment, utpote ſi CONCORDES VNIVERSI INTER SE FACTI, juxta determinatam formam & illi* (Neſtorio) *& populo* (Conſtantinopolitano) *ſcripſerint*. Ep.13. & 16.

Sed cùm id ab iis impetrare non potuerit Cyrillus, de Synodi Ægypti Alexandrinæ ea de cauſa coactæ ſententia, & Romanæ Synodi decreto, ad Neſtorium literas direxit, quibus ni poſt decẽ dies reſipiſcat & *errores ſuos anathematizet, ſenſurus & docturus eadem quæ QVI IN ORIENTE SVNT ET OCCIDENTE EPISCOPI & doctores & populorum præſides*, communione ipſorum interdicitur. Itaque utut Synodi Romanæ adjunctam haberet authoritatem Cyrillus, eáque iudicium ſuum corroboraverit, tamen ut in proprio tribunali ſedens, ſuo & Ægypti Synodi, in qua præſidebat, nomine ſententiam dixit, & anathematiſmos duodecim ibidem compoſitos Neſtorio comprobandos miſit.

Verùm, quia aliis, ut diximus, Patriarchis, multíſque Epiſcopis hæc non placebant: neque etiam Romanę ſedis authoritas Alexandrinę adjuncta, rem confectam reddere potuit. Nec duarum Synodorum conjunctis decretis, Neſtorius

Eccleſiâ & ſede depulſus eſt actu, neque ab aliis iure abdicatus habitus eſt. Ideò Theodoſius & Valentinianus tertium Concilium univerſale Epheſi aſſignatum convenire iuſſerunt, ut *perturbatio quæ ex controverſiis iſtis acciderat, ſecundùm Eccleſiaſticos canones diſſolveretur, & quæ indecenter committebantur corrigerentur*, NEC *ALIQVID* QVAECVMQVE IN RE *ANTE ſanctiſſimam Synodum & futuram illius* COMMVNEM *ſententiam, à* QVOQVAM *ſeparatim innovaretur*. Hæc ex ipſis Imperatorum ad Cyrillum literis tranſcripſimus.

Vid. Sacra Regia ad Cyrill. Ep. 17.

Sic authoritati ſeparatæ vinctæ manus in hoc negotio fuêre; & non obſtante Cæleſtini iudicio, Neſtorius in Eccleſia & ſede ſua remanſit. Quinetiam, quod maximè notandum eſt, in Actis Synodi, antequàm COMMVNI ſententiâ condemnatus eſſet, ἀκαθαίρετος ἐπίσκοπος appellatur. Ita quæ præceſſerunt judicia provincialium Synodorum, tantùm fuerunt præjudicia, & veluti ſententiæ iudicum à quibus, ſic ſeparatis, Neſtorius, univerſali Synodo ſe ſiſtere paratum dicens, vel declinare vel provocare, rebus in integro interim remanentibus, potuerit.

Concilii ab Imperatoribus convocati præſides fuerunt Cyrillus Alexandrinus & Memnon Epheſinus qui in Actis ἔξαρχοι τῆς ἁγίας συνόδου, & πρόεδροι, vocantur. Et Memnoni quidem non ex cujuſquam legatione, neque ex ſedis ſuæ prærogativa, ſed ejus virtutis duntaxat nomine, is locus datus eſt. Quod ut adverſarii non negant, eo magis in Cyrillum Patriarchalis ſedis, quæ omnem honoris prærogativam habuit, Epiſco-

pum,

pum, cui ob inſignem virtutem & doctrinam *novo Paulo* in Synodo acclamatum eſt, injurii ſunt; quia quem honorem non ab aliena perſona ſortitus eſt Memnon, Cyrillum ut Cæleſtini delegatum obtinuiſſe volunt. Certè purè & ſimpliciter ut Alexandriæ Epiſcopus ſubſcripſit: legati verò Epiſcopi Romani Cæleſtini, à quo miſſi erant, nomine ſubſcripſerunt.

Evagrius quidem *executum etiam fuiſſe Cyrillum Cæleſtini locum* dicit; Acta item Concilii, pariter. Sed quem locum, niſi quem Epiſtola anteà commemorata commiſerat? Nempe ad pronuntiandam & exequendam contra Neſtorium ſententiam; non autem ut in Synodo, cujus nullam Cæleſtinus quum ſcriberet notionem habebat, præſentiam ejus exhiberet. Siquidem Imperatores executionem iudicii amborum ſiſtentes, præter ſpem Cæleſtini, atque adeò Cyrilli, in Concilio œcumenico cauſam iudicandam conſtituerunt. Nec ab eo tempore vllam potuit Cyrillus à Cæleſtino ſpecialem Concilii reſpectu accipere commiſſionem. Cùm enim Orientalibus vix breve ſpatium temporis præſcripti ſuffecerit ut ſe Epheſum dictâ die conferrent, quî potuit poſt diem ſignificatam, & ſacra Regia accepta, Cœleſtinus ad Cyrillum direxiſſe literas, quæ ante diem dictam & Concilii initium in manus ejus pervenerint?

Evag lib. 1. c. 4. Act. Syn. Eph. pag. 197.

Verùm, quia Patriarcharum omnium ſententias poſci, in Conſtantinopolitani ejuſdem ordinis præpoſiti, multùm intererat, ut conſenſu omnium ratum iudicium, firmum maneret, ideóque Patres per quindecim dies integros, Ioan-

nem Antiochenum expectantes, quaſi feriati remanſerant: Cyrillus qui ſententiam & iudicium Cæleſtini penès ſe haberet, nomine ejus ſententiam dicturum ſe profiteri potuit, & ex prædictis literis id ſibi iuris in ea cauſa datum probare; ne, poſt talem ſponſionem, ab Occidente legatos diutiùs opperientes, magno Eccleſiarum damno inutiliter tempus tererent.

Sic conſedêre Patres & ſeriò operi incubuerunt. Cæleſtinus autem, ut mandato Imperatorum parêret, Archadium & Projectum Epiſcopos, cum Philippico Presbytero, qui in Actis λεγάτοι dicuntur, miſit. Illis autem cùm longum iter conficiendum eſſet, quartâ tantùm ſeſſione in Synodo comparuerunt; & literis Cæleſtini prolatis, eas in acta referri poſtulârunt, addideruntq; eum *iamdudum in literis ad Cyrillum directis definiviſſe*. Ipſe verò in Epiſtola quam per eos ad Theodoſium ſcripſit, ſic loquitur: *Huic Synodo quam eſſe iuſſiſtis, noſtram præſentiam in his quos miſimus exhibemus*. Inde clarum eſt duplici modo locum ejus exerceri potuiſſe; vel productione ſententiæ & definitionis, quod fecit Cyrillus ex literis ad ſe directis: vel exhibitione præſentiæ, quod per legatos, ipſo teſte Cæleſtino, factum eſt. Deinde negamus tum temporis Epiſcopis cujuſvis abſentis, vel Romani etiam, locum in Concilio œcumenico exercere præſidere & actionem dirigere ſignificâſſe. Nec poſſunt adverſarii eorum ſeculorum exemplis probare. Quinimò ex iis quæ à nobis deducta ſunt, clarum eſt in generalibus Synodis præſidentiam non fuiſſe loci, ut ita dicam, naturalis, ſed electione, virtuti & autho-

Digitized by Google

thoritati acquiſitæ maximè conceſſam. Ideo & Cyrillus qui propriæ virtutis & dignitatis ratione præſidebat, poſt Romani Epiſcopi delegatorum adventum, non faſces demiſit, ſed coram ipſis hunc ſibi datum locum retinuit, & *congregatorum Epiſcoporum caput* in actis indigitatur; Quod de Pontifice Romano dictum, valdè velint & magni mercentur adverſarii.

Prudens ſanè lector ex hujus tanti negotii univerſa adminiſtratione, & variis periodis, Imperatorúmque mandatis & Synodi actis, vanam & inanem eſſe Pontificiorum iactantiam facilè animadverſurus eſt. Nam cùm ſententiis quibuſdam ſeparatis & detortis tantùm, nitantur, rerum & actionum ſerie perſpectâ, apud æquos iudices causâ cadunt.

CAP. IX.

Ejuſdem ſeculi ſexti ſententiæ indagatio, ex Eutychianorum, in Conciliis Epheſino ſecundo, & Chalcedonenſi œcumenico quarto, negotio agitato; ubi etiam de Leone Romano & Theodoreto Cyræ Palæſtinæ Epiſcopo.

NESTORIANÆ hæreſeôs ulcere utcumq; ſanato, aliud continuò peccantium humorum copiâ ebulliente, intumuit Eutychetis, qui duas in Chriſto naturas in unam confuſas voluit. Eum Flavianus Conſtantinopolitanus, in ſuæ diœceſeos Concilio, primus damnavit; & ad Leonem Epiſcopum Roma-

Flavianus ad Leon in Leon. Epiſt. ep.4.

num *literas miſit. quibus illum & Presbyterio nudatum, & cum Monaſteriis* (anteà Archimandrita erat) *nullam habere rationem* iuſſum, *& à communione excluſum doceret, ut ſanctitas veſtra*, inquit, *hoc cognoſcens quod circa eum actum eſt, omnibus Epiſcopis ſub beatitudine veſtra degentibus manifeſtare dignetur eius impietatem, ne neſcientes aliqui quid ille ſenſerit, quaſi ad orthodoxum vel per literas vel per aliquam coniunctionem loquantur.*

Sic peremptorium fuit iudicium, cujus Leonem, executionis tantùm gratiâ, monitum fecit Flavianus, idque adeò verbis iuriſdictionem Leonis non univerſalem præſupponentibus. Nam cum ſub eo degentibus Epiſcopis id ab ipſo manifeſtari petit, clarum eſt de totius orbis omnibus, quoſdam harum partium tantùm intelligi; non eos qui Flaviano proximi eſſent aut ultra habitarent, qui vel ipſi iudicârant, vel à Flaviano moniti fuerant. Sic ad diœceſim ab aliis omnibus diverſam in qua quidam degerent, alii non, Leonis ditio redigitur. Nec ille ægrè tulit, qui literas Flaviani ſuis adjunctas voluit.

Eutyches tamen de iudicio poſteà queſtus, ſe appellâſſe profeſſus eſt. Quinetiam in Concilio Chalcedonenſi, Conſtantinus Diaconus ſic pro eo teſtatus eſt: *Eutyches quum damnatio eius legeretur, ad ſanctum Concilium Epiſcopi Romani, & Alexandria, & Hieroſolymæ & Theſſalonicæ provocavit, quod in acta relatum non eſt.* Id verò ad generale Concilium, vel plurium ſeparatarum provinciarum æquipollens, provocare erat.

Conc. Chalced. Act.1.

Atque etiam Epheſi Concilium generale legitimè convocatum & congregatum fuit, vbi

præ-

præſentibus Romani Epiſcopi legatis, præſedit Dioſcorus Alexandrinus. Verùm de cætero, adeò iniquè, & contra legitimorum iudiciorum formam, cum violentia geſta fuêre omnia, ut piis & fidelibus Epiſcopis oppreſſis, Flavianus damnatus & munere abdicatus ſit. Unde, ex eventu & iniqua Dioſcori ſuorúmque agendi ratione, λῃςρικὴ σύνοδος dicta eſt illa Epheſina ſecunda. Verumtamen initio quidem, legitima erat Synodus, & προεδρείας prærogativa Alexandrino Patriarchæ, nullâ Romani Epiſcopi injuriâ, nec ullo Synodi errore ex quo, tanquam nullitate contractâ, quæ rectè & legitimè poſteà ſanciviſſent, authoritate deſtituerentur. Nam nec legati Romani reclamaverunt, nec Leo conqueſtus eſt poſteà. Quinimò ipſe ad Theodoſium ſcribens, fatetur *conveniſſe plurimos ſacerdotes quorum utique frequentia collationi & iudicio profuiſſet, SI IS QVI SIBI LOCVM PRINCIPALEM VENDICABAT, ſacerdotalem moderationem cuſtodire voluiſſet.* (Non dicit ſi locum illum ſibi non vendicâſſet, vel meis legatis ceſſiſſet) ut, *ſicut moris eſt, omnium ſententiis ex libertate prolatis, id tranquillo & æquo conſtitueretur examine quod & fidei congrueret & errantibus ſubveniret.* Agnoſcit igitur etiam præſidente Dioſcoro, ſi quidem & cum moderatione ſacerdotali cuncta adminiſtrâſſet, Concilium legitimum & Eccleſiæ utile futurum fuiſſe. Et notatu digna eſt illa Leonis, adversùs neceſſitatem præſidentiæ ſive ſupremiatum ſuæ ſedis, genuina confeſſio.

Leo ad Theodoſ. Ep.15.

Verùm rebus ad hunc modum Epheſi, Dio-

ſcori & ſuorum tanquam latronum violentiâ & iniquitate geſtis, mirè perturbatas eſſe Orientis Eccleſias conſequens fuit. Aut enim ſuis fidelibus Paſtoribus deſtituebantur; aut aliis vim inferentes lupos, pro paſtoribus habebant.

Theodoretus, Cyri vel Cyrenæ Palæſtinæ Epiſcopus, Neſtorio olim conjunctiſſimus adhæſerat, & contra Cyrilli anathematiſmos antitheſes ſcripſerat. Poſteà verò in melius mutatus, ex orthodoxis etiam, de vetere odio non facilè remittentibus, non paucos habuit adverſarios. Eutychianos verò, quorum Neſtorianiſmo contrarium errorem ſtrenuè oppugnavit expugnavitque, infeſiſſimos ſibi reddidit. Nec illi occaſioni per eam tempeſtatem ſibi oblatæ defuerunt; Nec Dioſcorus quietum in Eccleſia ſua Theodoretum, poſt Epheſinam Synodum, manere permiſit. *Nam Alexandrinorum præſuli*, ait ipſe, *non ſuffecit iniqua atque adeò iniuſtiſsima depoſitio ſanctiſsimi & religioſiſsimi Conſtantinopolitani Epiſcopi Domini Flaviani, nec eius explevit animum ſimilis cædes aliorum Epiſcoporum: Quinetiam me quoque*, inquit, *abſentem calamo ſimiliter iugulavit, cum nec in ius vocaſſet, nec præſentē iudicâſſet, nec quid de ſuſcepta à Deo & Servatore noſtro humanitate ſentirē interrogâſſet. Sic nos triginta quinque dierum ſpatio remotos condemnavit ut voluit, & in Eccleſia anathemate notavit. Ego autem Eccleſiæ defleo tempeſtatem, quietem amplector.*

Theodor. in Epiſt. ad Leonem.

Quid faceret laboribus, tædio, moleſtiis & ſenio confectus miſer, quietem tantopere expetens? Quod illi in Oriente remedium? Conſtantinopolitanus eadem patiebatur; Alexandrinus mala inferebat; alii omnes vel conſentiebant, vel ſedi-

ſedibus dejiciebantur. Et Synodi œcumenicæ nulla ſpes erat,& recens peſſimè ceſſerat. Nempe,igitur,ad Romanum Epiſcopum orās & ſupplicans,atque opem & auxilium expetens, confugit. Ego,inquit, *Apoſtolicæ veſtræ ſedis expecto ſententiam,& ſupplico & obſecro veſtram ſanctitatē ut mihi opem ferat iuſtum veſtrum & rectum appellandi iudicium,& iubeat ad vos accurrere,& oſtendere meam doctrinam veſtigia Apoſtolica ſequentem.* Item, *Supplicationem meam quæſo ne reſpuatis, nec MISERAM MEAM CANITIEM deſpiciatis, quæ poſt tot labores affecta eſt contumeliis. Sciam an in iniuſta hac depoſitione oporteat acquieſcere, an non.*

Adverſarii,non obſervato Orientalium Eccleſiarum ſtatu,tantùm notant Theodoretum *Aſiaticum Epiſcopum*,qui multis Eccleſiis præerat,Romani Epiſcopi iudicium appellâſſe; &, perinde ac ſi rebus optimè in Oriente conſtitutis, ordinariam rationem inivisſet,argumétantur. Deinde hominis ſupplicis, dejecto animo miſeram ſuam canitiem dicentis,& præpropere quid ſperare debeat ſcire cupientis dicta,quibus eum apud quem ſupplex erat laudat & extollit,pro legibus Eccleſiæ & divinis oraculis obtrudunt. Quis verò neſciat,ut nec hoſtium,ſic neque ſupplicum teſtimonia firma eſſe? Bell.de Pont. lib.2.c.15.

Certè Theodoretum ita affectum fuiſſe conſtat,ut eum à quo opem & auxilium ſperabat,authoritate & poteſtate maximâ,ex qua ſtatim actu reſtitueretur, communitum voluerit; qui ſupra quàm poſſet ab eodem expetivit. Atque etiam ut Romanā ſedem ſibi propitiam redderet,eædem evehendæ undique argumēta conquiſivit,& vel

Digitized by Google

levicula quæque collegit. *Vobis*, inquit, *per omnia primos eſſe convenit. Multis enim quibus ſuperiores eſtis ornatur veſtra ſedes.* Quibus verò? *Veſtra vrbs omnium maxima & præclariſſima eſt, quæ præeſt orbi terrarum, & eorum qui inhabitant abundat multitudine.* En unde ducit exordium. *Accedit his quod hoc quoque quod rerum potitur* PEPERIT IMPERIVM, *& propriâ ſui appellatione eos quibus imperat impertiit.* Addit & *præcipuè exornantem, Apoſtolo teſte, fidem*, & *ſepulchra Apoſtolorum*, & Leonis virtutem eruditionémque. At de Epiſcopatûs univerſalis à Chriſto inſtituti prærogativa, déque ſumma & abſoluta in omnes poteſtate, judiciíque infallibilitate, nunquam cogitaverat. Nec enim quæ tanti momenti eſſent omiſiſſet, qui minutias illas ſtudiosè coacervavit.

In ead. Ep. ad Leon.

Idem etiam ad Renatum Presbyterum, quem apud Epiſcopum Romanum interceſſorem ſibi conciliare ſtudebat, ſcripſit, ſi tamen hanc Epiſtolam ſcripſit quam in ejus operibus non reperi, *tenere illam ſedem gubernacula regendarum cuncti orbis Eccleſiarum*, quia nempe œcumenici Patriarchatûs honorem cum aliis obtinuerat, & tum ſola Patriarchalium rectè clavum tenebat, ut undique ab orthodoxis conſultaretur & communio ejus expeteretur. Nam ad acquiſitam authoritatem reſpectum habuiſſe Theodoretum inde patet quòd cum ejus rationes aſſignaret, *præcipuè quòd incorrupta & integra permanſit* illi competere aſſerit. Sic præcipuum fundamentum in perſeverantiæ eventu collocans, firmamentum illud inſtitutionis divinæ ſe ignorare indicat. Itaque ex

ex Theodoreto etiam non contemnenda nobis teſtimonia ſuppetunt. Nam utcumque à ſupplicis dejecti nihil certi in attributione poteſtatis conſequatur, & ad legis normam eff:ctúiſque menſuram ſint ejus dicta corrigenda: tamen à diſertiſſimi & maximè diligentis laudatoris, & tantùm non adulatoris, omiſſione ejus rei quæ longè præcipua foret, valde firmum eſt argumentum ad ejus negationem.

Ad effectum autem Leonis, huic ſupplici opem, quantam poſſet ferentis, quod attinet, eum certè Romanæ ſedis authoritas ſola plenè reſtituere non potuit. Tantum hoc effecit Leonis conceſſa Theodoreto communio, ut quum in Concilio ſequente adverſarii ejus vociferati eſſent, *Foras expellite magiſtrum Neſtorij, Iudæum*, &c. excludere tamen non potuerint. Sicut neque Cæleſtini & Cyrilli judicium obſtitit quin Neſtorius, Antiocheni & Hieroſolymitani communione fretus, Concilii Epheſini initio, *religioſiſſimus Epiſcopus* cenſeretur & talis in actis recenſeretur. Sed quemadmodum ille quia ſic admiſſus, non ideò abſolutus erat, qui poſteà causâ cognitâ damnatus fuit: ſic nec Theodoretus quia excludi non potuit, eo ipſo omnino purgatus extitit. Ille enim clarè *Neſtorio anathema* in Concilio dicendum fuit. Sic Leonis quidem operâ in Concilio Chalcedonenſi Eccleſiæ reconciliatus & ſedi ſuæ reſtitutus fuit, & non ante tranſacta ſunt omnia.

Epheſini Concilii ſecundi malo, & inde conſequentibus Eccleſiarum perturbationibus, ex plenitudine poteſtatis Leonis, ad eorum tempo-

Digitized by Google

rum fidem pertinuiſſet, præſentiſſimum remedium adhiberi, & Dioſcorus in ordinem cogi, omnibúſque lex dari potuit. Verùm, utcumque Leo ſedis ſuæ evehendæ perquam avidus eſſet, nunquam poteſtatem ſuam tanto effectui parem agnovit; ſaltem nihil tale conatus eſt. Itaque orthodoxorum omnium, ipſiúſque Leonis, in altera Synodo generali refugiũ fuit. Nec eam ab Imperatore precibus & ſupplicationibus flagitare, donec impetrâſſent, deſtiterunt. *Omnes,* (ſcribebat ille Theodoſio) *partium noſtrarum Eccleſiæ, omnes manſuetudini veſtræ cum gemitibus & lachrymis ſupplicant ſacerdotes, ut quia & noſtri fideliter reclamârunt, & eiſdem libellum appellationis* Flavianus *Epiſcopus dedit, generalem Synodum iubeatis intra Italiam celebrari, quæ omnes offenſiones ita aut repellat aut mitiget, ne ultra aliquid ſit vel in fide dubium, vel in caritate diviſum.* Idem etiam, ad Clerum populúmque Conſtantinopolitanum: *Quoniam oportet vos poſt divinum auxilium, etiam Catholicorum principum gratiam promereri, humiliter ac ſapienter expoſcite, ut petitioni noſtræ quâ plenariam indici Synodum poſtulamus, clementiſſimus Imperator dignetur annuere.* Sic etiam apud pium Imperatorem interceſſoribus aliis utitur, ut id obtineat quod ejus nutu & mandato tantùm fieri debuiſſe adverſarii putãt. Quinetiam rationes ex reclamatione orthodoxorum & appellatione Flaviani adhibet, ex quibus præcedentis ſynodi nullitas, & judicii renovandi neceſſitas, pateret; at ex judicio ſuo & authoritate propria nihil infert.

Leo Ep. 24. ad Theodoſ.

Annuens autem ex parte Imperator, Chalcedone in Aſia, non in Italias ut cupiebat Leo, Concilium celebrari juſſit. Ibi, damnato Dio-

Digitized by Google

ſcoto, confirmata fuit etiam ſecundæ generalis Synodi conſtitutio, quâ *aqua* cum Romano *privilegia* Conſtantinopolitano Epiſcopo decreta fuerant. Et ejus decreti rationem ſic reddunt Synodi quartæ generalis illius Patres: *Sedi ſenioris Romæ, propter imperium civitatis illius, Patres* CONSEQVENTER *privilegia reddiderunt; & eadem intentione permoti centum quinquaginta duo Dei amantiſſimi Epiſcopi* AEQVA *ſanctiſſimæ ſedi novæ Romæ privilegia tribuerunt; rationabiliter iudicantes urbem Imperio & ſenatu ornatam, æquis ſenioris Romæ privilegiis frui, & in Eccleſiaſticis ſicut illa maieſtatem habere negotiis, & ſecundam poſt illam exiſtere*; ordine ſcilicet ſedendi, non poteſtatis gradu inferiore, cui privilegiorum æqualitas repugnat. Concil Chal. Act.16.

Laboret Leo quantum volet, ut privilegia ſua Petro accepta referenda demonſtret; reclament legati ejus; obſervent etiam Pontificii, Patres illos petiiſſe à Leone *ut decretis ſuis eorum honoraret iudicium*, quod abſentibus fieri ſolitum demonſtravimus. At certè, Pontificis Romani plenitudini poteſtatis quam ſibi quaſi jure divino competentem arrogat, vehementer adverſatur judicium quo 630. Epiſcopi, poſt alios 172. privilegia Romanæ ſedi, eò quod urbs dominaretur, conceſſa à Patribus fuiſſe declarantes, eadem ratione æqua Conſtantinopolitano concedenda decernunt. Ubi igitur jus divinum? Et quis porrò duo œcumenica priſcæ Eccleſiæ recepta Cōcilia, articulo fundamentali fidei, ſcilicet, contradixiſſe credat? Numnam Baronio hac etiam in parte ſtructuram Dei, tot ſanctorum Patrum eòque ſequutorum vivis lapidibus Baron. tom. 6 ann. 451. num. 149.

congeſtam, ruiſſe videatur? Cæterum legatorum oppoſitio, ejúſque reluctatio, Pontificum (quibus invitis Patriarchatûs honorem & gradum, eo ordine quo decretum erat, Conſtantinopolitanus obtinuit) impotentiæ argumentum eſt. Nam ne Epiſcopatus quidem ſine Romani Pontificis authoritate, ſi adverſariis credere velis, erigi poſſit; ipſius tamen ingratiis, Patriarchatus honorem ſedi Conſtantinopolitanæ tribuerunt Concilii Chalcedonenſis Patres, & æqualem illi ſocium adhibuêre. Non igitur eorum qui parem illi alium conſtituebant dominus erat; quandoquidem, ut vulgò dicitur, & dominum habet cui ſocius adjunctus eſt.

CAP. X.

Generalis hiſtoriæ ſequentium ſeculorum deductio; ſpecialiter de Ioannis Conſtantinopolitani conatu & Gregorij Romani oppoſitione: Item de Honorio à variis Conciliis anathemate percuſſo.

AD huncquem diximus modum, Romanæ ſedis privilegiis Imperii ſecularis dignitati adſcriptis, affixiſque: pari eadémque ratione, Epiſcopus Bizantinus, Metropolitani Heracleenſis anteà ſuffraganeus, Romano Epiſcopo poteſtate & jure æqualis factus, ſeſſionis & nominationis ordine ſecundus, Alexandriæ, Antiochiæ & Hieroſolymorum Patriarchas anteibat. Ita etiam, urbe

urbe Româ dignitate ſuâ paulatim decidente, ſi pro rerum humanarum viciſſitudine, lapſu temporum & rerum ſucceſſu, ſplendorem ſuum amitteret, & ſecularis conſideratio in Eccleſiaſticarum prærogativarum diſtributione prævalere pergeret: Eò res Epiſcopi Romani devenire poterant, ut non tantùm Conſtantinopolitano Patriarchæ poſtponeretur, ſed etiam, ut mutationibus obnoxia ſunt inferiora hæc omnia, mediocris cujuſdam Metropolitani tandem fieret ipſe ſuffraganeus. Id nempe ſagacitas præſagiebat Romana; nec ſuperciliũ ejus ferre poterat. Ideò aviditas illa authoritatis, quæ novis honoribus & prærogativis acquirendis invigilantes fecerat, in ardorem conquiſita tuendi & quocumque modo integra conſervandi converſa eſt. Et ſedis illius, quę ſub Imperii majeſtatis umbra, & potentioris principalitatis favore, caput attollebat, æmulatio Romanorum animos, quo tempore Conſtantinopolitani ambitionis vela, ſecundo vento inflati, in proprio portu naufragium paſſuri pandebant, exacuit exaſperavítque; ut neque proſperantis ambitioni menſura, neque æmuli indignationi & odio modus eſſet. Hi quidem Petri iura & prærogativas intonant, ſuáque inde privilegia ortum ducere declamitantes, eo nomine omnia retinere ſatagunt: Illi verò Imperii majeſtatem obtendentes, ejus authoritate ad ſuam ambitionem abutũtur. Tum ſanctiores & qui minùs mundo adhærere viderentur Epiſcopi Romani Imperatorum, quos ſibi propitios reddere velint, *veſtigia exoſculantur* & coram iis *mentis* ſuæ *flectunt poplites*, tantumque non ut ipſiſ-

ſimum Deum adorant: Deinde indignâ cæde peremptos eoſdem lætantur & triumphant: horrendos inſuper parricidas ut orbis liberatores, generíſque humani delitias, ſummis laudibus evehunt, & fœlix futurum vovent Imperium, initíumque gratulantur. Calliditate etiam, quam humanam dicere nimis humanum foret, potentiſſimorum & ſæviſſimorum uſurpatorum captant favorem, & benevolentiam aſſentationibus conciliare ſtudent, quo tempore illos, iuſtiſſimâ & neceſſariâ Conſtantinopolitani cenſurâ efferatos, abalienari ab eo faciliùs poſſe ſperant. Interim manet altâ mente repoſtum in Imperium conceptum odium, quod primâ datâ occaſione, & præparatâ materia, ingens incēdium faciat, donec Occidens univerſus, bonorum Paſtorum ſuggeſtione & nutu, adversùs Imperium rebellis factus, principibus qui ab iis ipſis toti pendeant ſubdatur; quos etiam principes ſi de alieno corio largis Pontificibus non ſatis morigeros eſſe contingat, alii dejiciant, & priorum exemplo docti ſapiant ipſi. Sic ex firmo & potente Imperio uno, duo infirma ſuperſunt; quorum unum Romano Epiſcopo devinctum, illíque benefacere haud ceſſans: Alterum eidem, ut graviter læſum, ſic maximè infenſum; ſed nocere aut vindictam exercere, niſi æmulæ ſedi quæ zelotypiam excitaverat gratificari non deſinendo, minimè valens. In eo Imperiorum & Pontificatuum Orientalium & Occidentalium æquilibrio, ſecula quædam labuntur quibus ſubſiſtit utérque, quòd ab æmulo deſtrui & dejici omnino nequeat. Fidei etiam unitate & con-

cor-

cordiæ glutine reſiduo corpora conjuncta aliquantiſper manent, quorum membra inſigniora uſque adeò diſſidentia & oppoſita ſunt, Tandem, circa annum Iↄ ccc lxxix. anathemate mutuo ſe execrati, Eccleſiam univerſalem diſcindunt; & Orientem ab Occidenre, ne ampliùs communione Eccleſiaſticâ conſocietur, impiè divellunt: Atque adeò, ob non probatam Epiſcopi, viri alioqui incomparabilis, electionem, millena animarum innocentium millia diris devoventur & Satanæ traduntur. Inde iam, Occidentalium opinione, ad ſuas partes reductâ Eccleſiâ univerſali, cæteríſque omnibus inde exectis, Patriarcha Romanus quaſi ſolus, & ſociis amotis, deinceps non adeò potenter impetitus, in corpus ſibi conjunctum firmat imperium, quod in univerſum ſimul unitum & indiviſum nunquam potuerat; & ſic res ſuas promovet, donec in eam quam his ſeculis vidimus periodum adducat. Interim Eccleſia Orientalis, Occidentalium, quibuſcum nō amplius intercedebat communicatio, deſtitura auxilio & ope, miſeram ſub Imperatoribus infidelibus ſervire ſervitutem cogitur, núncque ſub duriſſimo iugo Dominorum, qui quicquid Romani nominis reſiduum erat extinxerunt, gemit & lamentatur.

De Occidentis Eccleſiæ corruptione, quę unà cum Romani Pontificis tyrannide, & per eam, adnata & confirmata eſt, nihil hîc dicam, nihil de cultu Dei omni ex parte adulterato & penè obliterato; nihil de perverſis dogmatibus, quorum virus univerſa infecit: Alterius ſunt illa operis, & operæ majoris. Sufficiat ambitionis

illius, circa throni prærogativas, per ſumma capita decurriſſe ſequelam. Effectum animadvertunt cordati lectores: cauſas verò & ordinem, ſive potiùs ἀταξίας periodos, ex hiſtoriis temporum ſigillatim obſervare poſſunt. Nobis hac in parte propoſitum fuit exactius priſcorum ſeculorum, quorum ſententiæ ad authoritatem proferri ſolent, demonſtrare regimen & communem doctrinam; non autem poſteriorum, quorum geſta hiſtoriæ tantùm dignoſcendæ & prudentiæ informandæ causâ indagari ſolent.

Verumtamen, ut clarum evadat, quidquid ambitioſi homines, diverſis partibus, pro ſuarum ſedium elatione molirentur, Romanum tamen univerſalitatis & abſolutę poteſtatis ſuprematũ, nec ſexto imò ne ſeptimo quidem ſeculo obtinuiſſe hiſtoriarum duarum brevis enarratio ſuffecerit. Prima Joannis eſt illius Conſtantinopolitani, cui à frequẽtibus iejuniis inditum erat cognomen. Is ab ambitione minimè jejunus, circa annum IↃ LXXX. ſe *Epiſcopum* vel *Patriarcham univerſalem* dixit. Et arrogantiæ ejus obſtiterunt Pelagius II. & Gregorius I. Romani Epiſcopi, qui ambo, ſucceſſivè, titulum profanũ & ſuperbum iudicârunt, quem quia in quocumque deteſtarentur, nec ſibi vendicare vellent; hoc eſt non ut ſibi proprium ab alio uſurpatum, ſed ut profanum hominum nulli tribuendum damnârunt. Sic enim arrogantiam illam proteſtationibus ſuis repreſſerunt, ut peculiaris ſui iuris nullam ipſis habitam rationem prę ſe ferrent, ſed tantùm honoris Chriſti, fidei Eccleſiæ, & communis Epiſcoporum dignitatis, quæ omnia profanâ appel-

pellatione læderentur, zelo & affectu ductos ſe profiterentur.

Ex ipſis Gregorii Epiſtolis dicta & argumenta, quibus affectatam illius Epiſcopi in Eccleſiam tyrannidem confodiebat, eruemus, ut inde videat lector quantùm eâ occaſione ad Cypriani doctrinam, anteà propoſitam nobis, acceſſerit ille.

Ego, inquit, *fidenter dico, quia quiſquis ſe univerſalem ſacerdotem vocat, vel vocari deſiderat, in elatione ſua Antichriſtum præcurrit, quia ſuperbiendo ſe cæteris præponit*. Et, *Quis rogo in hoc tam perverſo vocabulo, niſi ille ad imitandum proponitur qui deſpectis Angelorum legionibus ſecum ſocialiter conſtitutis, ad culmen conatus eſt ſingularitatis erumpere, ut & nulli ſubeſſe & ſolus omnibus præeſſe videretur?* Ita ſcilicet in eo crimen eſſe ſtatuit, quod unus ſe cæteris præferat, ſolus omnibus præeſſe velit, & ad ſingularitatis culmen erumpere. Et id quidem cauſæ efficientis ratione habitâ, Antichriſti præcurſoris actum cenſet; cauſæ verò exemplaris reſpectu, Diaboli imitationem eſſe dicit; quo ſenſu etiam alibi, *primi apoſtatæ inventum* vocat. Hæc de ſimpliciter dictis.

Greg. Ep. ex regiſtr. lib 7. ind. 15. Ep 30. Id. lib. 4. ind. 13. Ep. 38.

Id. lib. 6. ind. 15. Epiſt. 14.

Argumenta ejus hæc ſunt. I. Honori Chriſti derogare eum *qui per elationem pompatici ſermonis, univerſa ſibi tentet adſcribere, & omnia quæ ſoli uni capiti cohærent, videlicet Chriſto, ſibi ſtudeat membra ſubjugare*. Ideóque poſtquàm dixiſſet *Paulum evitâſſe membra Dominici corporis certi extra Chriſtum quaſi capitibus, & ipſis quidem Apoſtolis particulariter* ſubjici addit: *Tu quid Chriſto univerſalis ſcilicet Eccleſiæ capiti, in extremi judicii es dicturus examine, qui cuncta ejus membra tibimet conaris univerſalis appellatione ſupponere.*

Id. lib. 4. ind. 13. Ep. 36.

Ibid. Ep. 38.

Digitized by Google

II. Eccleſiæ injuriam, profani tituli uſurpatione, fieri; quia *Si*, inquit, *hanc æquanimiter portamus, univerſæ Eccleſiæ fidem corrumpimus. Si*, etiam, *unus Epiſcopus vocatur univerſalis. Eccleſia univerſa corruit, ſi unus univerſus cadit. Sed abſit hæc ſtultitia, abſit hæc levitas ab auribus meis.* Stultitiam & levitatem duxit in uno & ſolo ſoliditatem Eccleſiæ collocare; eóque fidem Eccleſiæ corrumpi dixit, quia ſapientiam exiſtimavit quod à Cypriano dictum fuerat: *Idcirco copioſum eſt corpus ſacerdotum, ut ſi è collegio quiſpiam hæreſim facere tentaverit, ſubveniant cæteri.*

III. Eſt & alia ratio, quam eodem loco in tranſcurſu inſinuat, his verbis: *Vt de honoris veſtri iniuria taceam* Eam vero Epiſcoporum honoris injuriam, in Epiſtola ad Eulogium, pluribus exponit. *Dixi*, inquit, *nec MIHI vos, nec cuiquam alteri, tale aliquid ſcribere debere: Et ecce, in præfatione Epiſtolæ quam ad ME ipſum qui prohibui direxiſtis, SVPERBAE APPELLATIONIS verbum, VNIVERSALEM ME PAPAM dicentes, imponere curâſtis. Quod peto dulciſſima mihi ſanctitas veſtra ultra non faciat; quia VOBIS SVBTRAHITVR quod alteri plus quàm ratio exigit præbetur. Non honorem eſſe deputo in quo fratres meos HONOREM SVVM PERDERE cognoſco. Si univerſalem me Papam veſtra ſanctitas dicit, negat ſe hoc eſſe quod me fatetur univerſum*; hoc eſt Papam, Epiſcopum, vel Patriarcham; pluribus enim communia erant illa attributa.

Greg. Ep. ex reg. lib. 7. ind. 1. Ep. 30.

Hunc ego propoſitum ordinem Gregorii dictorum, rationumque adeò univerſalium & præciſarum, fumis adverſariorum diſſipandis

ſuf-

ſufficere arbitror. Nam ubi ſic omnia clarè expreſſa ſunt, vix credibile foret adeò perfrictæ frontis homines eſſe poſſe, qui eorum exceptiones huic luci opponere auſint. Nempe, aiunt, Gregorius titulum hunc in Conſtantinopolitano, non in ſe, vel anteceſſoribus aut ſucceſſoribus, damnavit. At enim, propoſitio univerſalis de *quocúmque*, nónne omnes ſingulares unà complectitur? Deinde, fundamentum Chriſti unius & ſolius capitis, nónne ab hac ratione quemvis hominem, Epiſcopum Romanum ut Conſtantinopolitanum, Apoſtolóſque adeò ipſos quos in hunc finem nominavit Gregorius, excludit? Sive etiam Romanus Epiſcopus ſit univerſalis, ſive alius quiſpiam, nónne verum erit uno eo cadente Eccleſiam ruituram? Adde Gregorium ſibi ipſi has rationes expreſsè aptâſſe.

Altera exceptio eſt, Gregorium de univerſalis titulo ſic locutum, quatenus talis intenderetur ſignificatio quâ, uno univerſali Epiſcopo nominato. cæteri pro Epiſcopis non cenſerentur. At neque Joanni ipſi quum aſſumeret titulum, neque, certè, Eulogio quum Gregorio eum aptaret, ea fuit mens vel ſententia. Sed Gregorius titulum illum, vel ſibi ipſi aptatum, eam conſequentiam habere ex ratione docuit, & inter Epiſcopos *faſtigium ſingularitatis*, id eſt, monarchiam vel ſupremarum, diſertè damnavit. Quod ſi, ut ex titulo argumentatus eſt, nos quoque dictis rationibuſque ejus uſi, titulorum quos poſteà Romani Epiſcopi ſibi vendicarunt, conſequentiam deducere aggrediamur;

Nihil prohibet concludere veniſſe Antichriſtum, fidem Eccleſiæ corruptam, dignitatem Chriſti impiè ab hominibus uſurpatam fuiſſe; omnes etiam Epiſcopos eam elationem quam primus apoſtata invenit, ferentes, gradu ſuo excidiſſe & honorem ſponte perdidiſſe, quando cùm ſocialiter iuncti eſſe debuiſſent, volentes, unius domini ſervi facti ſunt. Certè haud ultra progreſſi Lutherus & Calvinus, quàm ſuggeſſit Gregorius.

Altera hiſtoria eſt HONORII I. Is, ut Patriarcha literis encyclicis Sergii Conſtantinopolitani Monothelitæ, à quo conſultus fuerat, reſpondens, eum in hæreſi ſua confirmavit, eiuſque dictis conſenſit; & expreſsè ſcripſit, INEPTUM eſſe *ſentire vel dicere Chriſtum eſſe vel fuiſſe unius aut* *DUARUM OPERATIONUM*. Item, *Quod ad doctrinam Eccleſiaſticam*, NON OPORTERE DEFINIRE *in Chriſto Mediatore unam vel DUAS OPERATIONES*. Baronius Sergii Epiſtolæ ſubſcripſiſſe eum & *paria ſe cum illo ſentire* teſtatum fatetur. Etſi enim unam operationem dici noluerit, veritatem tamen duarum in Chriſto operationum ut ineptam rejecit, & non oportere ſic definire determinavit.

> *Honor. Ep.* 2. *in Act. Conc. Conſt.* 6. *Act.* 19. *Bar. tom.* 8. *an.* 613.

Sic tamen à Conciliis poſteà definitum, & duas operationes in Chriſto negantibus anathema dictum eſt. Ideò etiam, quum Epiſtola Honorii, poſt ejus obitum, in Concilio Sexto lecta fuiſſet, ejus doctrina palam damnata fuit. In Synodo etiam ſeptima, eâ de cauſâ, Honorio nominatim anathema dictum eſt: Itémque in Synodo octavâ Conſtantinopoli habita; tandemq; in

> *Concil.* 6. *Act.* 12. *&c. tom.* 2. *Conc.*

> *Concil.* 7. *Act.* 3.

in Concilio quod primum in Trullo congregatum eſt, ubi CCXXVII. convenêre Epiſcopi. Itaque in Concilio ſexto, Epiſcopi CCLXXXIX. In Concilio ſeptimo, Niceæ, Epiſcopi CCCL. In octavo verò, CCCLXXIII. cū iis qui in Trullo coiere, numerum efficiunt mille, centum, & triginta novem Epiſcoporum, qui Honorium ut hæreticum damnaverunt, neque quòd Epiſcopus Romanus eſſet ab errore & hæreſi, privilegio ſpeciali, immunem eſſe crediderunt. His addere poſſumus Concilium Romanum ſub Hadriano II. Leonem etiam II. qui ſcripſit, *Honorium fidem immaculatam ſubvertere conatum fuiſſe.* *Leo II. Ep. ad Imperat.*

In Concilio etiam Romano, ſub Martino, lecta fuit Pauli Conſtantinopolitani Epiſtola, quâ ſecum ſenſiſſe Sergium & Honorium ſcribebat; nec ullus contradixit. *Concil. Rom. ſub Mart. conſult. 4.* Ex hiſtoricis autem Occidentalibus Beda, Liberatus, Ado, Umbertus, Marianus Scotus, Anaſtaſius ipſe Pontificum Bibliothecarius aliis ferè omnibus antiquior, ejus rei teſtimonium perhibent: *Anaſt. in vit. Leon. II.* Ex Græcis autem, Pſellus, Nicætas, Nilus, Cedrenus, Glycas. Quid clariùs confirmatum eſſe potuit?

Adverſariorum reſponſa, quas animo patiuntur convulſiones exhibent. Eorum quidem acta Concilii ſexti à Græcis corrupta eſſe, & verſionem Latinam exemplaris Græci imitari corruptionem, ſomniant; Inde, ſcilicet, Concilia ſequentia erráſſe de facto iterum ſomniant. Sic effugere conatur Baronius. Sed factum illud in quo erráſſe eos dicit, in omnibus tamen infallibilitati Romani Epiſcopi contrariam ſententiam præſupponit. Alii Honorium injuſtè damnatum

dicunt, in queis Turrecremata & Bellarminus. Sed ex Epiſtola ad Sergium hæreſeos convincitur. Epiſtola verò illa fuit publica & encyclica quâ fratres ſuos, ſi unquam, debuit confirmare Honorius; ut miſerum pateat ultimum aliorum effugium, qui iure damnatum illum fatentur, ſed ut privatum erráſſe volunt. Sic Turrianus, Canus, & Genebrardus, quorum ſanè hic eſto privatus error.

Totius diſſertationis Concluſio.

His omnibus variis & multis ex ſcriptura notatis, & celebrioris antiquitatis teſtimoniis confirmatis, adverſariorum etiam confeſſionibus productis, & argumentationibus eorundem expenſis & ſolutis, ſupereſt ut concludamus, tam verè ac uno & duobus poſitis, tres inferuntur, *Authoritatem Epiſcopi Romani, quam in omnes Eccleſias & in omnibus, ſibi vendicat, falsò ex inſtitutione Chriſti, vel veterum etiam traditione ortam præſupponi*; atque adeò ſummâ in Chriſtum Eccleſiæ caput unicum injuriâ uſurpatam; adverſus Eccleſiæ ipſius omnium noſtrum Matris iura, & contra ſocietatem Paſtorum collegialem, ex qua in opere Chriſti ſocii & Comminiſtri (nullo, præter eum cujus opus eſt, Domino exiſtente) vocati ſunt, invectam eſſe.

Et certè ſponte mentis oculos occludere eos neceſſe eſt, qui tyrannidem Eccleſiam infeſtantem videntes, non percipiunt, imo ſenſibus non uti, qui palpabilem eam non contrectent, quæ

Ec-

Eccleſias laceravit, Orientaléſque ab Occidentalibus ſeparavit, & hos omnigenis erroribus ſervos fecit. Dominus omnipotens, qui veritatis ſuæ & Eccleſiæ ſanguine filii unigeniti redemptæ curam gerens, hiſce noſtris temporibus partem populi ſui è Babylonica captivitate liberam abduxit, opus illud pro miſericordia ſua infinita perficiat; & ſuis in libertatem aſſerendis, vinculíſque ſervitutis tenebrarum & erroris diſrumpendis potentem exerat manum, ad regni & imperii Chriſti ſtabilimentum, & nominis ſui magni gloriam, AMEN.

FINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Google

Digitized by Google